VETUS & NOVUM TESTAMENTUM
DEI SUB NUMINE VIGET
PRINCETON UNIVERSITY LIBRARY

William Watson Smith
Class of 1892
Memorial Fund

Digitized by Google

Digitized by Google

# *VERITAS*

IN

LUCEM PROLATA.

Digitized by Google

# VERITAS
## IN LUCEM PROLATA
ADVERSUS
HUJUS ÆTATIS
# PSEUDO-PHILOSOPHOS
ET
# INCREDULOS.

A Patre Sigismundo de Parochiâ de Muyson ordinis nostri Cappuccinorum conscriptum.


ROMÆ MDCCLXXX.
Ex Typographia Pauli Junchii, Proviſoris Librorum Bibliothecæ Vaticanæ.

*SUPERIORIBUS ADPROBANTIBUS.*

Ad uso del Pre: Gio: Xmo: da Firenze Capp.
[illegible] alla [illegible] di Montalci[illegible]

(OCPPG)
BX 1750
.X55

Digitized by Google



*CELSITUDINI REGIÆ*
*EMINENTISSIMÆ*

# HENRICI

DUCIS EBORACENSIS
EPISCOPI TUSCULANI
*S.R.E. CARDINALIS VICE-CANCELLARII &c. &c.*

AUCTOR FELICITATEM.

D*Ubitandum mihi diù non fuit*, CELSITUDO REGIA EMINENTISSIMA, *quin Tuo potiſſimùm Nomini*

*hoc Opus inſcriberem. Cui enim potiori jure Catholicæ Veritatis propugnatio convenire poterat, quàm Tibi, cujus Auguſti Majores pro eâdem tuendâ & conſervandâ patriam, opes, fortunas, Sceptrum ipſum ſplendidiſſimi & florentiſſimi Regni devovere non dubitarunt? Tua verò,* Celsitudo Regia Eminentissima, *animi magnitudo & conſtantia pro ejuſdem Religionis integritate ſervandâ, Tuæ Apoſtolicæ ſollicitudines in Tuſculanæ Eccleſiæ adminiſtratione, & regimine planè admirando, adeò ſermone omnium*

*non*

*non ſolùm Romæ, ſed etiam apud exteras nationes percrebuerunt, ut omnes uno ore conſentiant Te magnis illis ſanctiſſimiſque Epiſcopis comparandum, quorum memoria divinis honoribus conſecratur.*

*Atque hìc nemo non videt quàm amplum mihi ſeſe argumentum offerat ad Tuam generis nobilitatem, ad Tuam doctrinam, pietatem, zelum eccleſiaſticum, cæteraſque viro Principe Chriſtiano, & Eccleſiæ Præſule dignas virtutes meritis laudum præconiis extollendas. Sed cùm illud Tibi in more poſitum ſit,* CELSI-

TUDO REGIA EMINENTISSIMA, *ut malis veræ virtutis eſſe cultor, quàm videri, erit mihi Tua hæc admirabilis conſuetudo tamquam imperium, ut de Tuis laudibus conticeſcam.*

*Neque tamen propterea vereor ne non Tibi arrideat in hoc Opere texendo conſilium meum. In eo enim Tua res agitur, dùm de tuendâ propagandâque Religione agitur. Et quamquam probè intelligam quàm meum ſit ingenium exiguum; Tuis tamen libellus auſpiciis inſignitus non trepidus ac nutans, ſed promptus & alacer prodire geſtit, lu-*

*cemque non reformidat.*

*Unum igitur ſupereſt,* CELSITUDO REGIA EMINENTISSIMA, *ut Ordinem meum eâ, quâ ſoles, benignitate reſpicias, & majora, ſi Deus dabit otia, pro Catholicæ Religionis defenſione cogitantem me clementer excipias. Vale.*

# PRÆFATIO.

AUreus planè Cl. Jacobi Facciolati contra Hæreticos & Pſeudo-Philoſophos Libellus, conſiliumque in primis ſalutare fuit, ac propè divinum. Cùm enim conſulendum ei eſſet tùm morum, tùm Religionis Catholicæ integritati Juvenis cujuſdam honeſto loco nati, iter per exteras regiones ſuſcepturi, potiora argumenta congeſſit, quibus incredulorum fallaces interrogationes diſſolvere ille poſſet, eaque *Viatici Theologici* titulo inſignita in vulgus emiſit. (1) Aureus, inquam, Libellus, aureumque conſilium ſapientiſſimi Senis!

At, quod maximopere dolendum, cautio & proviſio hujuſmodi depravatis hiſce temporibus ſatis non eſt. Non enim alicui tan-

(1) *Jacobi Facciolati Viatica Theologica decem, quibus adversùs Religionis diſſidia catholicus viator munitur. Patavii an. 1763. Typis Seminarii apud Joannem Manfrè.*

tantùm juveni, ſed univerſæ propemodum Chriſtiani Orbis juventuti eſt conſulendum. Non aliqua tantùm momenta in medium afferenda ſunt, ut nonnulla Fidei noſtræ myſteria firmiſſimè ſtabiliantur; ſed contra omnia Catholicæ Religionis fundamenta captioſæ recentiorum Philoſophorum argumentationes ſunt extricandæ. Non unus aut alter, ſed tot expugnandi ſunt adverſarii, quot ſunt perniciosiſſimi atque exitiales libri, diſſertationes, ſyſtemata, animadverſiones, quibus tamquam peſtiferâ alluvione quotidiè magis inundatur noſtra Europa; quot ſunt audaciſſimi cujuſcumque ſexûs & conditionis ſemidocti, qui cujuſque ſeculi ſententias omnes impiorum nuperrimè recoctas hilarè excipiunt, avidè arripiunt atque admirantur; aliis deinde lenocinante ſtylo, tamquam involucro venenum abſconditum propinant.

Itaque ut tanto huic malo, ſi non prorſus mederi, at ſaltem occurrere, & impendentem Fidei ruinam in noſtris regionibus, pro virili parte avertere poſſemus, hoc qualecunque Opus, alieno etiam conſilio incitati, conſcripſimus, & Veritatis in lucem prolatæ nomine libuit compellare: ut Theologi, præſertim juniores, quibus vel jam concredita, vel concredenda ſunt munia divina, haberent promptam & paratam defenſionem contra quo-

ſcunque incredulorum in Sanctam Religionem impetus, eorumque poſſent venenata tela non ſolùm repellere, ſed etiam retuſa in ipſo retorquere adverſarios.

Sed fortaſſe, inquiet Lector benevolus, quorsùm modò tot libros typis mandare? Sancta Religio ſuos ſemper habuit ultores, qui mendacio veritatem oppoſuere; ſuos quovis ſeculo habuit milites, qui eam ab incredulorum fraudibus & incurſionibus vindicarunt. Hoc evincitur ex innumeris ferè illorum operibus, quibus, tamquam victricibus armis, ita Hæreticorum inſidiæ, ita novorum dogmatum perverſitas detecta fuit, ita Pſeudo-Philoſophorum vaferrimæ opiniones profligatæ, ut nihil jam proferri, ſcriptove conſignari poſſe videatur, quod à doctiſſimis viris præoccupatum non fuerit ad Catholicas Veritates in tuto collocandas.

Iſtud quidem ultrò nos fatemur. Imò maximâ perfuſi lætitiâ hoc inſuper addimus, plurimos hâc etiàm tempeſtate egregiè cordatos viros ſummâ ſapientiâ & ſanctitate præditos per Galliæ univerſæ Regna certatim exſurgere, qui contra nefarios Religionis hoſtes pulcherrimè prodeunt in aciem, ſeque non ſolùm & catholicum dogma acriter defendunt, atque irritos faciunt impios nuperorum Philoſophantium conatus; ſed ita eloquentiſſimâ ora-

oratione incredulos percellunt, ita ineluctabilibus argumentis tum ex ratione ipsâ petitis, tum ex antiquitatis Sapientioribus, tùm ex SS. Scripturis & Patribus depromptis eos urgent & premunt, eâ demum veritatis vi convincunt & cogunt, ut ferè quotidiè de fraudolentis iſtis & audacibus, qui Philoſophi nomen ſibi arrogant, recentioribus, inſignes referant undecunque triumphos.

Sed cùm eximia horum virorum clariſſimorum opera hâc de re Gallicè exarata habeantur, nec gallicum ubique vigeat idioma; irreligio autem non deſiſtat ſuum exitiale virus per omnes regiones quaquaversùm diffundere; idcircò rem utiliſſimam, atque his temporibus accommodatam facturos exiſtimavimus, ſi ea quæ ſcitu maximè neceſſaria ſunt ad conterendos noſtræ ſanctæ Religionis hoſtes, in unum collecta, latinitate donarentur.

Operis igitur tres erunt partes. Primò non de Dei exiſtentiâ, cùm atheiſmum ſpectrum eſſe merum eruditiores exiſtiment ferè omnes, ſed de Deo creatore, & de Creatoris Providentiâ, de Animâ rationali, ejuſque dotibus; deinde de Lege naturali differemus. Accedent præterea diſquiſitiones variæ; nec prætermittentur ad ea, quæ ab incredulis objiciuntur, confutationes.

Secundò verba faciemus de Legis veteris

au-

Auctore, & de cæteris eamdem legem ſpectantibus; nec intacta relinquemus, & ſine ſeverâ inquiſitione impiorum nefaria dogmata.

Tertiò demum agemus de Auctore Legis Evangelicæ, de legis ejuſdem prærogativis, ſimul & de iis, quæ ipſam adhuc legem ſpectant. Deinde Pſeudo-Philoſophorum adinventiones & veteratoriæ artes palam fient, eorumque inania argumenta ſolventur.

Opus omni, quâ par eſt, demiſſione ſubjicimus Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, quæ columna eſt ſolidiſſima & firmamentum veritatis, cujus proinde vox ſi audiretur ab omnibus, unicum eſſet ovile, & unus Paſtor, neque à peſtifero irreligionis fermento eſſet præcavendum. Hujus quippe Eccleſiæ ſanctæ luce verâ omnium errorum diſſiparentur tenebræ, atque una omnibus Veritas affulgeret.

# NOS F. JOANNES ANTONIUS
## A FLORENTIA,

Definitor, Procurator & Commiſſarius Generalis Ordinis FF. Minorum S. Franciſci Capucinorum.
(1 i.)

CUM Opus, cui Titulus eſt: *Veritas in lucem prolata adverſus hujus ætatis Pſeudo-Philoſophos & Incredulos* Scriptum à R. Adm. P. Sigiſmundo de Parochiâ de Muſſon Ordinis noſtri S. Theologiæ Ex-Lectore, & Provinciæ Campaniæ in Galliâ Ex-Provinciale, duo RRmi PP. Definitores Generales, quibus id commiſimus, recognoverint, ac in lucem edi poſſe probaverint, tenore præſentium facultatem concedimus, ut, ſervatis ſervandis, Typis mandetur, ſi illis ad quos pertinet benè viſum fuerit. In quorum fidem has Litteras manu noſtrâ ſubſcriptas, & Sigillo majori officii noſtri munitas expediri mandavimus.

Datum Romæ die 6. menſis Aprilis Anno MDCCLXXX.

Loco ✠ Sigilli

*F. Joannes Antonius à Florentiâ qui ſuprà.*

# APPROBATIO

## THEOLOGORUM ORDINIS.

REverendiſſimi P. Joannis Antonii à Florentiâ Procuratoris & Commiſſarii Generalis FF. Min. S. Franciſci Capucinorum mandatis obtemperantes, Opus inſcriptum : *Veritas in lucem prolata adversùs hujus ætatis Pſeudo-Philoſophos & Incredulos*, attentis animis recognovimus. In eo non ſolùm à regulis ſanæ Æthices, aut Orthodoxæ Fidei veritatibus quidquam abhorrens non offendimus ; quinimò gaudio perfuſi pietatem admirati ſumus ſimul ac doctrinam Auctoris, qui invictis argumentis apertè declarat quantùm Religionis Catholicæ veritas undequaque ſplendeat, quidquid virium, conatuumve ad illam obnubilandam impenderit maligna hujus ætatis impietas. Illud profectò nobis videtur probè aptum ad tuendam, conſervandamque Fidem Catholicam adversùs temerarios Scriptores, quos his diebus luctuoſis non pudet veritatem contaminare, qui falſis verborum ſplendoribus fallaciiſque ornatis non parum caliginis humanis mentibus objicere, & incautos irretire meditantur. Hinc id Operis dignum duximus quod per typum publicæ luci mandaretur.

Dabamus Romæ è Conventu noſtro Immaculatæ Conceptionis, Non. Apr. An. MDCCLXXX.

*F. Hugo Pariſinus Definitor Generalis, olim S. Theologiæ Lector.*
*F. Clemens de Armillas Definitor Generalis, S. Theologiæ Ex-Lector.*

AP-

# ADPROBATIO.

CUM malè acuti homines viderent omnes hoſtium impetus contra Eccleſiam irritos fuiſſe, eam ex inſidiis adoriri poſſe ſtatuerunt, adeoque ad varias artes, & occulta ſtratagemata converſi, pacem, amicitiamque ſimulando id egerunt, ut ſubtilibus quibuſdam quæſtionibus, quas diſsolvi poſse deſperarent, divinam illius auctoritatem ſuſpectam redderent. Detecta fraus eſt; nec defuere qui Sanctiſſimam Chriſti Religionem tuerentur. Juſsu Reverendiſſimi Magiſtri S. P. A. perlegi opus inſcriptum: *Veritas in lucem prolata adversùs hujus ætatis Pſeudo-Philoſophos, & Incredulos*, & non modò ſingularem doctiſſimi Auctoris conſtantiam contra pervicacem Pſeudo-Philoſophorum impudentiam, verùm etiam exquiſitiſſimam eruditionem admiratus ſum. Itaque cùm in eo & nihil repererim, quod vel Sacra Eccleſiæ dogmata, vel probos mores lædere poſset, & ſacra Eccleſiæ placita contra omnes hoſtium conatus optima ratione defenſa animadverterim, in publicam lucem emitti poſse cenſeo.

Romæ è Minervitano Conventu prid: Kal: Jun. Anno MDCCLXXX.

*F. Philippus Angelicus Becchetti Ordinis Prædicator. Sacræ Theologiæ Magiſt. & Bibliothec. Caſanatenſis.*

# ADPROBATIO.

UT Reverendiſſimi S. P. A. Magiſtri juſſis obtemperarem, legi perlibenter Librum inſcriptum: *Veritas in lucem prolata adversùs hujus ætatis Pſeudo-Philoſophos & Incredulos*; & non ſolùm nihil in eo deprehendi, quod vel moribus, vel Religioni quomodocunque officere poſset; immo verò in hac effrenata perditiſſimorum Scriptorum licentia mirificè lætatus ſum virum inter alios exſurgere pietate, doctrina & zelo in primis præditum ſingulari, qui Catholicas veritates ab aggreſſionibus Eccleſiæ hoſtium invictis rationibus tutaretur. Itaque Opus egregium, quod tamquam armamentarium dixerim, unde poſſint argumenta depromi ad Religionem Catholicam ſartam tectam ſervandam, digniſſimum cenſeo, quod publici juris fiat, & quamprimùm in manus hominum emittatur. Romæ ex Hoſpitio Apoſtolico S. Michaelis VIII. Idus Jun. An. MDCCLXXX.

*Joſeph Barſottius Ex-Rector Schol. Piar. Philoſophiæ & S. Theologiæ Profeſſor.*

I M P R I M A T U R,

Si videbitur Rever. Patr. Magiſt. Sacr. Palat. Apoſt.

*F. A. Marcucci ab Immac. Concept. Epiſc. Montis-Alti Viceſg.*

IMPRIMATUR.

Fr. Pius Thomas Schiara Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

# INDEX.

## PARS PRIMA.

| | | |
|---|---|---|
| *De Religionis neceſſitate.* | | Pag. 1. |
| SECTIO I. | *De Deo Creatore.* | 3. |
| SECTIO II. | *De Providentia divina.* | 11. |
| SECTIO III. | *De Hominis origine.* | 17. |
| SECTIO IV. | *De Spiritualitate Animæ rationalis.* | 21. |
| SECTIO V. | *De Animæ rationalis immortalitate.* | 25. |
| SECTIO VI. | *De Hominis libertate.* | 40. |
| SECTIO VII. | *De Religione.* | 43. |
| SECTIO VIII. | *De Lege naturali.* | 49. |
| SECTIO IX. | *An præter Legem naturalem alia in agendo admittenda ſit regula.* | 55. |
| SECTIO X. | *De Revelatione.* | 60. |
| SECTIO XI. | *De Revelationis neceſſitate.* | 66. |
| SECTIO XII. | *De momentis exiſtentiam Revelationis probantibus.* | 74. |

# PARS SECUNDA.


| | | | |
|---|---|---|---|
| SECTIO | I. | *De Moyſe.* | 76. |
| SECTIO | II. | *De Moyſis exiſtentia.* | 86. |
| SECTIO | III. | *Moyſes Pentateuchi verus eſt auctor.* | 89. |
| SECTIO | IV. | *De Definitione Miraculi.* | 102. |
| SECTIO | V. | *De Miraculi exiſtentia.* | 106. |
| SECTIO | VI. | *De Prophetiis.* | 117. |
| SECTIO | VII. | *De Religione Revelata.* | 131. |
| SECTIO | VIII. | *De Tolerantia.* | 136. |
| SECTIO | IX. | *De Lege Moſaica.* | 147. |

# SUPPLEMENTUM.


| | |
|---|---|
| *Quoad vetus Teſtamentum.* | 173. |
| *De Geneſi.* | 174. |
| *De Exodo* | 176. |
| *De Levitico.* | 177. |
| *De Numeris.* | 180. |
| *De Deuteronomio.* | 185. |
| *De Joſue.* | 186. |
| *De Judicum Libro.* | 187. |
| *De Libro Regum Primo.* | 188. |
| *De Libro Regum Secundo.* | Ibid. |
| *De Libro Regum Tertio.* | 189. |
| *De Paralipomenis Libro.* | 190. |
| *De Libro Job.* | 192. |
| *De Libro Pſalmorum* | 193. |
| *De Proverbiorum, ſeu Parabolarum Libro.* | 194. |
| *De Libro Sapientiæ.* | Ibid. |
| *De Iſaia.* | 195. |
| *De Jeremia.* | 196. |
| *De Ezechiele.* | Ibid. |
| *De Jona.* | 197. |
| *De Malachia.* | 198. |
| *De Machabæis.* | 199. |

# PARS TERTIA.

*De Lege Evangelica.* 200.
SECTIO I. *De Veritate Incarnationis, ſeu, an Incarnationis Myſterium in Chriſto fuerit adimpletum.* 203.
*Jacobi Oraculum* 206.
*Danielis Vaticinium.* 210.
SECTIO II. *De Scriptura Sacra Novi Teſtamenti.* 226.
PROPOSITIO I. *An Chriſtus & Apoſtoli verè extiterint.* Ibid.
PROPOSITIO II. *De Libris Novi Teſtamenti.* 228.
PROPOSITIO III. *Res in Sacris Libris recenſitæ habeantur certiſſimæ.* 232.
PROPOSITIO IV. *Libri Apoſtolici non fuere corrupti.* 239.
SECTIO III. *De Miraculis Chriſti.* 250.
SECTIO IV. *De Divinitate Religionis Chriſtianæ.* 263.
PROPOSITIO I. *De Meſſiæ ortu, divinitate, vita & morte.* 264.
PROPOSITIO II. *De Chriſto Legislatore.* 273.
SECTIO V. *De variis momentis divinitatem Religionis Chriſtianæ demonſtrantibus.* 281.
PROPOSITIO I. *De Religionis Sanctitate.* Ibid.
PROPOSITIO II. *Religionis Chriſtianæ Sanctitatem demonſtrant probantque Prophetiæ & Miracula.* 293.
PROPOSITIO III. *De Circumſtantiis Chriſti mortem*

*tem ſpectantibus.* 304.
PROPOSITIO IV. *Religionis Chriſtianæ divinitatem & Sanctitatem probat Chriſti Reſurrectio.* 311.
PROPOSITIO V. *Sanctitatem Religionis Chriſtianæ probat ejus doctrina.* 331.
PROPOSITIO VI. *Sanguine Martyrum effuſo Religionis Criſtianæ ſtabilitur etiam divinitas.* 335.
PROPOSITIO VII. *De Propagatione Religionis Chriſtianæ.* 342.

SUP-

# SUPPLEMENTUM.

*Ad Novum Teſtamentum.* 352.
*De Joanne.* 356.
*De Apoſtolorum Actis.* 364.
*De Epiſtola D. Pauli ad Romanos.* 365.
*De Epiſtola ad Corinthios Prima.* 368.
*De Epiſtola ad Galatas.* 370.
*De Epiſtola ad Epheſios.* Ibid.
*De Epiſtola ad Philippenſes.* 371.
*De Epiſtola ad Coloſſenſes.* 372.
*De Epiſtola ad Theſſalonicenſes Prima.* 373.
*De Epiſtola ad Timotheum Prima.* Ibid.
*De Epiſtola ad Titum.* 374.
*De Epiſtola ad Philemonem.* 376.
*De Epiſtola ad Hebræos.* 377.
*De B. Jacobi Epiſtola Catholica.* 378.
*De Beati Petri Apoſtoli Epiſtola ſecunda.* 379.
*De Epiſtola Beati Judæ Apoſtoli.* 381.

PARS

# PARS PRIMA

## DE RELIGIONIS NECESSITATE

*Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum*, ad Col. 1.

CUM Pſeudo-Philoſophorum turba hiſce temporibus ubique locorum erumpat, & Catholicæ Religioni illudens, veritatem in mendacium convertere ſubdole contendat, operæ pretium duxi hoc opere incautos docere & commonefacere.

Audacter enim aſſerunt, Epicurum quidem & Lucretium veluti omnis Philoſophiæ principes, philoſophandi viam quaſi digito indicaſſe; hujus autem ævi Philoſophis, altiora audentibus, veram philoſophandi rationem fuiſſe reſervatam, imperitis perſuadere conantur. Quid enim, ajunt, lucis non affulſit rei litterariæ eorum ſublimium ingeniorum lucubrationibus luculentiſſimis? Errores, ſuperſtitioneſque, hominum mentes multis ab hinc ſeculis obvolventes, tandem aliquando perpetua oblivione extinxerunt; veritates autem atque virtutes diu in nonnullorum penetralibus latitantes, horum ope jam in propatulo ſunt.

Illa, & his ſimilia effutiunt Thraſones illi glo-

 rioſi,

rioſi, everſuri, ſi fieri poſſet, rerum omnium univerſitatem, & ad fabulas converſuri.

Ut autem inſciis ac inermibus fucum faciant, mutuis ſeſe tamquam inventores veritatis & quaſi architectos laudibus efferunt, cum tamen compertum ſit eos Cynicorum, aliorumque Ethnicorum Philoſophorum nugas fere omnes ac deliramenta compilaſſe. Urbanitatem verò a veris Philoſophis requirunt, ut exinde audaciores facti eos laceſſant impudentiſſime.

Horum opera vaferrima ac deteſtabilia, jam a celeberrimis auctoribus convulſa, ac funditus proſtrata ad calcem paginæ, pleraque ſaltem, indicabimus (1).

Hic miretur nemo ſi adverſus hoſce protervos recentiores Philoſophos non tantum pondere rationum, ſed & Scripturæ Sacræ auctoritate, imo quandoque placitis Patrum, ac teſtimoniis comprobemus Fidei veritates, quas tamquam errores obruere meditantur Oraculorum Dei, ac Religionis veræ hoſtes iſti infenſiſſimi; qui cum nil niſi pravum & nefarium cogitent, vel ipſa oracula, & ſacra teſtimonia ad alium ſenſum ac ipſa præſeferunt, detorquere non erubeſcunt, ut ſuorum ſectatorum animos ab omni Religione alienare poſſint. Quare ad ea vindicanda, impiiſque ipſis opponenda, ſimul & ad Catholicas veritates invicte probandas, ſæpiſſime iis utemur. Opus ſuſceptum variis expendemus ſectionibus. Itaque ſit

SE-

(1) *Interprétation de la Nature* pp. 51. & 107.

# SECTIO I.

## *De Deo Creatore.*

PAucis me expediam circa Entis ſupremi exiſtentiam. Si qui enim illam ignorarunt, aut negarunt, ii fuere Athei, ſi tales tamen revera extitere ulli. Doctiores quippe denegantes hiſtoricis quibuſdam omnem fidem, contendunt nec extitiſſe olim, nec etiamnum exiſtere veri nominis Atheos. Nam, inquiunt, etiamſi non naſcamur cum actuali cognitione Dei, nati tamen cum facultate, ſeu ipſo naturali lumine, illius ope rationis uſum adepti, facillime rerum univerſitatis Auctorem poſſumus agnoſcere. Quippe cognitio hæc tam facilis cuique eſt, atque obvia, ut nemo, quantumvis ruſticus, vel Scytha, vel barbarus eſſe poſſit, qui non videat Cœlos enarrare omnipotentiam, & gloriam alicujus Numinis, Auctoris, Rectoris, & Proviſoris rerum omnium.

Quare quod de barbaris retulere quidam, ii mores illorum haud ſatis fuere ſcrutati. Qui enim deinceps opiniones eorum attente ac ſedulo inquiſiverunt, iidem omnes uno ore aſſerunt, nationes illas revera agnoviſſe Numen aliquod ſupremum. Sed ſi quis opiniones, ac ſententias agreſtium nationum vellet referre, oporteret, ut illorum propriam linguam & mores calleret.

*Nulla gens*, ajebat vel ipſe Tullius lib. 1. de leg. *neque tam barbara, neque tam fera, etiamſi ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendum eſſe non ſciat.*

Dari tamen Atheos practice, ſeu actione, fatalis nimium experientia docet. Dantur quippe homines ita ſenſibilibus & caducis rebus immerſi, ita

effrenatis cupiditatibus vitiiſque deditì, ut de Deo ne cogitent quidem, aut ſi convicti conſcientiâ cogitant, optarent nihilominus Deum non eſſe, ut impunè ac licentiùs poſſent agere dies.

Exiſtentiam Entis ſupremi ſeſe agnoſcere profitentur Pſeudo-Philoſophi; at quomodo illam agnoſcant, & utrum factis eam negent, nec ne, judicari facilè poterit ex placitis eorumdem mox referendis.

Etſi porro non unius quandoque videantur eſſe ſermonis, imo æmulatione ducti alternis ſeſe conviciis dilacerent; mens tamen eorum propius inſpecta una & eadem deprehendetur: nec ſcopus unquam, nec finis diverſus eſt, Chriſtianæ ſcilicet Religionis everſio.

Nunc ad propoſitum tranſeamus. Cùm Cœli, & Cœli Cœlorum, & omnia, quæ in eis ſunt, Deum Creatorem altè annuntiarent invictèque demonſtrarent, antiquiores inter Philoſophos non pauci ab his manuum Dei operibus, tam magnifice unicum Artificem Supremum teſtantibus, aures oculoſque averterunt, & a viâ veritatis erraverunt. Nonnulli ſolùm hic recenſiti legentur; piget enim, & pudet ingrati animi non homines, ſed monſtra referre.

Thales rerum omnium aquam dixit primum principium. Anaximander omnis generationis cauſam aſſeruit Infinitum, quatenus ex ipſo Cœli ſegregati ſunt, cæterique Mundi numero infiniti reſultarunt; hòminem verò primitus ex animalibus dixit natum. Anaximenes putavit eſſe aerem. Heraclitus ignem. Empedocles quatuor elementa. Democritus & Epicurus individua quædam corpuſcula, ſeu Atomos. Alij Solem, Lunam, & Stellas, a quibus hanc dari vitam, quâ vivimus, exiſtimabant. Alij demum Spiritus malignos, aut quos vocabant Genios, pro Diis ha-

habebant, eoſque tamquam rerum omnium auctores ſomniabant.

Quæ omnia Socrates, Xenophonte teſte, furoris, atque inſaniæ plena exiſtimavit, eoſque, qui hæc aſſiduâ curâ tractarunt, ſtolidos & vanos dixit.

Pſeudo-Philoſophi recentiores, ut abſoleta hæc & tenebricoſa revocent tempora nihil non moliuntur. Quem enim Cœli, quaſi elatâ voce, ſuum eructant Auctorem, quem Firmamentum annuntiat ſuum, eumque unicum Artificem ſupremum, quem volucres Cœli, Terræ, Terræque vel jumenta ipſa, Mare, & Piſces maris ſuum indicant Creatorem, hunc inepti iſti Philoſophi nedum Mundi auctorem eſſe negant, ſed ne dici quidem poſſe affirmant.

Ratio autem ipſis hæc eſt. Cùm Deus ſit Ens ſummè perfectum; Mundus vero imperfectum, utpote Ens innumeris fere repletum defectibus; creatio porro Mundi minimè decet Deum.

Inſuper, ſi Deus, inquiunt, rerum omnium foret Creator, Mundus ex nihilo eſſet eductus; quod implicat, cùm ex nihilo nihil fieri queat.

Etſi autem ſic omnes os aperiant in Cœlum; etſi avertentes ſic auditum a verâ ratione, & a ſanâ Philoſophiâ, ut convertantur ipſi, & alios convertant ad fabulas, eaſque impias; non tamen omnes unâ eâdemque incedunt viâ. Quibuſdam enim Mundus eſt æternus: quibuſdam materia eſt increata; moleculis autem ejuſdem materiæ in diverſas formas coaleſcentibus, garriunt Mundum cæteraque Entia prodiiſſe.

Hæ ſunt veritates, quas primitivas jactitant, demerſæ priùs & ſepultæ, quibus illuminaturi ſunt mortales multis ab hinc ſæculis in tenebris ſedentes. Hæc ſunt portentoſa deliramenta, quibus quæcunque

ſacra ſunt, quæcunque Dei ſunt, impetere, & convellere confidunt. Hæ ſunt proluſiones impietatis, eæque, ut ipſi temere oſtentant, luminoſiſſimæ, quas tamquam ſuos fœtus venditare ſatagunt, etſi a profanis auctoribus, Parmenide nempe, Democrito, Epicuro, Lucretio, Celſo, Juliano &c. fere omnia mutuati ſint: neque enim nova, ſed nuper recocta tradunt, ſpecie quidem novitatis, tamquam fuco illita, ut incautos decipiant, moribus vero jam pravis inquinatos reddant in perverſis opinionibus ſecuriores. (1)

Deus, inquiunt vaniloqui iſti Philoſophi, Ens eſt perfectiſſimum, Mundus vero defectibus plenus, ac proinde Deus Auctor Mundi eſſe nequit. Specioſa quidem argumentatio; verum quid pejus ad Religionem funditus evertendam?

Deus eſt Ens perfectiſſimum: iſtud ſane veriſſimum, inconcuſſaque veritas. In rerum univerſitate reperiuntur defectus tam phyſici, quam morales; defectus phyſici ad mala traduci non poſſunt, ſi ordo univerſitatis hujus rite perpendatur. Aſt defectuum moralium Deus auctor non eſt; & defectus illi nullam habent connexionem cum rerum creatione; creari quippe potuit Mundus, & revera ſine illis creatus eſt, cum defectus morales a deficiente Creatura rationali tantum procedant. Quamquam enim Deus hominem creaverit rectum & juſtum, creavit tamen liberum: iſtud quotidiana evincit experientia.

Qui

(1) *Interprétation de la Nature. Poeme ſur la Religion. Lettres juives Tom. II. Lettres Perſannes. Philoſophie du bon ſens. Traité de l'animal. Reflexions Philoſophiques. Livre de l'Eſprit.*

Qui ſunt igitur vani homines illi, qui ſpecioſo venerationis honorificentiſſimæ titulo erga Deum, detrectant Mundi, & proprium agnoſcere auctorem? Inſipientes ſunt, ſi arrogantia, eaque veteratoria incitati ſublimiora, ac inſcrutabilia Dei conſilia metiri, & explanare audent, cum innumera, quantumvis obvia & quaſi domeſtica, ſint illis nihilominus impervia.

Deus eſt, qui Cœlos Terraſque condidit, ac Numine ſuo implet, cujus ſapientiæ & ſcientiæ altitudo ſumma, cujus incomprehenſibilia judicia, viæque inveſtigabiles, cujus perplura opera nobis in rerum natura cœcutientibus videntur mala, etſi ut plurimum optima ſint.

Sed eſto, Artifex ille Supremus vel naturæ quaſdam aberrationes, vel creaturæ rationalis defectus aliquos permiſerit; quid inde abſurdi concludent increduli? Deus eſt, inquiunt, ſumme perfectus, atque id dubio procul. Verum, ut ſapientiſſime monet D. Auguſtinus Enchirid. ad Laur. 3. *Deus ... Cum ſumme bonus ſit, nullo modo fineret mali aliquid eſſe in operibus ſuis, niſi uſque adeo eſſet omnipotens & bonus, ut bene faceret etiam de malo.*

Deus igitur, omnis perfectionis pelagus, Ens puriſſimum, mala neutiquam approbat, ſed punit: ex iis nihilominus novit & bona elijcere, quia omnipotens & ſumme bonus.

Nec minus cultores perverſorum ac inſulſorum dogmatum ſunt Philoſophi illi, qui fabulantur mundum extitiſſe ab æterno. A quo enim hanc æternam ſortitus fuiſſet exiſtentiam? Non a ſe ipſo; alioquin eſſet Ens ſumme perfectum; quod enim a ſe ipſo exiſtit, nullis eget perfectionibus, ſed illas poſſidet omnes, cum ſit Ens ſumme perfectum: Mun-

dus porro ſecundùm vel ipſoſmet Philoſophos innumeris fere repletus eſt defectibus.

Nec etiam Mundus dici poteſt ſui ipſius cauſa propria; quia eo in caſu prior eſſet ſeipſo ſimul & poſterior, quod implicat prorſus: neceſſe ergo eſt, ut agnoſcat cauſam aliquam ſui productivam, ſicque productus eſt; nec proinde æternus, cum ratio recta nuſquam patiatur, ut quod ex non eſſe ad eſſe deducitur, æternum dicatur.

Creationis, imo & novitatis Mundi argumentum invictiſſimum ſane omnibus iis videbitur, qui attentum animum ad hæc non gravabuntur præbere, ſcilicet ad defectum hiſtoriarum, & monumentorum antiquorum ac authenticorum, ſimul & ad Artium recentem etiam adinventionem: neque enim hic ſufficiunt figmenta, & fabuloſæ commentationes.

Argutiores non habent oculos furfuris ejuſdem alij Philoſophi cùm garriunt vel materiam primam eſſe increatam, vel ex materiæ ejuſdem primæ molecularum complexione, vel demum ex Atomorum fortuitâ concurſione & adhæſione cætera exſurrexiſſe Entia.

Primum nec concedi, nec fieri poteſt. Si enim daretur talis materia increata, admittendum eſſet aliquod Ens a ſe, & ab Ente Supremo diſtinctum, quod nihilominus etſi eſſet a ſe ipſo, non eſſet tamen ſummè perfectum; ſiquidem tale Ens, ſeu talis materia, utpote omnium receptrix formarum, indigeret perfici a tali, vel aliâ formâ ad hoc, ut eſſet tale, aut tale Ens perfectum, quod penitus repugnat vel ipſi notioni Entis a ſe; cum Ens a ſe, ſeu ſummè perfectum omnes involvat perfectiones. Manet ergo, ut materia prima neceſſariò admittatur ab aliquo Ente Supremo creata & producta.

Ne-

Neque minus a veritate abhorret altera cavillatio. Nam moleculæ illæ materiæ primæ ſupponunt neceſſariò tum ſui, tum complexionis ſuæ, ex quâ reſultant Entia cætera, cauſam productivam: cùm enim materia prima componatur ex partibus, hæ partes eodem modo ſe habere debent ac ipſa materia prima, quæ nec a ſeipsâ eſt, nec actuoſa eſt, ſed iners & otioſa, quæ proinde neceſſariò arguit non ſolùm aliquam cauſam ſui productivam, ſed & cauſam motus ſui excitatricem; ſicque arguunt & ipſius moleculæ, utpote ab eâ non diſtinctæ.

Nec denique magis a fictione alienus eſt fortuitus Atomorum concurſus. Atomorum quippe concurſus ille, quem fingunt, neceſſariò requirit cauſam ſui productivam. Quæ porro, & qualis eſt iſta cauſa productiva? Non materia ipſa, utpote omnis motus expers. Non atomi ipſæ, cum actuoſiores materia minime ſint. Non atomorum gravitas; hæc quippe atomis interior eſt ac innata; atomi porro neceſſariò requirunt cauſam, quemadmodum & ipſa materia, ſui productivam; ergo & gravitas ipſa, quæ ad concurſum iners penitus eſt, niſi ab aliquâ cauſâ excitetur. Quænam porro hæc eſt, & ubinam gentium degit? Procul dubio in fictionis regione.

Enarrent nobis fabulatores illi quinam zephyri ſurſum & deorſum, huc illuc agitarint atomos illas, quomodo cæcus & temerarius atomorum concurſus Cœlum, Terram, & omnia, quæ in eis ſunt miranda efformare quiverit, dum hæc ipſa tam perſpicuè & manifeſtè Deum ſummè potentem & intelligentem annuntiant auctorem eſſe ſuum?

Dicant nobis cur ex illo atomorum concurſu fortuito exſurrexerint Cœlum, Terra, Mare & cætera potius, quàm urbes, porticus & domus; hæc quippe lon-

longe minus operoſa, ac multo faciliora. An fortaſſis, quia ventus per id temporis flans contrarius erat urbibus ædificandis?

Inventores ingrati & immemores! Nonne vel homo ipſe confitendi Omnipotentis, & auctoris ſui clariſſimum eſt argumentum? Humanum quippe corpus innumeris fere conſtat partibus, ita mirabili ſitu, proportione ac opportunitate efformatis ac diſpoſitis, ut Galenus ipſe, etſi antiquæ ſuperſtitionis ſectator, confeſſus fuerit non alium corporis humani poſſe auctorem eſſe, quam Deum.

Quantum ad ſpecioſum illud, quod adhuc effutiunt fabulatores illi, nempe: *ex nihilo nihil fit*; ſi autem Deus, inquiunt, auctor eſſet Creationis Mundi, jam Mundus ex nihili ſinu agnoſcendus eſſet eductus

At qui ita argumentantur, dimenſi-ne ſunt brachium Altiſſimi? Ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandavit, & creata ſunt. Cœlum, Terra, Mare, & omnia, quæ in eis ſunt ab Auſtro, ab Aquilone clamant: quis ignorat, quod nos fecerit manus Altiſſimi?

Equidem quod repugnat ſive ex parte ſui, ſive ex parte Omnipotentiæ divinæ ex nihili ſinu educi nequit. Sic quamquam Deus omnipotens ſit, facere tamen nequit, ut quæ facta ſunt, facta non ſint; quia iſtud repugnat ex parte ſui. Sic quoque Deus falli, aut fallere non poteſt; quia iſtud repugnat ex parte Dei ſumme veracis. Verum ſequitur-ne exinde Deum haud poſſe ex nihili ſinu educere quod neutro repugnat modo?

Notandum, falſo habitos hujus ævi Philoſophos etſi palpent in tenebris, etſi, quaſi ebrij, diverſas videantur carpere vias, etſi nomen habeant, quo phi-

philoſophentur, etſi vel ab ipſa ratione recta prorſus deflectant, omnes tamen ad unum & idem currere bravium, nempe ad irreligionem, & ad omnia, quæ ad irreligionem tendunt. Iſtud invictè teſtantur nefanda illorum opera.

## SECTIO II.

### *De Providentia Divina.*

Deus quæcumque ab initio condidit, ea in omni ſtatu, & modo, quo exiſtunt, conſervat, ac proinde res omnes creatas providentia ſua tuetur, regit & gubernat. Quare Providentia Divina recte definiri poteſt.

Æterna Dei Creatoris diſpoſitio, & ratio, qua ſingula in ſuos fines peculiares, & omnia ſimul in finem univerſalem, ſcilicet ad Dei ipſiuſmet gloriam, ordinantur ac diriguntur.

Diverſo tamen modo mentes & corpora diriguntur: mentes quidem libere; corpora vero ſecundum leges ab ipſo Creatore præſcriptas, quæ infringi haud poſſunt.

Providentiam Divinam negarunt inter veteres falſorum Numinum cultores Philoſophi, Democritus, Epicurus, Heraclitus, Empedocles, & quotquot ferream quamdam ex ſyderum influxu neceſſitatem, quæ fatum dicebatur, tum animis, tum corporibus inferri putabant; quin & Tullius ipſe, qui ut homines faceret liberos, fecit ſacrilegos, divinam rejecit Providentiam, quam una cum libertate conciliare non valebat.

Parum illis diſſimiles recentiores Philoſophi Providentiam Deo Creatori denegare non erubeſcunt.

Spe-

Specioſa, ac impia ratio hæc ipſis eſt: quia Mundi Auctorem continuis implicari negotiis, utpote nonniſi levis momenti, nec decet, nec convenit.

Item, quia Deus ea prævidere nequit, quæ à cauſis pendent prorſus liberis.

Item denique, quia admiſsâ Providentiâ divinâ tollatur homini libertas neceſſe eſt. Ita vel ipſe Cicero, cujus placitum, inquiunt, favet Religioni, utpote Alcorano conforme, habendumque tamquam prima veritas à Moyſe tradita (1)

Verùm mentitur hic inquitas ſibi. Priùs Deum Mundi Auctorem eſſe negabant eo quod Ens eſſet perfectiſſimum, Mundus verò Ens imperfectum: nunc autem Deum Mundi fatentur eſſe Creatorem, at Mundo negant Providentiam. Sic vaniſſimi effecti, & evaneſcentes in cogitationibus ſuis ajunt quemadmodum olim impij alij apud Tob. 11. *Nubes latibulum ejus, nec noſtra conſiderat.*

Deum equidem noſtra conſiderare, ac Orbi univerſo providere hominum more, nec decet, nec dicere licet. Deus Spiritus eſt, & omnium perfectiſſimus, & omnium ſimpliciſſimus, atque perfectionum omnium fons, & origo, & pelagus infinitum, ac proinde nec cogitat, nec agit, nec providet ut homo. Quare cum ſæpe ac ſæpius quidem Deo attributa leguntur, quæ hominis ſunt propria, ut cùm dicitur: *tactus dolore* &c. iſthæc omnia figuratè ſunt intelligenda, quatenus ſcilicet, pro noſtrâ infirmitate, noſtro accommodata ſunt agendi modo. Etenim: *nunquid*, ajebat Tob. 10. *oculi carnei tibi ſunt, aut ſicut videt homo, & tu videbis?*

Quod

(1) *Telliamed. Lettres Perſannes. Encyclopedie.* mot. *Ariſtote.*

Quod etiam paucis, ac eleganter reddit Auguſtinus lib. 12. de Civit. his verbis: *amas, nec æſtuas; zelas, & ſecurus es; pœnitet te, & non doles; iraſceris, & tranquillus es; opera mutas, nec mutas conſilium*.

Aſt Divinam rejicere Providentiam, quia, eâ admiſsâ, Deus continuis jam dicendus foret implicatus negotiis pro rerum conſervatione, argumentum eſt nullius fere momenti, & fallax ac fucata prorſus Entis Supremi veneratio, ut novæ attexantur in Deum voces contumelioſæ.

Nam Deus non cogitat, nec videt ut homo, nec etiam operatur in commotione. Dei virtus Cœlum & terram implens nec terminis circumſcribitur, nec locis continetur, nec temporibus ſubditur, nec labore frangitur, nec curis, nec ſollicitudinibus defatigatur. Sine quantitate virtus hæc divina ſumma eſt; ſine qualitate optima eſt, omnipotens, ubique operans & præſidens, quia ipſa Deus eſt, & Deus ipſa. Arctus hic nimium ſenſus noſter agnoſcatur, ingeniumque nimis hebes. Os igitur falſi hujuſcemodi Philoſophi ſit mutum. Nunquid Philoſophia recentior Ethnicæ cæcutientis hæres *veſtigia Dei comprehendet, & uſque ad perfectum Omnipotentem reperiet?* ut ait Tob. 7. Iſti ſpecietenus adoratores Entis ſupremi fucum faciunt, dum aſſerunt, curam de Creaturis omnibus *Ens* Supremum nequaquam decere. Ratio autem ipſis eſt 1. quia Creaturæ univerſæ levioris ſunt momenti. 2. quia quæ a cauſis pendent liberis, ea nota Deo eſſe nequeunt. 3. Quia Deus Proviſor Mundi agnoſci non poteſt, quin hominis tollatur libertas.

At quàm inanes Philoſophi illi, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei? Nunquid in diſquiſitione ſaga-

ciori

ciori, in ſtatera juſtiori, & oculo perſpicaciori appreciantes appreciavere opera Excelſi? Perſuaſumne habent arbitratu humano perpendenda eſſe magna & mirabilia, quæ fecit Deus? Si ita eſt, dicant nobis cœleſtium & terrenorum, viſibilium & inviſibilium pretium & valorem, ut perſpicuum habeatur iſthæc non levioris eſſet momenti. Si certo judicaverint, ſi certo demonſtrarint, complebunt dies ſuos in ſcientia deſurſum, & opera ſua in gloria; ſin ſecus, ſuperbia, impietas & irreligio duces eorum, & conſumentur in ſtultitia: *quis operatur*, ajebat Ambroſius lib. de officiis, *& negligat operis ſui curam? Quis deſerat, & deſtituat quod ipſe condendum putavit? Si injuria eſt regere, nonne major injuria eſt feciſſe, cum aliquid non feciſſe, nulla injuſtitia ſit, non curare quod feceris, ſumma inclementia?*

Et vero omnia incredulis divinam probare debent Providentiam. Conſtans enim, & perpetuus rerum ordo, elementorum fixa ſedes, definita ſyderum converſio, tempeſtatum æquabilis ſucceſſio, innata unicuique Divinitatis idea luce clarius hoc demonſtrat. Nam Divinitas concipi non poteſt exiſtens & exſtans, quin concipiatur & providens; atque inde Lactantius Epicureum urgens ajebat: *Quid repugnantius dici poſſit, non video; etenim ſi eſt Deus, utique providens eſt Deus; nec aliter ei poteſt Divinitas attribui, niſi & præterita teneat, & præſentia ſciat, & futura proſpiciat. Cum igitur Providentiam ſuſtulit, etiam Deum negavit eſſe; cum autem Deum eſſe perſuaſus eſt, & Providentiam ſimul eſſe conceſſit; alterum enim ſine altero nec eſſe prorſus, nec intelligi poteſt.*

Quare autem alterum ſine altero eſſe nequit? Quia Deus eſt Ens perfectiſſimum, Ens omnium ſupre-

premum; ac proinde Ens infinita præditum ſcientia, qua novit omnia; bonitate, qua omnibus prout vult ſeſe communicat; juſtitia, qua in ordine continet omnia; omnipotentia, qua creat cuncta ſive viſibilia, ſive inviſibilia, eaque regit, & conſervat.

Ad hæc attendant increduli, qui Divinitatem confiteri ſe jactantes, eam tamen negant providentem, eam tamen in Cœli Regia otioſe ſedentem ac regnantem aſſerunt, illamque opinionibus his minime cohærentibus laceſſere non deſinunt.

Verum quis mollia hæc otia Epicureorum Sectæ patefecit? Non Deus, ut patet ex mox dictis, cum ei cura ſit de omnibus; non Cœli Cœlorum indicarunt, nec terra, aut mare, neque etiam omnia, quæ in eis ſunt; hæc quippe cuncta uno quaſi ore enarrant, conclamantque: quis ignorat, quod omnia hæc fecerit manus Domini? Quod in ipſo moveamur, vivamus, & ſimus?

Neque etiam otia illa indicare poſſunt ſeu mala, ſeu aberrationes naturæ, ſeu Creaturæ rationalis defectiones. Etſi enim mala hæc moralia non ſubijciantur divinæ Providentiæ eo ſenſu, quod Deus ea provideat, eorumque ſit cauſa; ſubjiciuntur tamen eo ſenſu, quod Deus ex eis noverit eruere bonum aliquod: quare cum defectiones illæ recedunt ab uno ordine Providentiæ divinæ, in alium incidunt. *Vos cogitaſtis de me malum*, ajebat Joſephus ad Fratres ſuos, *ſed Deus vertit illud in bonum*.

Falſo opinata hæc Altiſſimi otia mollia adinventa fuere a corruptela & depravatione eorum, qui ſuperiorem aliquem judicem, & criminum ſuorum ultorem agnoſcere reformidarunt, & reformidant, ne hac importuna cognitione inter peccati illecebras turbarentur, & turbentur adhuc: *impoſuiſtis*, ajebat

Vel-

Vellejus Epicureus divinam impugnans Providentiam; *in cervicibus noſtris ſempiternum Dominum, quem dies & noctes timeremus: quis enim non timeat omnia providentem, & cogitantem, & animadvertentem & omnia ad ſe pertinere putantem, curioſum, & plenum negotii Deum?* Tullius lib. de natur. Deorum.

Nec minus impias in Deum voces emittunt Philoſophi iidem aſſerentes; quæ a cauſis pendent liberis, ea a Deo non prævideri; nec divinam Providentiam cum hominis libertate conciliari poſſe.

Deus enim, ipſiſmet fatentibus, Ens eſt perfectiſſimum; ergo & perfectiſſima ejus ſcientia; ergo nullis circumſcripta terminis: nihil quippe Deo magis indignum ac repugnans, quàm fingere illam ad omnia cognoſcibilia, qualia ſunt etiam liberè futura, non ex æquo ferri; neque etiam iſtud conciliari poteſt cum Idea Entis perfectiſſimi, ſummâ veritate, ſummâ mentis atque intelligentiæ perſpicacitate præditi; cujus ſcientia, utpote infinita, ac omnia comprehendens, omnia etiam ſupergreditur tempora; cui nec præteritum eſt quidquam, nec futurum, ſed omnia præſentia. Hic inſulſa ſua jactitent hi Philoſophi ratiocinia.

Decipiuntur etiam, cum inquiunt, Providentiam divinam unà cum hominis libertate conſociari haud poſſe. Providentia enim eadem in ſe eſt cum præſcientiâ, ſeu potius ſcientiâ Dei; hæc porro hominis libertati nullo officit modo. Sicut igitur præſcientia divina nullam rebus prævifis imponit neceſſitatem, ita nec Providentia. Deus ſic adminiſtrat moderaturque omnia, quæ creavit, ut ea proprios exercere motus ſinat. Deus condidit hominem liberum, reliquit illum in manu conſilii ſui; Deus adjecit præcepta & mandata; appoſuit homini ignem

&

& aquam, ut, quod ei placuerit, detur illi; Deus prævidit hunc, vel illum ſalvandum; ſalvabitur, quia Deus, qui nec fallere, nec falli poteſt, prænovit hominem illum porrecturum eſſe manum ad opera bona, etiam cum morte conjungenda, ſicque ſalvabitur neceſſitate conſequente bona illius opera; minimè verò orta ex Dei præſcientiâ, aut Providentiâ.

Inſiſtent incredulorum nonnulli. Si Deus futura hominis mala opera præſcivit, quare, cùm potens ſit, ea non impedivit? Verùm quis Dei conſiliarius fuit? Deus, ut modò obſervavimus, creavit hominem rectum, reliquit illum in manu conſilii ſui, ut meriti ac demeriti, præmij, vel ſupplicij eſſet capax; Deus ex malo etiam novit eruere bonum: quod enim recedere videtur à divinâ voluntate ſecundùm unum ordinem, relabitur in ipſam ſecundùm ordinem alterum.

Deiſtarum plures, ne dicam omnes, Deum præſcium, ac Mundo providentem negant, ut libertati faveant; at favent in ſpeciem, cùm reipsâ veræ libertatis, religionis, civiliſque regiminis hoſtes ſint infenſiſſimi, & pro virili enitantur, ut effuſa liberè erumpat omnis corruptelæ audacia. Placita ſua, eaque nefanda Alcorano jactant conformia; verùm ſi ipſas Mahumeticas regiones incolerent, eaſque ſic illuminarent, non dubitanter ſub diſtricto gladio grates conſequerentur, & prœmia, eaque amariſſima.

## SECTIO III.

### *De Hominis Origine.*

HOmo tum corpore, tum mente confitendæ originis ſuæ nonniſi de manu Omnipotentis ductæ

 cla-

clariſſimum eſt argumentum. Corpore quidem; humanum quippe corpus innumeris ferè conſtat partibus, ita à Deo mirabili ſitu, proportione & opportunitate efformatis, ut non alium, his omnibus perpenſis, quàm Deum corporis ſui auctorem eſſe poſſe, fateri cogatur. Mente verò: quia hominis anima quaſi Divinitatis portio eſt excellentiſſima; intellectu, voluntate, & libertate prædita eſt; liberè vult, intelligit, & recordatur res penè innumeras, res loco etiam maximè diſſitas, & à materiâ prorſus ſecretas. Quare Ariſtoteles ipſe non dubitavit eam vocare divinam. Et profectò cujus opus eſſe poteſt, niſi manus Omnipotentis?

Inter veteres Philoſophos nihilominus, doctrinæ divinioris expertes, Anaximander hominem primùm ex animalibus aſſeruit ducere ortum; inter recentiores verò ſi non omnes, ſaltem plures ſe perſpicaciores venditantes, ſic aperiunt os ſuum.

Philoſophi putarunt ſibi licere conjectari, atque etiam aſſerere, generis animalis fœtum in materiæ primæ ſinu ab æterno extitiſſe deliteſcentem, ſenſimque motum acquiſiviſſe, poſtea evolutum fuiſſe, ac tandem ſucceſſione continuatâ ſenſus, animi motus, propenſiones, guſtus diverſos, ideas, geſtus, linguam, ſonos articulatos, ſcientias, leges, & artes adeptum fuiſſe.

Originem eamdem cæteris animalibus fuiſſe communem tradunt. Neque enim ad credendum difficile putant primò animal unicum extitiſſe, quod deinceps per quamdam metamorphoſim in varias abierit formas; ratione autem metamorphoſis (1) ejuſdem

(1) *Interprétation de la nature. La Métrie. Syſteme d' Epicure.*

dem ex animalium commixtione hominem tandem prodiiſſe.

Etſi illorum nonnulli non ita delirare videantur, imò interdùm critico, eoque alterno ſe dente carpant; nullus tamen pro rei veritate reperietur, qui alienus ab impiis fabulationibus ſit, quas ab Ethnicis Philoſophis plagiarij mutuantur, ut luctuoſa illa revocent tempora.

Jam probavimus materiæ æternæ fabuloſam eſſe exiſtentiam. Nam ſi daretur materia talis æterna, admittendum eſſet aliquod Ens à ſe exiſtens ab æterno, & tamen ab Ente ſupremo diſtinctum, quod Ens à ſe foret nihilominus imperfectum; ſiquidem Ens iſtud, qualis ſupponitur materia prima, quæ omnium formarum eſt receptiva, deberet perfici ab aliqua forma ad hoc ut eſſet tale Ens perfectum. At vero illud Ens quod eſt à ſe, perfectiſſimum eſt: ſcilicet, notio Entis à ſe id neceſſariò indicat, atque includit.

Idea & notio materiæ primæ indicat pariter ac repræſentat non materiæ ejuſdem falsò aſſumptam æternitatem, ſed ejus extenſionem, & diſpoſitionem ad quas libet formas, ſeu modificationes recipiendas; porro in hypotheſi adverſariorum ruit funditus illa materiæ primæ notio. Si enim hominis fœtus ab æterno in materiæ ſinu delituit, unà cum ſuâ formâ ſanè delituit, alioqui non fœtus ille, ſed pura, ac ſimplex materia ibidem fuiſſet.

Commentum pariter eſt hominis fœtum ſenſim accepiſſe motum, ſicque evolutum fuiſſe: à quo enim hunc motum in ſinu materiæ deliteſcens accepiſſet? Non à materiâ ipsâ, quia iners prorſus eſt, ac otioſa, ſicque omnis motûs expers: neque etiam fœ-

tus ille à ſe ipſo motum ſortitus eſt ; alioquin ſe ipſo fuiſſet prior : neque demùm fœtus iſte motum accipere potuit à gravitate atomorum ſibi invicem fortuitò adhærentium, prout juxta aliquos ſomniavit Epicurus. Si enim ita eſt, Philoſophus ille oblitus eſt indicare quid ſibi vellet, & unde orta eſſet gravitas iſta atomorum, an materiæ pars, an qualitas ſolùm; an materialis, nec ne; an deorſum tendens tantùm, an etiam ſurſum, ratione corporum deſuper etiam exiſtentium, ac reſultantium ex concurſu fortuito atomorum, juxta Epicurum eumdem.

Ediſſerant igitur Philoſophi illi audaciores naturam commentitiæ iſtius ac fictæ gravitatis, vel meliùs, ac rectiùs ſe eam prorſus ignorare fateantur.

In fabulis quoque attexendis toti ſunt, cùm ajunt creditu haud difficile eſſe, unicum primò extitiſſe animal, illudque tamquam prototypum fuiſſe. Etenim facilè quidem commentantur & fingunt, at in rationibus, & momentis afferendis deficiunt: neque enim certò indicare, nedum probare, valent animalis iſtius prototypi principium & cauſam. Nec mirum: cauſà enim metamorphoſis cujuſdam ex animalium commixtione procreati, jumentis origine & naturâ ſimiles facti non rationes venantur, ſed voluptates; jugum dominationis omne dedignati, oculos in terram habentes defixos, eoſdem vel ab ipsâ ratione rectâ declinant, ne, eâ duce, omnium, & ſuum agnoſcant auctorem.

Meminerint tamen ſic terrena ſolùm ſapientes, ſic deliria ab Anaximandro mutuantes, oblitos fuiſſe ab eodem Anaximandro inquirere, quæ & qualis fuerit Nutrix hominis ſic primò procreati ex commixtione animalium, & quibus auxiliis ad ubera fuerit admotus. Lac enim ſugendum illi fuit.

In-

Interim ſecum ipſi reputent, quod omnia ſive cœleſtia, ſive terrena nobis dicunt: unus eſt Deus, unus Omnipotens omnium Creator, unus Spiritus Supremus, qui cuncta regit & moderatur, qui, teſtantibus vel ipſis animæ rationalis operationibus, hominem fecit ad imaginem ſuam, inſpiravitque in faciem ejus ſpiraculum vitæ.

## SECTIO IV.

### *De Spiritualitate Animæ rationalis.*

OBſervandum hic obiter nomine corporis non ſemper intelligi ſubſtantiam extenſam, diviſibilem, & figuratam; ſed quandoque etiam ab nonnullis intelligi quidquid exiſtit, aut ſaltem quidquid eſt, & Deus non eſt. Ita annotat Divus Auguſtinus ratione enunciationis aliquorum Doctorum eveniſſe, ut cùm Animam à divinitate ſecernere vellent, etſi ſpiritualem confiterentur, eam tamen dixerint corpus.

Porrò non ſolùm SS. Patres toti ſemper fuêre, ut probarent contra Ethnicos, Epicureos & impios hominis Animam eſſe Spiritum verè, ac propriè dictum; ſed & ipſos inter Ethnicos plures idem ſenſerunt. *Noſtri alterum corpus eſt*, inquit Plato, *alterum Anima: corpus quidem viſibile, Anima verò inviſibilis eſt. Quando corpus utitur, tunc à corpore trahitur ad hæc, quæ nunquam eodem modo ſe habent; fit, ut erret, turbetur, & quaſi temulenta deficiat; quando autem per ſe ipſam aliquid conſiderat, tunc ad immortale .... eodem modo ſemper ſe habens erigit, & quaſi emanatio quædam ejus ad illud redit.*

Quæ latiùs exponit vel ipſe Porphyrius, dicens; *Firmam certamque rationem eam Plato putavit, quæ à ſimilitudine aliquorum vim accepit; nam ſi Deo immortali ſimilis Anima eſt, quomodò etiam ipſa, ſicut exemplar ſuum, immortalis non erit? Euſeb. lib.* 11. Porro Anima immortalis eſſe nequit, quin ſubſtantia ſit ſpiritualis, quatenus hæc interire non poteſt neque per diſſolutionem partium, cùm nullas habeat; neque per corruptionem ſubjecti, quia eſſentialiter non pendet à ſubjecto; neque demum defectu cauſæ conſervantis, cùm cauſam habeat conſervatricem, eamque defectibus prorſus carentem, nempe Deum.

*Anima*, inquit Seneca, *eſt ſpiritus intellectualis ad beatitudinem in ſe, & in corpore ordinatus*. Recenti more tamen Philoſophi in opprobrium & dedecus propriæ naturæ & rationis, opere & mente facti materialiſtæ, Animam humanam aſſerunt ab ipsâ non diſtingui materiâ: vivens, animatum, cogitans, iſthæc omnia, illorum judicio, materiæ habentur proprietates: Corpus ſum, cogito; iſtud ſcio, mihi ſatis eſt. Quæ de mentis humanæ ſubſtantiâ aliter ſenſerunt antiquitùs Philoſophi ſapientiores, ſicut & Patres, ea nonniſi mera fuere commenta. (1)

Etſi adversùs mortales terrena ſolùm ſapientes & brutis ſe comparantes, colluctatio habeatur, ipſa nihilominus ratione ducti, ut decet, aliter rectèque ſentientes dicimus principium cogitans, volens, reflectens, judicans &c. in homine, ſcilicet Animam, ab omnibus admitti. Anima enim in memoriam revocat præterita etiam abſtracta ab omni materiâ; me-

(1) *Hiſtoire de l'Ame. Lettres Philoſophiques. Encyclopedie mot Ame. Diſcours de la vie heureus. Livre de l'eſprit.*

meminit abſentium; de illis diverſos habet ſermones, fert judicia quoque diverſa; præſcindit à materiâ & ſingularitate; modificationes diſtinguit à ſubjecto; rationes ſibi comparat univerſales; ultra quaslibet extenſiones, & durationis metas ſe extendit; in ſe ipſam, in ſuas reflectit modificationes; ſuas liberè cudit ideas, illas voce, ſcripto manifeſtat & nutibus, vel etiam pro arbitratu eas tacet: ſpiritualia attingit, virtutèm, juſtitiam & pietatem; à terrenis ſe amolitur, ut quaſi emanatio quædam Divinitatis ad Ens ſupremum & immortale ſe erigat; imò quandoque etiam inveſtigabiles vias ejus curioſe nimis ſcrutari attentat. Operationes porro tales, ſicut & innumeræ aliæ indicantnè quæ dixerunt Ss. Patres, & Philoſophi antiquitùs de ſpiritualitate Animæ humanæ, ea mera fuiſſe commenta?

Et quidem ſi effatum iſtud: corpus ſum, & cogito, eſſet verum; ſi intelligens, volens, judicans, ratiocinans, præſcindens, imo & ſpiritualia attingens, nonniſi materiæ forent modificationes, cogitatio, quemadmodum & aliæ mentis operationes extenſæ eſſent, ſicut extenſa eſt materia; ad diviſionem materiæ dividerentur, quod repugnat prorſus; aut enim v. g. nullatenus ponitur cogitatio, aut ſi ponatur, tota ſimul ponitur.

Inſuper principium harum operationum eſt activum; judicium enim fit, aſſerendo ideam unam convenire cum ideâ aliâ, aut negando convenire; ratiocinium verò fit comparando judicium unum cum judicio altero, ope ſcilicet judicii tertii. Præterea principium iſtud prorſus eſt liberum; mens quippe humana domina eſt amoris, vel averſionis objectorum; modò plus, modò minus ad ea fertur pro ſuâ arbitrii libertate. Ad hæc autem omnia obeunda uti-

que inepta eſt materia, utpote iners, otioſa, & merè paſſiva; nec aptiores ſunt materiæ ejuſdem partes ſubtiliores, ut quidam fabulantur; partes enim ſubtiliores illæ ipſa ſunt ſemper materia, nec ab eâ diſtinguntur.

Verùm, inquiunt, Anima ſuis in operationibus dependet ab impreſſionibus corporeis: dantur Animæ aliæ aliis ſagaciores ac ſubtiliores; quæ momenta procul dubio indicant Animam non diſtingui à partibus materiæ ſaltem ſubtilioribus.

Verùm hæc nonniſi ſpecioſa ſunt ſeductionis momenta. Ultrò fatemur hominem commune habere eſſe cum lapidibus, vivere cum arboribus, ſentire cum animalibus; aſt commune etiam habere cum Angelis intelligere. Equidem Anima variis in operationibus ſuis dependet ab impreſſionibus, & affectionibus corporis; at minimè dependet in omnibus; plurimæ enim ſunt Animæ operationes prorſus ab affectionibus corporis independentes, ut cùm mens objecta attingit immaterialia, immaterialique modo, qualia ſunt objecta v. g. rationes Entium genericæ, ac univerſaliſſimæ, quas rationes mens judicans, reflectens & præſcindens a ſingularitate, attingit, ſicque attingit immaterialia, & modo prorſus immateriali. Nemo autem ſanæ mentis iſthæc materiæ, vel illius partibus adſcribet ſubtilioribus, cùm materia ſit, ſicut etiam ejus partes, iners ac otioſa. Dependentia porro Animæ à corpore variis in operationibus ſuis probat quidem utriuſque conjunctionem, at minimè ſubſtantiæ identitatem.

Quòd verò dentur mentes aliæ aliis ſubtiliores, & ſagaciores, iſtud pariter manifeſtat quidem mentes illas plura cogitare & ſubtilius, ratione diſpoſitionis organorum, à quâ mens etiam dependet pluri-

ri-

ribus in operationibus ſuis ; at minimè probat illud ; cogitationes illas produci à partibus materiæ ſubtilioribus , cùm hæ , ſicut & materia , ſint inertes , ut diximus , prorſus & otioſæ .

Sancti Patres , & nonnulli ex antiquis Philoſophis , prælucente certâ ratione , ſublimes mentis humanæ operationes meditati , intùs intimèque convicti , operationes has nonniſi à principio materiâ longè ſublimiori proficiſci poſſe , hominis Animam ut mentis æternæ emanationem quamdam profeſſi ſunt , & crediderunt . Materialiſtæ verò fingentes animal unicum primitùs extitiſſe , illudque prototypum , quod per metamorphoſim in varias ſubinde abierit formas ; ratione autem hujuſce metamorphoſis hominem ex animalium commixtione tandem procreatum fuiſſe , concludunt , vivens , animatum & cogitans nonniſi materiæ modificationes eſſe . Utra , quæſo , verior eſt ex his opinionibus ?

## SECTIO V.

### *De Animæ rationalis immortalitate* .

Animam hominis immortalem eſſe demonſtrat, ipſius ſpiritualitas ; nam ſubſtantia ſpiritualis interire nullo modo poteſt : non per diſſolutionem partium , cùm nullas habeat partes ; non per corruptionem ſubjecti , quia non dependet eſſentialiter à ſubjecto ; non per contrarium , quia ſubſtantiæ præſertim ſpiritali nihil habetur contrarium . *Si Deo immortali ſimilis anima eſt , quomodò etiam ipſa , ſicut exemplar ſuum , immortalis non erit ? . . . . nam ſi ſimilis Deo Anima eſt , quid opus eſt pluribus verbis ad demonſtrandam immortalitatem ejus ? Non enim divinis*

*nis operationibus uteretur, niſi etiam ipſa divina eſſet.* Ita Plato apud Porphyrium. Euſeb. lib. 11.

Materialiſtæ hominis Animam interire unà cum corpore pronuntiant; ſicque poſt hanc vitam ſublatâ virtuti imponendâ à juſto Judice coronâ, ſublatis pariter poenis vitio infligendis, omne tollunt ad virtutem incitamentum, & ad omnia flagitia ſecuram ſternunt viam.

Anteactis, inquiunt, ſeculis totius Entis noſtri deſtructio in morte, tamquam inconcuſſa veritas habebatur ab omnibus Philoſophis. Cùm autem ſeculo noſtro, adhùc luminoſiori, longè perfectiùs nota ſit natura; innumeris modò rationibus probatur unicam omnium eſſe vitam: quare Principis jura dantis, ſubditi imperio parentis, & moloſſi fidelis in Dominum unus idemque interitus eſt. Neque homo aliter à cane diſcernitur niſi quoad magis & minùs; & quotieſcumque homo ſagacior pecude videtur aliquibus in operationibus, iſtud evenit ratione ſolùm majoris experientiæ, quatenus hominis vita eſt longior.

Pecudes ſua habent idiomata, intelligunt & noſtra. Si quandoque illorum idiomata non intelligimus, eo in caſu habeantur tamquam alienigenæ reſpectu noſtri. Quod autem loco pedum manus ſint nobis, id probat hominem pluribus indigere, quàm pecudes. In ſtatu primitivo vita omnium una erat, & prorſus eadem; nec etiam per id temporis elegantius erat hominum idioma, quàm pecudum. (1)

Hæc

(1) *Lettres Philoſophiques. diſcours de la vie heureuſe. Preface de la Metrie. Livre de l'Eſprit. Encyclopedie mot: Ame. L'homme plante. Traité de l'inégalité des hommes.*

Hæc ſunt portenta; quæ in exitioſis horrendiſque ſuis moliuntur operibus, ut omne ſocietatis vinculum diſſolvant, imperia perturbent, & omnia miſceant.

Verùm 1. mendacii probrum ipſimet ſibi ingerunt. Anteactis, inquiunt, ſeculis totius Entis noſtri deſtructio in morte tamquam inconcuſſa veritas habebatur ab omnibus Philoſophis; negantes autem Animæ humanæ ſpiritualitatem dixerunt, Philoſophos aliter antiquitùs ſentientes nonniſi mera tradidiſſe commenta; at Philoſophi illi hominis Animam admittere non potuerunt ſpiritualem quin admitterent & immortalem; cùm ſubſtantia ſpiritalis, ſeu Spiritus, principium non habeat deſtructivum ſui, prout jam probatum fuit.

*Firmam certamque rationem*, ait Porphyrius in 1. ad Boethum, *eam Plato putavit, quæ ſimilitudine aliquorum vim accipit. Nam ſi Deo immortali ſimilis Anima eſt, quomodò etiam ipſa, ſicut exemplar ſuum, immortalis non erit? ...; nam etſi cum caduco mortalique corpore defoſſa ſit, continet tamen, & vivificat illud, divinam ſuam oſtendens ſubſtantiam, nec corpus eam omninò deficere poteſt; quomodò enim ſi è corpore liberabitur aurea ſua ſpecies præfulget? Mortalis autem videtur, quia corpori conjungitur, & ita mortalibus ſimilis eſt; homo enim eſt, qui ventri, ſicut pecora, deditus eſt; homo autem in mari à periculis gubernando liberat, morbis affert remedia, veritatem rerum perſcrutatur, inſtrumenta fabricatus eſt, quibus cæleſtium corporum motus deprehendere potuit; quæ divinæ, atque immortalis mentis ſunt argumenta; quamvis multi voluptatis deliniti illecebris mortalem eam putaverunt, ex his quæ videntur extrinſecùs ratiocinantes.*

Iſta

Iſta audiant, ad hæc attendant materialiſtæ. Is quippe verus eſt Philoſophus juxta Platonem, qui eam ſectatur Philoſophiam, quæ Animam inviſibilem, atque immortalem eſſe affirmat.

*Maximum argumentum eſt*, ait Tullius lib. 1. Tuſc. *naturam ipſam de immortalitate animorum tacitam judicare, quod omnibus curæ ſunt, & maximè quidem, quæ poſt mortem futura ſunt*. Deindè commemorat quæ à viris cordatis ratione vitæ futuræ geruntur, atque Philoſophorum aliorum auctoritatem eleganter exponit. Demum ibidem ait: *Permanere animos arbitramur conſenſu omnium nationum . . . auctoritatibus quidem ad iſtam ſententiam uti optimis poſſumus. Primum quidem omni antiquitate, quæ quo propiùs ab ortu aberat & divinâ progenie, & hoc melius fortaſſe quæ vera erant cernebat. Omni autem in re conſenſio omnium gentium lex naturæ putanda eſt.*

*Multum dare ſolemus*, inquit Seneca Epiſt. 117. *præſumptioni hominum omnium: apud nos veritatis argumentum eſt aliquid omnibus videri. Cùm de animarum æternitate diſſerimus non leve momentum apud nos habet conſenſus hominum aut timentium inferos, aut colentium Deos.*

Indicantne iſta ut inconcuſſam veritatem ab omnibus Philoſophis habitam fuiſſe totius Entis noſtri in morte deſtructionem? Nonnulli equidem vani antiquitùs Philoſophi aut fucatâ ducti gloriâ, aut voluptatis deliniti illecebris Animam hominis dixerunt mortalem. Verùm iſtud dixere rationi ac intimo ſenſui prorſus obſurdeſcentes: ratio enim recta ſuperioribus Animæ commota operationibus, eam nonniſi ſpiritualem agnoſcit, proinde & immortalem. Etenim quælibet res per ſuas proprietates & functiones ſe prodit.

Per

Per ſenſum verò intimum Anima ſe ipſam cognoſcit, ideam ſui ipſius ab ideâ corporis ſui longè diverſam eſſe animadvertit; ſibi conſcia eſt ſe cogitare, loqui, terreſtria examinare, cœleſtia contemplari & meditari. Hinc indubitatè profecta eſt omnium quotquot fuere, atque ſunt, ſanæ mentis hominum conſenſio una, quam conſenſionem Tullius dicit immortalitatis Animæ argumentum maximum.

Materialiſtæ verò, quamvis ab Anaximandro fabuloſam hominis originem, ex animalium ſcilicet commixtione petitam mutuati ſint; quamvis à ſectis Epicureorum & Cynicorum, omnis corruptelæ magiſtris edocti fuerint totius Entis noſtri in morte deſtructionem; jactanter nihilominus ſuum dicunt ſeculum anteactis ſeculis luminoſius, quatenus hominis natura longe perfectius modò nota eſt.

Equidem veteres materialiſtæ illi Animam haud corpori ſuperſtitem eſſe putaverunt; hi verò Epicurei recentiores unicam aſſerunt eſſe vitam, unicamque dari felicitatem; atque hinc concludunt his ſententiis: ſapiens habeatur ille, qui parùm de futuro ſollicitus fruitur bonis præſentibus, cùm Principis jura dantis & leges, ſubditi parentis imperio, & moloſſi ſuo Domino fidelis, unus idemque ſit interitus. In quo igitur ſeculum illorum luminoſius eſt, niſi in perverſitate?

Monſtroſi hujuſce dogmatis aſſerendi ratio *ipſis* eſt, quia, inquiunt, duæ ſolùm ſive in homine, ſive in pecude deprehenduntur facultates, ſenſus ſcilicet phyſicus, & memoria: percutiatur homo; ſentit, & percuſſionis reminiſcitur; operationes eaſdem præſtat canis.

Homo equidem ſentit, & reminiſcitur eo in caſu, & moloſſus pariter, quia homo conſtat corpo-

re

re & Animâ, at non Animâ ſolùm ſentiente, ut canis; ſed animâ ſentiente, cogitante, & quæ vult ea liberè volente, & agente. Homo percuſſionis recordatur; ſed præterea ratiocinatur circa percuſſionis cauſam, circa percuſſionis gravitatem, cæteraſque alias circumſtantias; de vindictâ repetendâ, vel non repetendâ dijudicat; quas etiam de rebus ſpiritualibus cuderat ideas, illarum liberè reminiſcitur. Taleſne præſtat canis operationes? Canis equidem attingit objecta corporea, ut ſenſibilia, illorumque recordatur, ſed præcisè ut ſenſibilium; documenta ſæpius repetita tenet memoriâ, ſed ſolùm ſenſitivâ: neque enim perpendit operationes ſuas ut tales, aut ut talium recordatur, cùm operationes ut tales à ſenſuum commercio ſint prorſus remotæ, utpote inſenſibiles.

Et reverâ quid abſurdius fingi poteſt, quàm eaſdem omnes, quas habet homo facultates, illas & pecudibus facere communes? Quid inſulſius, quàm moloſſo, eam ingenij tribuere vim, & aciem, quâ, ſicut homo, Cœlorum metiatur motus; dierum & noctium viciſſitudines, temporum periodos, inito certo calculo definiat; demonſtrationes Metaphyſicas & Mathematicas conficiat; cæleſtia contemplatus meditetur; argumentationum leges, æquitatis, & juſtitiæ regulas quemadmodum & cæteras animi dotes liberè attingat? Res adeò abſurdas nullus unquam Philoſophus demonſtrare poterit.

Homo, inquiunt, ſagacior quidem pecude aliquando deprehenditur, at iſtud ratione ſolùm majoris experientiæ, quatenus hominis vita eſt longior. Verùm, inquimus nos, quàm multos homines, eoſque ſagaciſſimos, eoſque veros utique Philoſophos mors præveniens non ſinit eſſe ſenes? Quàm multos

verò

verò animantes hebetes & tardos, quoad vivunt; nec per longiorem ætatem ſagaciores unquam reddi poſſe animadvertimus?

Animalia ſuos habent vocis ſonos, & ſigna, quibus inter ſe conveniunt, quibus famem, dolorem, amicos indicant, & hoſtes, quibus quamdam etiam demonſtrant aſtutiam. Verùm iſthæc omnia aperiunt quidem omnium Conditoris providentiam; at minimè probant, modum agendi animalium in omnibus ſimilem eſſe modo agendi creaturarum rationalium. Homo liberè modò demiſſam, modò elatam vocem emittit, vel tacet; homo vocum ſuarum ſtatuit valorem; finem intentum cognoſcit ſub ratione finis; media ad finem aſſequendum unà cum deliberatione eligit; innumeraque alia præſtat, quæ belluis nequaquam competere poſſunt. Hæ enim neceſſitate ſolùm, ac inſtinctu naturali feruntur in objecta ſenſibilia & convenientia, eodemque modo averſantur noxia: an verò omnia hominis verba ac ſermones intelligant, experientia ipſa vetat ſuſpicari, nedum aſſerere. Supponunt tamen Pſeudo-Philoſophi ſe ſe in omnibus ſimiles eſſe belluis, etſi nondum de Mundi omniumque Entium origine fabulari cum belluis potuerint.

Non minùs anilia commenta effundunt, cùm ajunt, in ſtatu hominis & belluæ primitivo eamdem omnino illorum fuiſſe vivendi rationem; nec fortaſſis etiam tunc temporis perfectius idioma hominis belluarum idiomate. Quòd autem homo manus habeat loco pedum, iſtud tantùm probat, nos pluribus indigere, quàm belluæ.

Verùm aderantne fabulatores illi, cùm, ut garriunt, homo primus ex animalium commixtione ortus eſt? faſtis ne hiſtoricis, iiſque inconcuſſis nixi,

iſta

iſta aſſerunt ? Si ita eſt, quod nullus ſanæ mentis Philoſophus credet, eâ in hypotheſi contra ipſos dicimus ut probabilius recurrendum eſſe ad ipſius primi hominis nutricem, ut ſciatur, an illius, & belluæ eadem fuerit vivendi ratio: an illius idioma belluæ idiomate fuerit perfectius; cùm enim belluæ dentur diverſæ, ac, ut plurimùm, ſint etiam diverſa earum pabula diverſique vocis ſoni, veriſimilius eſt nutricis pabulum & idioma fuiſſe præfati hominis eſcam & idioma idem. Quæ porrò fuerit nutrix illa, tacent Materialiſtæ; taceant igitur & cætera, ne inſulſiſſimè fabulentur.

Quod vero addunt, hominem loco pedum idcirco habere manus, quia pluribus indiget, quàm belluæ, nec aliud exinde concludi poſſe, verba quidem hæc ſunt, non argumenta. Quod homo pedum loco habeat manus, quia pluribus indiget quàm bellua, hoc probat, demonſtratque opera admiranda ſupremæ, ac ſapientiſſimæ Providentiæ, quam ipſi negant.

Quantùm ad rationes innumeras, quas jactant omni exceptione majores, quibuſque dicunt perſpicuè compertum eſſe unicam dari vitam, unicam & felicitatem, ex illis quaſdam afferunt, & ſilentio multas prætereunt. Magna, inquiunt, reperitur homines inter & belluas ſimilitudo: mens creſcit in homine puero, viget in juvene, deficit in ſene; in corpore ſano habetur ſana, in ægroto ægrotat, in temulento turbatur; omnibus corporis mutationibus obnoxia deprehenditur: quemadmodum in homine exquiſita obſervatur ratiocinatio, ita & in belluis, ſaltem quibuſdam: belluarum anima interit unà cum corpore, quia unà cum corpore nata; idem porrò de hominis Animâ dicendum: mens humana nec in primo exiſtentiæ ſuæ inſtanti; nec in utero matris exi-

ſtens ſe cognoſcit, nec cogitationum ſuarum, ſi aliquibus afficitur, in lucem edita recordatur: demùm, addunt, ſicut idea Philoſophi non excludit ideam Muſici; ita nec idea mentis excludit ideam corporis, & proinde ſubſtantia eadem poteſt eſſe corporea ſimul & cogitans.

In aliquibus equidem reperitur homines inter & belluas ſimilitudo quædam, at minimè in omnibus. Homo videt, audit, ſentit, olfacit, edit, dormit, ægrotat non ſecus ac belluæ; verùm functiones illæ corporeæ ſunt, non ſpiritales, quarum incapaces ſunt prorſus bruta animalia: etenim nullus eſt illis intellectus, nulla voluntas, nulla libertas: belluæ aut ſecundùm ſympathiam, aut antipathiam, quam habent cum rebus ſenſibilibus, vel ſecundùm impreſſiones factas per res quoque ſenſibiles cœco impetu feruntur in objecta, vel ea averſantur. Iſthæc omnia docet & probat experientia.

Conſtat ineſſe belluis principium ſentiens, quod ſpiritûs animalis nomine donatur, quodque cauſa eſt vitæ, motus, & ſensûs bruti animalis, ac vi & ope cujus, non hominum inſtar, in diverſas partes inconſtanter ſe flectunt; ſed eodem conſtantique modo ad functiones eaſdem impelluntur. Sic Caſtores tempeſtate eâdem, & eodem ſemper artificio domus ſibi ædificant; ſic Apes & Formicæ annonam ſibi comparant ſtatis temporibus; ſic accidit in compluribus aliis animantibus, in quibus operationes quædam deprehenduntur, quæ aſtutiam redolere videntur, imò & ratiocinationem. Verùm ſi operationes illas propiùs inſpiciamus, eas modo ſemper eodem fieri, ac prout vividiores, vel minus vividæ ſunt impreſſiones in organis factæ, reperiemus. Sic ex duabus vulpibus leporem inſequentibus, lepori proximior vivi-

dioribus agitata impreſſionibus, ac oculis jam quaſi prædam vorans, tacet; quum altera nonniſi longè inſequens, ſicque levibus ſolum exagitata impreſſionibus, ac minus occupata, gannit. Sic quoque lepus a canibus nimium agitatus quandoque proſilit in latibulum alterius leporis, ibique ſe occultat feſſus; alter vero canum latratu excitatus fugam arripit, & quidem ſecurus, quia canes hujus nec odoratu, nec ſpecie deluſi ad latibulum conſtanter permanent, prioris ſemper leporis odore affecti, & commoti.

Iſthæc porrò, & alia hujus generis in hominis plerumque imaginatione pro ratiociniis habentur; hic quippe mos eſt fere omnium, ut affectiones ſuas ac proprias in ea transferant animalia, in quibus quoſdam, quos in ſe ipſis experiuntur, motus, vel actus intuentur.

At ſi materialiſtæ rationem tribuunt brutis ſentientibus, cur non etiam plantis vegetantibus? Nonne vinea, radicibus huc illuc in terram immiſſis, ex ea alimentum ducit, ac expanſis ultro citroque ramis, quaſi brachiis & manibus, adminiculum ad fructus ſuſtentandos inquirere videtur? Quid de herba, quæ vocatur mimoſa, ſeu ſenſibilis, non narrabunt nobis, & cui comparabunt?

Quantùm ad mentem humanam, falſum prorſus eſt illam in homine puero creſcere, in homine verò ſene deficere. Equidem mens ratione unionis ſuæ cum corpore, cujus quò magis explicantur organa, expeditiorque eſt ſpirituum animalium motus, eò magis creſcere videtur; quò autem debiliora fiunt organa, vel etiam perturbata, ſicut & ſpirituum animalium motus ſi retardetur, mens ſeneſcere videtur, licèt reverâ nec creſcat, nec ſeneſcat, cùm ſubſtantia ſit ſpiritualis. Quare in letargo, in phreneſi, ebrie-

ebrietate, & cæteris ſimilibus morbis non mens, ſed cerebrum laborat, illudque tamquam mentis inſtrumentum curandum eſt.

Anima brutorum, inquiunt, perit unà cum corpore, quia cum corpore nata eſt; idem de mente humanâ etiam dicendum. Iſtud quoque à rei veritate prorſus alienum. Etenim non idem judicium ferendum eſt de Animâ hominis, ac de Animâ brutorum: hæc quippè quæ in ſubtili actuosâque ſolum ſanguinis portione conſiſtit, ac in cerebro potiſſimum viget, quæque ſpiritûs animalis nomine dotatur, unà cum corpore interit, quia reverâ materialis eſt. Sed non idem dicendum eſt de hominis Animâ: hæc enim nec unà cum corpore naſcitur, ſed à Deo creatur, & in corpus infunditur; nec cum corpore una eſt ſubſtantia, ſed ſpiritalis ſubſtantia à corpore realiter diſtincta. Quare in homine moriente diſſipantur quidem ſpiritus quidam animales; at illæſa ſemper ac incorrupta remanet hominis Anima, cùm ſimpliciſſima ſit, & partium omnium expers: hæc quidem, deſtructis partibus corporis ad animationem neceſſariis, corpus deſerit. Verùm non ita in belluis: in his enim deſtructis partibus illis, deſtruitur & ſpiritus animalis.

Mens humana, ajunt iterum materialiſtæ, nec in primo exiſtentiæ ſuæ inſtanti ſe cognoſcit, nec in utero materno exiſtens; alioquin ſuarum cogitationum in lucem edita recordaretur; experientia autem contrarium probat; ergo nec ſpiritualis, nec immortalis habenda eſt.

Verùm quia mens humana naturaliter ſubſtantia eſt cogitans, & cogitationis ſuæ ſibi conſcia, ideo ſemper ſe ſentit: at tenelli corporis motibus agitata ad ſeipſam vix attendit. Unum certum habetur, &

quidem experientiâ quotidianâ firmatum, infantes ſcilicet rerum, quæ ſibi exhibentur, nomina, dotes, & diſcrimina percipere, etiam multo ante, quàm ea vocibus exprimere valeant.

Quod autem cogitationum noſtrarum ſtatim ac in lucem editi ſumus, non recordemur, evenit iſtud, quia quandiu mens noſtra corpori eſt conjuncta, neceſſe eſt, ut cerebro quædam inurantur veſtigia, quibus mens determinetur ad eaſdem res recolendas. Neque enim memoria in ſola mente, ſed in impreſſis etiam cerebro veſtigiis, & quidem maximè conſiſtit; cùm porrò mollius tunc ſit cerebrum, ac ex omni parte varia circumſtent objecta, vix cerebro conſtanter hæc poſſunt inuri veſtigia.

Quoad id denique, quod objiciunt, nempe ideam mentis non excludere ideam corporis, iſtud eſt abſolutè falſum. Nam idea rei cogitantis poſitivè & completè, ſeu ſecundùm ſe totam removet à ſe ideam rei corporeæ. Nulla enim res cogitare poteſt, quin ſentiat ſe cogitare, quin cogitationis ſuæ ſibi conſcia ſit. Quis autem ſanæ mentis dixerit, materiam cogitare, corpus ſuæ cogitationis ſibi conſcium eſſe? Et profectò corpus non concipitur niſi in extenſum, latum, & profundum; mens verò ut res ſimpliciſſima. Equidem in exemplo allato idea Philoſophi non excludit ideam Muſici poſitivè, ſed ſolum negativè; quatenus ab idea Muſici præſcindit; & ſic aliquis ſpectari poteſt ut philoſophus, quin ſpectetur ut muſicus: at minimè idem dicendum eſt de mentis ideâ reſpectu corporis.

Volterius Animæ immortalitatem inſecutus vel ipſas invocat Scripturas ſacras. Dogma, inquit, de immortalitate Animæ nonniſi poſt captivitatem Babylonicam Judæis innotuit. De dogmate illo Moyſes nul-

nullum fecit mandatum, imo ſiluit prorſus. Judæi ante Babylonicam captivitatem nullum agnoſcebant poſt mortem locum, niſi *Scheol*, ſeu ſepulchrum. (1)

Verùm primò gratis aſſerit Volterius dogma de Animæ immortalitate Judæis ante Babylonica juga notum haud fuiſſe. Secluſâ hic omni cunctatione ad ipſummet confugimus Philoſophum hiſtoricum. Scripto narrat Volterius dogma iſtud Aegyptiis, Perſis, Chaldæis, Syris, Cretibus, Arabibus notum fuiſſe; Rhetor Romanus multò ante dixerat, nationibus omnibus.

An fortaſſe Philoſophus recentior affectat hic ignorare Judæorum majores ex Chaldæis originem duxiſſe, filiorum Iſrael habitationem in Ægypto quadringentorum, & triginta fuiſſe annorum, Judæos Syriam incoluiſſe? Ecquis ergo, his perſpectis, ſibi perſuadeat, dogma de Animæ immortalitate nonniſi poſt Babylonica juga Judæis innotuiſſe?

Et verò Philoſophus ipſe admittit, nec tamen ſolus, auctorem libri, cui ſacris in paginis eſt titulus *Eccleſiaſtes*, fuiſſe Salomonem. Plenam hic aſpiciat lucem veritas. Salomon fuit Rex in Iſrael; Salomon regum omnium fuit ſapientiſſimus; Salomon, qui *diſputavit ſuper lignis à Cedro, quæ eſt in Libano, uſque ad Hyſſopum, quæ egreditur de pariete* III. Reg. 4. non ignoravit profectò quid Judæorum majores ſenſerint de Animæ immortalitate. Hujuſce dogmatis traditionem certiſſimam agnoſcens dixit: *memento Creatoris tui .... antequam revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. Eccleſ. 12. Iſta porro diu ante captivitatem Babylonicam protulit ſapientiſſimus ille Rex.



(1) *Philoſophie de l' hiſtoire.*

II. Moyſes, inquit Volterius, de Animæ credendâ immortalitate nullum dedit præceptum, imo ſiluit prorſus.

Moyſes diſtinctionem faciens corpus inter & Animam Iſraelitis dixerat: *formavit Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in Animam viventem*. Gen. 2. *creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum*. Gen. 1. creavit ſcilicet ad imaginem ſuam, quatenus hominis Anima eſt incorporea, immortalis, intellectu, voluntate & libertate prædita ex beneficio Creatoris, imo virtutis ac viſionis beatificæ capax.

Moyſes à Deo miſſus ad Iſraelitas dixerat: *Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob miſit me ad vos*. Exod. 3. Deus porro non eſt mortuorum, ſed viventium. Patriarchæ ergo illi vivebant adhuc, non ſanè quoad corpus; ergo quoad Animam.

Moyſes ita certus erat, Iſraelitis dogma de immortalitate Animæ notum eſſe, ut prohibuerit ne gentium more quærerent a mortuis veritatem. Deut. 18. Moyſes procul dubio non prohibuit, ne quærerent a mortuorum corporibus, ſed ab animabus. Nec aliter etiam intellexerat Saül, qui licèt pariter iſtud idem poſtea vetuerit, juſſit tamen in Pythone evocari Animam Samuëlis. Deut. 25.

Moyſes Iſraëlitis divina denuncians mandata, præcepta præſcribens mores ſpectantia, non terræ ſolum ante oculos exponebat medullam; ſed in memoriam revocabat quod illorum Patribus, quod Abrahamo Deus promiſerat, nempe: *ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis*. Gen. 15. Nec mirum, ſi Balaam deſiderio deſiderans juſtorum felicitatem, dicebat: *moriatur Anima mea morte juſtorum*,

*rum, & fiant noviſſima mea horum ſimilia*. Num. 23.

Moyſes demum Iſraelitas inter nullum noverat Sadocum, Sadducæum nullum.

His adſtipulatur firma Traditio: *Caro mea requieſcet in ſpe, quoniam non derelinques Animam meam in inferno*. Pſ. 15. *Sitivit Anima mea ad Deum fontem vivum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Pſ. 4. Salomon ſapientiſſimus: *memento Creatoris tui .... antequam ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*.

Ne longiores ſimus, quærimus, an iſthæc teſtimonia innuant neceſſe fuiſſe, ut Moyſes inſuper de Animæ immortalitate credenda præceptum ferret, an de immortalitate eadem prorſus ſiluerit. Prudens lector judicabit.

III. Volterius contendit Judæos nullum poſt mortem agnoviſſe locum, niſi *Scheol*, ſeu niſi ſepulchrum. Sed hæc Volterii ſententia immanè quantùm à veritate abhorreat! Iſtud patet ex jam dictis; patebit etiam ex dicendis.

Apud Hebræos vox *Keber* ſepulchrum propriè ſignificat. Sic Geneſ. 23. *in electis ſepulchris noſtris ſepeli mortuum tuum*.

Vox verò *Scheol* propriè accipitur pro inferno. Ita etiam vertunt Septuaginta. Sic Iſai. 5. *Dilatavit infernus animam ſuam*. Non diffitemur tamen aliquos aliquando uſurpaſſe etiam pro ſepulchro.

*Scheol* porro duplicem ſignificat manſionem, nempe juſtorum unam, alteram verò impiorum. Primo ſenſu dicebat Jacob: deſcendam ad Filium meum lugens in *Scheol*, ſeu in infernum: neque enim Jacob, quem Deus frequenti apparitione dignatus fuerat, de impiorum manſione loquebatur, cùm dicebat: deſcendam ad Filium meum; is quippe Deo carus, & à Deo ſpecialiter protectus.

 Ne-

Neque etiam Patriarcha poterat loqui de ſepulchro, cum Filium ſuum putaverit devoratum: *fera peſſima comedit eum, beſtia devoravit Joſeph*. Geneſ. 37.

Senſu autem altero Numer. 16. de Dathan & Abiron dicitur: *deſcenderunt vivi in infernum*. Terrâ ſcilicet abſorbente illorum corpora, deſcenderunt Animæ in *Scheol* iniquorum. Sic Iſai. 14. de Rege Babylonis habetur: *infernus ſubter conturbatus eſt in occurſum adventus tui.... univerſi reſpondebunt, & dicent tibi: & tu vulneratus es ſicut & nos, noſtri ſimilis effectus* &c. Ad hæc attendere noluit Volterius.

## SECTIO VI.

### *De Hominis Libertate.*

Quamvis liberum arbitrium in homine ita perſpicuum habeatur, ut ſine amentiâ, eâque incredibili in dubium revocari non valeat, ipſum nihilominus à multis ſublatum novimus. Inter veteres Philoſophos Democritus, & ejus aſſeclæ omnia fato tribuebant: Aſtrologi autem cuncta aſtrorum poteſtati ſubjiciebant.

Inter recentiores verò, auctores præſertim operum inſcriptorum: *L' Eſprit, & Diſcours de l' inégalité des hommes*, ſic perverſam aperiunt mentem ſuam. Cùm propenſionum, & cupiditatum determinationi addicti ſimus, hinc prementibus illis indulgentes, nullius ſceleris habendi ſumus conſcii; quare vani habeamur, cùm nos illis imperare poſſe dicimus, noſtramque venditamus libertatem.

Auctores quidem aliqui pœnas ſceleribus decretas probant, at minimè ob libertatis abuſum,

quæ

quæ cùm nulla ſit, nullus proinde eſſe poteſt libertatis abuſus, cùm pœnis à ſcelere deterreantur homines, ſicut belluæ à damno inferendo deterrentur baculo. Eſto: in Leges peccat-ne Civis? Animadverſione & pœnis coerceatur; non autem ſuſpendio puniatur; iſtud enim legi repugnat naturali; cùm ſupplicium ipſum ſit verum flagitium.

Nullus non videt hic cupiditatum omnium vindicatam contendi dominationem & imperium, ſpecioſiſque his ſententiis ad omne ſcelus latiſſimam pandi viam. Cupiditates carent omni vitio: ſub illarum dominio libertas nulla: à flagitio deterreantur quidem homines, verùm abſit punitio! Sic homicida, parricida, adulter, fornicator, fur, raptor, cœterique flagitioſi, neceſſitatis excuſatione & prætextu freti omnibus impunè ſceleribus dedere ſe poterunt.

Verùm ſciſcitamur ab ipſiſmet Philoſophis, an excuſatos reverà haberent fures illos, qui ablatis propriæ fortunæ bonis ſe hujuſce falſa neceſſitatis excuſatione tuerentur? Interim verò à direptione caveant etiam prædones, ne ab ipſiſmet Philoſophis ad Prætorem delati non minitante ſolùm baculo, ſed & morte plectantur, tanquam rei liberè facti. Neque enim pœna infligitur in Reipublicæ leges peccanti, niſi quia liberè eas tanſgreſſus eſt; alioquin ſequeretur plectendos eſſe pariter inſanos & phreneticos, alioſque hujus generis ſi deliquerint, quod ſæpius negarunt vel ipſi Deiſtæ.

Enim verò juvenibus conſulunt, eoſque adhortantur, ut vulgaribus abdicatis opinionibus, ad eam quam ipſi tradunt, philoſophiam omnia ſua conferant ſtudia. Juvenes ergo ſupponunt liberos, aut ſanè adhortationes & conſilia ſunt prorſus vana & irridenda.

Et

Et certè liberum hominis arbitrium probant ſenſus intimus, ratio, experientia, hominumque conſenſus. Senſus quidem intimus: nam creatura rationalis ſentit intimè in ſua eſſe manu hoc, vel illud agere, vel actionem in aliud tempus reijcere; imo & ad oppoſitum ſe flectere poſſe.

Concinit ratio, quæ clamat, & quidem altè, ſtultum prorſus eſſe præcepta imponere ei, cui liberum non eſt juſſa adimplere.

Adſtipulatur experientia: nullus enim ſanæ mentis inficiabitur, ſe quotidie hoc, vel illud agere, quia nutu proprio, ac prorſus liberè ita ſe determinavit.

Idem demum firmat hominum conſenſus. Quis enim, niſi inſaniens, non agnoſcat actus ſuos in poteſtate ſuâ eſſe? Quis toto corde non fateatur liberum ſibi eſſe ad ignem, vel ad aquam manum porrigere? Quis aliter conditàm humanam ſentiat eſſe naturam?

Plectantur aliter ſentientes recentiores Philoſophi, ponentes os in Cœlum, in Cæſaream poteſtatem, in ſocietatem omnem, pœnas luant urgente Regis edicto. Supplicibus tunc, & gratiam expoſtulantibus ſufficietne pro omni anguſtiarum ſolamine hæc ſceptra tenentis reſponſio: gratiam facere juſtitiæ jura omnia vetant; inſuper ad id neceſſario determinatus ſum, quia in me nulla libertas. Nonne ſupplices illico reponent illi: hominis libertatem cantant in montibus paſtores, in theatris poetæ, indocti in circulis, docti in bibliothecis, & in orbe terrarum genus humanum.

SE-

# SECTIO VII.

## *De Religione*.

ARgumenta ( ſeu potius portenta ) quæ præcedentibus ſectionibus retulimus , ea , inquiunt Pſeudo-Philoſophi, veluti quaſdam Arcæ columbas, emittimus , exploratura , an præjudiciorum aqua ( Religionis ſcilicet omniumque legum veneratio ) inundet adhuc orbem ; an errores ( ideſt Religionis veritates ) tandem decreſcant ; veritates autem , quibus omnes , quotquot ſunt , Philoſophos illuminare meditamur, inveniant, ubi pedem ponant . Emiſſis porro venenoſis illis columbis nullum non movent offenſionis lapidem, ut impietatis imperium conſtituant, ſtabiliantque . Omnia veterum Religionis hoſtium ſophiſmata , & conviciorum tela recudunt ; recentiores inimicos efferunt laudibus, Baylij Lexicum , opus errorum lue ſuffuſum, omni plauſu proſequuntur , in auxiliumque continuo invocant ſuum , nihil non moliuntur , ut Religionem undequaque adgrediantur , & diruant : Revelationem, Prophetias, Miſteria, Miracula, Leges tanquam mera explodunt commenta , demum ſacra omnia pervertunt, & irrident , ut ad omnia flagitia ſecuram præbeant licentiam (1)

Nunc

---

(1) *Recede a nobis : ſcientiam viarum tuarum nolumus . Quis eſt Omnipotens, ut ſerviamus ei? & quid nobis prodeſt ſi oraverimus illum?* Job 21. *Dixerunt cogitantes apud ſe non rectè ... fruamur bonis quæ ſunt, & utamur creatura, tanquam in juventute, celeriter*. Sap. 2.

Nunc ad quæſtionis ſtatum. Exiſtit Deus, ſeu Ens ſupremum. Tot enim tantiſque; ac tam evidentibus momentis notio Dei ſuggeritur menti, ut impoſſibile ſit veritatem de Entis ſupremi exiſtentiâ hominem latere invincibiliter. Veritatem hanc adſtruunt mundus, objecta quævis, animæ ſenſationes, ſol ad illuminandum, oculus ad videndum, auris ad audiendum, lingua ad loquendum, manus ad agendum, pedes ad ambulandum, intellectus ad cognoſcendum, voluntas ad amandum, deſideria, in afflictione ſuſpiria inclamantia, & cætera.

Quare quod de barbaris retulêre quidam, ii mores illorum haud fuêre ſcrutati. Etenim qui ſubinde opiniones populorum iſtorum inquiſierunt, omnes uno ore referunt, nationes illas reverâ agnoſcere aliquod Ens ſupremum: unde ſi quis agreſtium nationum opiniones, atque ſententias exactè vellet referre, neceſſe eſſet, ut illarum apprimè calleret linguam, nec non diuturnâ cum iiſdem cohabitatione eorum mores exploraret, atque animi affectiones.

Et verò notio exiſtentiæ Entis ſupremi viget in omnium cordibus & Animâ: hæc eſt omnium temporum, omnium locorum, atque nationum cunctarum ſententia: hæc eſt effectus rectæ rationis, non autem præjudiciorum, ut fabulati ſunt quidam. Etenim præjudiciorum cauſæ aliæ ſunt externæ, aliæ verò internæ.

Præjudiciorum cauſæ externæ ſunt Educatio, Exempla & quandoque vel ipſa ſophiſmata. Quis porro neſcit educationis varia eſſe principia pro vario nationum genio? Idem ſanè dicendum de exemplis. Sophiſmata verò quoſdam fortaſſis deludunt, at nunquam omnes. Notio autem Entis ſupremi omnibus una eſt, atque communis, & ſeculorum omnium.

Præjudiciorum verò cauſæ internæ ſunt ſenſus,

& qui-

& quidem ſæpè nimis fallaces, imaginatio ſæpius deludens, & cupiditates haud rarò nos abripientes. Nullus porro non videt haſce cauſas non modò non indicare menti exiſtentiam Numinis ſupremi, quin potius favere opinioni adverſæ. Concludendum eſt igitur ſententiam, eamque univerſalem de exiſtentiâ Dei non à præjudiciorum cauſis, ſed à rectâ ratione ortum habuiſſe, & habere. *Vnum quiddam*, ait vel ipſe Plotinus Philoſophus è ſectâ Plat. lib. 5., *idemque numero eſſe ſimul ubique totum, communis indicat mentis humanæ conceptio, quando omnia quodam instinctu clamant in unoquoque noſtrum eſſe Deum: adeo ut, unus in omnibus, idemque ſit Deus.*

Deum porro rerum univerſitatis Auctorem, Rectorem, ac Proviſorem eſſe evidenter demonſtrant Mundus unà cum perfectiſſimâ ſuarum partium proportione, & mirando prorſus ordine; tempeſtates annuæ, quæ admirabili & nunquam interruptâ viciſſitudine ſibi invicem ſuccedunt; in aliis rebus humanis conſtantia & ordo. Nullus quippe ſanæ mentis ſibi perſuaſerit omnia hæc temerè, & fortuitò contingere.

Deus igitur colendus eſt tanquam Ens perfectiſſimum, tanquam omnium perfectionum fons, & origo, tamquam Cœli & Terræ, & omnium, quæ in eis ſunt Creator, Rector, & Proviſor ſupremus, ac univerſalis. Etſi verò iſtud clament undique Creaturæ; exiſtunt tamen homines increduli, rebelles, ingrati, ac perverſi, qui non modò non dirigunt cor ſuum ad diligendum Deum, ſed & à Deo colendo cæteros avertere verborum impietate, & nefariis operibus ſuis nituntur.

Ex his nonnulli cultum quidem internum abſolutè non videntur rejicere; benè tamen externum.

Qui-

Quidam verò nec internum nec externum abſolutè rejicientes, nullum agnoſcunt neceſſarium. Revera unâ communique molitione, quamquam diversâ viâ, in Religionis perniciem conſpirant omnes,

Varia inter illorum commenta, eaque portentoſa, leguntur ſequentia (1).

Religionis cultus erga Deum decet quidem, at nullius eſt obligationis.

Rationis lumen ipſum Philoſophos docet Ens ſupremum minime exigere a creatura cultum aliquem: juſtus ſit homo; cætera habeantur tanquam arbitraria.

Fanatiſmus, ut ipſi vocant Chriſtianiſmum, periculoſior fuit imperiis, quàm impietas ipſa; atque huic Fanatiſmo hoſtes habeantur ut veri indubitatique cives: ingenium philoſophicum eſt verus Regnorum pacificator.

Cultus, ajunt, erga Deum decet quidem. Iſtud quaſi muſſitantes, & gratuitò fatentur; nam cito citius ſubſtituunt, opponuntque mendacium. Deus, inquiunt, nec cultu ullo, nec ullis movetur actibus Religionis.

Verùm Deus infinitè ſibi equidem ſufficiens nullius eget. At quis incredulis enarravit, Deum in donis ſuis non eſſe erga creaturas ſuas munificentiſſimum; Deum creaturis reis iratum longè graviores pœnas infligere non poſſe, quam homines? Iſthaec omnia Deum poſſe, iſthæc omnia Deum quoque præſtitiſſe jam inde a Seculis ita in hominum animis impreſſum fuit, ut vel de beneficiis acceptis corde, ore & opere gratias ſemper egerint, vel calamitatibus,

(1) *Poeme de Volt. ſur la Relig. natur. Livre des Moeurs. Le Philoſophe. Encyclopedie mot. Fanatiſme.*

tibus, aut infortuniis vexati manus ex animo ſupplices extulerint in montes, unde veniret auxilium. Hæc dubio procul præſtarunt intus & ex animo convicti, Deum talibus Religionis actibus moveri; Deum actibus tum interioribus, tum exterioribus eſſe colendum, eſſe placandum. Quis porrò dixerit populos omnes præjudiciis fuiſſe abreptos, non autem in his rectâ ratione ductos?

Quærimus ab ipſiſmet incredulis, quidquid fabulentur Epicureos imitati, an grati animi teſtificatio ſolùm interior erga homines eſſet ſufficiens? Haud fatebuntur iſtud: neque enim homines ſunt cordium ſcrutatores. Rurſus an teſtificatio eadem exterior tantùm, ac ut talis nota, ſatisfaceret? Neque iſtud concedent: quia teſtificatio ſimulata ſolùm, cuicunque ſanè odioſa eſt.

Deus quidem intuetur cor; at quia Deus hominis Creator eſt, ſupremus & beneficus Dominus; homo autem conſtat corpore & animâ, hinc conſequitur, duo hæc unione mirabili à Deo conſociata, conſociari quoque debere ad cultum Deo exhibendum: alioquin grati animi haud foret omnimodè teſtificatio.

Etſi omnes increduli jaceant in tenebris; etſi quaſi ebrii diverſas videantur carpere vias; etſi quandoque eorum placita videantur invicem pugnantia; mente tamen unâ & eâdem, operibuſque ſuis impiis ac perverſis conveniunt in unum adverſus omnem Religionis cultum, & Religionem ipſam. Homo juſtus ſit, inquiunt, cætera habeantur ut arbitraria; Deus quippe parum curat de humanis, nec eget creaturarum cultu; Fanatiſmus (ut vocant Chriſtianiſmum) imperiis periculoſior eſt, quam impietas.

Quamquam refugiant aures talia audire; quæ-

ramus tamen ab ipſis impiis, quomodo juſtus queat eſſe homo, qui ſic aperit os ſuum ut impia iſthæc in Deum profundat verba? Qui cùm jure æquiſſimo, eoque ſtrictiſſimo teneatur Deum ut auctorem ſuum, ut dominum ſuum, eumque munificentiſſimum, ac continuum colere & diligere, ingratiſſimi animi corde & opere odiosâ ſe notâ inurere non erubeſcit?

Deus equidem craturarum cultu non indiget, nec etiam ad gloriam ſuam exigit eſſentialem; aſt cultum illum imperat, exigitque ut Ens ſupremum ut Creator omnium & Rector, ut conſervator omnium, & continuus proviſor; atque ut talis vult à creaturâ rationali agnoſci, adorari, & collaudari ex toto corde, ex totâ mente, & ex totis viribus. Nonne recta ratio, quam obnubilare attentant impietatis omnis auctores, dictitat iſta grati animi officia? Nonne officia eadem denunciat, & concinit Orbis univerſus enarrans gloriam Dei, cui eſt cura de omnibus?

Tanquam peſtiferi igitur, & seductores monſtroſi habeantur illi, qui, ut Religionis ædificium demoliantur, & ad omne nefas aperiant viam, omnia dicunt arbitraria; qui, ut vinculum Religionis ſalutiferum imperiis, ſubjectis, ſocietati, ac univerſo Orbi diſrumpere meditentur, ſeſe ipſos generis etiam humani hoſtes probant infenſiſſimos. Quot enim gentium inconſultò errantium non aperuit oculos Religio? Quot hominum barbariem non emollivit? Quot excelſa prophana non eſt demolita? Quot idololatras non reddidit ſanctiſſimo ſuo cultu veri Dei adoratores? A Religione homines facti ſunt probè morati, ſocietates ſtabilitæ ſunt; à Religione leges ſuam mutuatæ ſunt auctoritatem, imperia quietem ſunt adepta,

pta , & ſecuritatem ; uno verbo , Religio opus eſt Excelſi non autem politicæ fœtus , prout ore impio ac impuro proferunt adverſarii .

Quæ autem , & quàm horrenda non pariunt irreligio & impietas ? Beneficiorum immemores & monſtroſè ingratos ſe erga Deum oſtendunt; ſceptra faciunt trementia ; rebellioni favent , niſi unum ſit cum ipſis perverſitatis commercium ; ſocietates vel diſſolvunt , vel aſpernunt ; jura ſacratiora perfringunt . Peſtis tamen hujus auctores & patroni Philoſophos ſe dicunt, & pecudum effrænatarum more vivere volunt. (1)

## SECTIO VIII.

### *De Lege naturali .*

LEx naturalis emanatio eſt quædam Legis æternæ à Deo impreſſa creaturæ rationali . Hujuſce luminis in animo impreſſi beneficio cognoſcimus quæ recta ſunt , & quæ non recta . Legis porro naturalis præcepta ſunt varia . Alia enim dicuntur primaria , quæ ſcilicet cuivis homini attendenti facile innoteſcunt , ut : *quod tibi non vis fieri , alteri ne feceris .* Alia verò dicuntur ſecundaria , quæ ſcilicet ex primariis facilè deducuntur , ut : *quod tibi non vis fieri , alteri ne feceris ; ergo non furandum* . Alia demum dicuntur remotiſſima , quatenus nonniſi difficile ex ipſis præceptis primariis deducuntur , qualia ſunt pleraquè contractus ſpectantia ; atque hinc diverſæ non raró doctorum ſententiæ .

D Quan-

(1) *Homo , cùm in honore eſſet , non intellexit : comparatus eſt jumentis inſipientibus , & ſimilis factus eſt illis .* Pſal. 48.

Quantùm ad ultima hæc præcepta, ſeu concluſiones, quæ nonniſi difficulter deduci poſſunt, dari poteſt ignorantia invincibilis; non autem quoad primaria, & ſecundaria.

Ad Legem naturalem pertinent Decalogi Præcepta, excepto tamen de Sabbati ſanctificatione Præcepto, quod, quantùm ad temporis determinationem, Legis eſt poſitivæ. Cùm porro Legis naturalis præceptis accedunt Legis poſitivæ ordinationes, iſtud evenit, non quaſi Legis naturalis præcepta de ſe non ſint obligatoria, talia quippe ſunt independenter a Legibus poſitivis, ſed quia cùm homines ſæpius negligant legere in cordibus ſuis ſcriptam Legem naturalem, ad eam forinſecus revocantur per Legem poſitivam.

Circa Legem hanc naturalem varia eſt incredulorum ſententia. Quidam plus æquo ei tribuentes, omnem aliam in agendo regulam agnoſcere, & ſequi recuſant, prout dicetur poſtea.

Alij Legem naturalem penitùs convellentes, iſtud non unâ & eâdem mente moliuntur. Alij omnem juſti & injuſti originem repetunt ex Legibus politicis. Quare ſecluſis Legibus illis, ex eorum opinione, omnia ſunt prorſus indifferentia.

Alij verò juſti & injuſti rationem repetunt ex propriâ hominis cujuslibet utilitate, quæ tamen tendat & dirigatur ad bonum publicum.

Alij autem dicunt totam juſti & injuſti diſtinctionem unicè oriri ex hominum opinione.

Alij demum diſtinctionem hanc tribuunt appetitui proprio hominis ſimul & illius potentiæ, quatenus homo à naturâ jus habet in omnia, quæ appetit, & adipiſci valet. Ita præſertim ſentit Spinoſa, tradens unicam in mundo exiſtere ſubſtantiam, ho-

mi-

minemque minimè liberum eſſe, ſed omnia fato, ac vi quâdam naturæ evenire.

Commenta hæc, ferè quoad omnia, ex operibus cæcutientium quorumdam veterum Philoſophorum, ut Calliclidis, Carneadis, Ariſtippi, & Epicuri deprompta, tradunt quaſi ſua, operum, quæ indicantur, auctores. (1)

Admiſſis incredulorum recoctis hiſce commentis, humanitatis, Societatis & Imperii jura ruinam faciant neceſſe eſt. Nam 1.° Si juſti & injuſti, virtutis & vitii diſtinctio omnis repetenda eſſet à Legibus politicis, cùm leges illæ arbitrariæ habeantur, quod modò juſtum, ſeu rectæ rationi erat conſonum, injuſtum evadet, pro Legis variatione, licèt rectæ rationi ſemper conſonum. Nam quod rationi eſt ex naturâ ſuâ conſonum, ita immutabile eſt, ut à nullâ Lege poſitivâ, rectæ rationi fieri nequeat diſſonum. Ferat nihilominus Herodes alter ſpecioſo tranquillitatis titulo Legem imperantem novam Infantium ſtragem: juxta Hobbeſium, Hobbeſianoſque parendum erit legi, etiamſi reclament recta ratio, atque conſcientia. Hæc aſſerere animus reformidat.

II. Si virtutis & vitii, juſti & injuſti diſcrimen unicè repetatur ab uniuſcujuſque utilitate, etſi ordinatè directa ad bonum publicum, horror ingraveſcat neceſſe eſt. Etenim commentum illud exitioſum ad omnes effrænatas cupiditates, ad ſcelera etiam imma-



(1) *Liv. Leviathan.*
*Liv. L'Eſprit.*
*Ouvrages philoſophiques.*
*Emile. Pyrrhoniſme du ſage.*
*Fables des Abeilles.*
*Diſcours de la vie heureuſe.*

niſſima licentiam facit, modò utilia ſint, nec bono publico noxia. Jam quiſque ſuas, eaſque varias ſibi effingere poterit utilitates, quas ut actuum ſuorum regulas ſequatur: alter diripiet aliena bona tanquam ſibi utilia, nec bono publico nocentia; alter in Parentes ſenio nimis confectos erit atrox, vel in Filios numeroſiores, aut deformiores. Sic horrenda patrari poterunt ſcelera; ſic in Societatem, in proprium ſanguinem ſævire impunè licebit.

III. Si juſti & injuſti diſtinctio ex ſolâ hominum opinione oriatur, furetur aliquis aureos mille alicui ex recentioribus his Philoſophis: hic eo in caſu ſic in bonis fortunæ læſus dicat nobis, an opinione ſolâ diſtinguat maleficum à benefico, virum juſtum & probum ab injuſto & improbo. Nulla ſanè natio eſt, rectâ ratione ducta, quæ probitatis, amoris, ac benevolentiæ facta non approbet; nullus quoque eſt improbus, qui non intimè ſentiat virtutem ſuis adverſari malefactis, imo qui ſæpius probi nomen non affectet. Adeò verum eſt, virtutis notionem non ab opinione ortum accepiſſe, ſed omnium animis inſitam eſſe.

IV. Denique. Si juſtum & injuſtum non ex rectâ ratione, ſed ex appetitu & potentiâ ſint definienda, hominem inter & belluas jam nullum eſſet diſcrimen. Hinc homo propenſus ad vitam non ſolùm conſervandam, ſed & beatè ducendam, jus habebit ſuas omnes potentias adhibendi ad diripienda aliorum bona, vel etiam ad homines trucidandos: nihil quippe injuſti, nihil ſceleris in his, & ſimilibus operibus, cùm homo tunc appetitui obſequatur.

Hobbeſius ab inſaniâ Spinoſæ parùm diſtat, cùm ait, homini in ſtatu naturæ, ante Leges ſcilicet poſitivas omnia fuiſſe licita, & furtum, adulterium, homi-

homicidium crimina evaſiſſe per Leges ſolùm Civiles.

Nec longiùs diſtare videtur auctor Libri : *Fables des Abeilles*, aſſerens homini virtutem haud eſſe ingenitam, bonum & malum ex ſolâ Principum ſuaſione ortum ducere, quatenus hi verè politici imperare cupientes, hominibus cæteris ad ſocietatem minimè natis ſuaſerunt meliùs eſſe in ſocietate vivere, appetitus proprios coercere, proprias utilitates quærere & curare. Has porrò fictas notiones adulatione decepti admiſerunt tandem homines.

De exitiali Hobbeſiano Syſtemate jam ſuperiùs verba fecimus, cum commenta retulimus auctoris mox relati. Cæterùm omnis homo, genteſque omnes rectâ ratione utentes cenſuerunt ſemper, & modo cenſent inter juſtum & injuſtum, virtutem & vitium eſſentialem eſſe diſtinctionem; ſciverunt, & ſciunt Legem, ſeu Religionem exiſtere, fundatam ſcilicet in ipsâ naturâ, in ipsâ ratione rectâ, quæ Lex morum & agendorum eſt norma, quæ actus alios præſcribit ut juſtos, alios autem tanquam injuſtos, tanquam rectæ rationi diſſonos prohibet.

Enimverò iſtud faciunt indubitatum vel ipſa virtuti inſita attributa, animi ſcilicet candor, morum decus: virtus jura dantis dux eſt & ſtella, ſocietatis nutrix, cupiditatum moderatrix, verus hominis theſaurus, quo qui uſi ſunt ſive Principes juſtas ſanxere Leges, ſive Magiſtratus juſta & æqua protulerunt oracula, ſive parentes, ſive nati, ſive ſervi, ſive ditionis alienæ, omnes habiti ſunt probe morati: atque hinc meritò dixit Theognis, neminem integrum eſſe ſine virtutis adjumento.

Memoratus apum fabulator aſſerit inſuper, hominum privatorum vitia publica eſſe beneficia.

Verùm percurrat hiſtorias, & inveniet quod

populorum omnium conſenſus eos laudibus effert, qui variis probè rebus geſtis innotuerunt, alios verò deteſtatur, quos improbitatis labe aſperſos videt. An politia tales educit de pectoribus voces, an verò vis innata virtuti, turpitudo autem inſita vitio?

Et verò ſi, ut contendit fabulator ille, vitium inter publica beneficia eſt collocandum, fingamus illud dominari. Fugat veritatem, amovet fidem, impio impunitatem proponit, nil relinquit inauſum; fœcundum in fraudibus texendis fit genus humanum; ſeditio regna terret; in mœrore jacent familiæ; delitiis franguntur Cæſares; Romani quaſi irridentes ipſiuſmet fulminis iram curſu rapido, curſu neſcio vinci, invadunt orbem; Romanos poſt præſtantia tot facinora aſylo contentos facit luxuries; intemperantia aliquos nutrit, enecat verò ſæpe plurimos; luxus indecens, & immoderatus ſublevat quoſdam, aſt quot florentes evertit familias & Urbes? vitij exempla nato præbet parens, gemet poſtea parens, & fortaſſe vel ipſa Reſpublica.

Indicant-ne adverſa iſthæc omnia inter Reipublicæ beneficia collocanda eſſe vitia! Indicant virtutis & vitij, ſecluſâ politiâ, eamdem eſſe naturam, utriuſque eamdem eſſe ideam? Gentes quædam olim, prout narrant hiſtorici aliqui, præfocarunt ne Legis naturæ vocem, & pecudum more vixerunt? Luctuoſa illa tempora revocare nititur auctor præfatus, utque ad omne nefas viam ſternat, monſtroſa loquitur (1)

SE-

---

(1) *Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & tamquam pullum onagri ſe liberum natum putat*. Job. 11.

## SECTIO IX.

*An præter Legem naturalem alia in agendo admittenda ſit regula?*

INcreduli, origine Chriſtiani, corde verò & opere Antichriſtiani pro armis ſuis jactant Philoſophiam; cæci tamen non ratiocinantur, & cæcarum amatores cupiditatum victimæ & patroni, mente ejuſdem depravationis conſciâ ducti, etſi non habeant eumdem ſermonem, unum tamen omnes habent eumdemque finem, nempe Religionis everſionem. Quibuſdam, ut jam obſervavimus, nulla hominem inter & belluas diſtinctio eſt niſi quoad magis, & minus. Aliis verò iſtud ſpecioſo ſilentio prementibus, Lex naturalis, ſeu Religio naturalis eſt omnino ſufficiens; atque hinc concludunt, cæteras Leges aliquid Legi naturali ſuperaddentes, illud conſiderandum eſſe tamquam virtuti & jugo, à Creatore hominibus impoſito, contrarium.

Etſi porro Religionis revelatæ hoſtes illi non videantur omnem reijcere Religionem, venenum tamen ſub labiis eorum eſt, & ſolerter incautorum alliciunt animos. Auctor *Libri Morum* ſub ſpecioſo Legis naturalis obſervandæ titulo monſtroſum hoc depromere effatum non erubeſcit, ſcilicet: amabilia quæcunque objecta idcirco habentur creata, ut amentur; atque hinc cœlibes tanquam rei violatæ Legis naturalis reputandi ſunt; quia etſi criminoſas eſſe nuptias aſſerere non ſint auſi, tamen Virginitatem virtutis nomine decorarunt. (1)



(1) *Diſcours de la vie heureuſe.*

Sed quemadmodum à Lege naturali aberrationes veterum Philoſophorum probarunt Religionis revelatæ neceſſitatem; ita à Lege eâdem naturali deerrationes horum recentiorum, quos nihilominus illorum ſequaces tanquam veræ Philoſophiæ reſtauratores, ac veluti aquilas jactare audent, eamdem neceſſitatem probant.

Quamquam enim obſervatores Legis naturalis, quæ collectio eſt officiorum hominis erga Deum, proximum atque nos ipſos, ad felicitatem æternam, opitulante Dei gratiâ, pervenire in lege naturæ potuerint; cùm tamen homines, vel etiam inter Philoſophos ſagaciores, Legis naturalis officia obnubilaverint, depravarintque; hinc Lege poſitivâ tandem ſic aberrantes, ſic cæcutientes illuminari, & quaſi coerceri opus fuit, cùm ut ad officia eadem adimplenda reducerentur, tùm ut per plura alia, eo in caſu neceſſaria, juvarentur; ſeu ut ſic aberrantes quod in cordibus ſuis legere ampliùs nolebant, legerent ſcriptum.

Quos hìc impugnamus Philoſophos, ii reticent iſta, ut ſpecioſiùs alliciant improvidos, vel etiam depravatiores efficiant jam depravatos. At Academici ipſi, ut omnibus compertum eſt, omnia demolientes impugnarunt omne verum. Pyrrhoniani de omnibus dubitabant. Epicurei omnem evertebant Religionem. Epictetus Deum dixit mundi animam, nec exhibitam Syderibus reverentiam improbavit. Protagoras nullum

---

*Lettres Perſannes.*
*Diſcours de l'origine des hommes.*
*Livre de l'Eſprit.*
*Encyclopedie mot* Enf.
*Livre des moeurs.*

lum eſſe Deum opinatus eſt . Cultus idolorum , & multitudinis deorum omnes ferè Philoſophos invaſerat .

Ex populis , illorum fabulis lymphatis , alij in ſimulacris gloriantes Dæmones & Genios venerabantur ; alij ſuorum liberorum ſanguine Numina placare putabant . Rhodii hominem Saturno immolabant . Apud Chios homo crudeliter diſcerptus ſacrificabatur Omadio . Junoni tres in die cædebantur . Alij heroes , etſi ſceleſtos , plantas , atque animantia colebant . Græci Bacchum , Venerem , cæteroſque Deos vitiorum cœno involutos honorabant . Romani gentium omnium amplectebantur errores ; nec ab omni ſuperſtitionum genere alieni erant ſive Galli , ſive Germani .

Si Mahometani rectiùs ſentiunt de præcipuis Legis naturæ officiis , quàm veteres Philoſophi , nihilominus certiſſimum eſt , eos principia habere rectæ rationi adverſa ; nam inter alia credunt & propugnant mortales duci fato ineluctabili . Sinenſes , quorum mores , & regiminis formam continuis efferunt laudibus Philoſophi recentiores , reos quidem non plectunt ſuppliciis ; at iſtud fit , ut eorum ditentur ſpoliis : præterea Sinenſium Litterati divinationibus , atque ſuperſtitionibus dicuntur quàm maximè dediti .

Verùm quid plura ? Vel increduli ipſi , Legis naturalis ſpecioſè patroni , omnes ſuas conferunt vires , ut Legis ejuſdem naturalis ſe probent hoſtes , ut codicem Epicureum , imo etiam ut monſtroſiorem conficiant , omnem lapidem movent , ut luctuoſa illa recrudeſcant tempora , quibus virtutis propugnaculis everſis , ac vitiis omnibus laxatâ habenâ , exularunt mores probi , & quaſi fugiens penitùs receſſerat ferè Lex ipſa naturalis . Sic profani illi Philoſophi univerſum Orbem illuſtrare meditantur .

Pu-

Pudore ſuffundatur auctor libri *morum*, cùm ait Religionem revelatam non ſolùm hominibus eſſe prorsùs inutilem, ſed & Legi naturali noxiam, quatenùs à lege ipsâ avocat, variaſque excitat diſputationes.

Dicat hic auctor ille, quis orbem penè univerſum tenebroſo errorum, flagitiorumque quaſi velamento circumfuſum illuminare valuerit? Quis genus humanum ferè totum ex tenebris luctuoſæ ac profundæ noctis eruere potuerit? An Philoſophi tunc temporis diſputantes? Cæci erant, & duces cæcorum: eos vanos, ac prorſus ſtolidos dixit Socrates ipſe. Iſtud ſolùm revelatæ ex Dei miſericordiâ Religioni reſervabatur.

Religionis naturalis, quæ de cordibus deleri non poteſt, quæ in cordibus obſcurari poteſt, ac obſcurata nimis fuit, Religio revelata expoſitio eſt, & nova promulgatio. Hæc quod Religioni naturali ſuperaddit, in eo totum verſatur, ut ſcilicet naturalis Lex explicatior expeditiorque fiat, nec non ut propoſitis mercedis æternæ præmiis concitentur mortales, ſimul & pænæ metu ab ejuſdem Legis violatione deterreantur, aut demum ut mortales iidem Legem hanc tranſgreſſi reſipiſcant, cùm videant peccatum non dimitti impunitum, quia juſtus Dominus; nec tamen inexpiabile eſſe peccatum, quia miſericors quoque Dominus.

Rationibus & argumentis in medium prolatis demonſtret auctor memoratus Religionem revelatam homini eſſe prorſus inutilem, Legi naturali noxiam eſſe, à Legis ejuſdem obſervatione homines avocare. Neque enim ſufficit virus in Revelationem evomere. An quia Deus infinitè bonus eſt, & miſericors, oculus modò Philoſophicus eſt nequam?

Reli-

Religio revelata innumera obſcura fecit perſpicua, tenebras, quibus circumfuſi erant mortales, diſcuſſit; vitia, flagitia erroreſque extirpavit; cæcos homines bonæ voluntatis circa verum Dei cultum illuminavit: quibus omnibus præſtandis Religio naturalis, nimis obſcurata, non amplius habebatur idonea.

Ecquos fulgentiores bonitatis ſuæ erga mortales radios emittere potuit Deus? Quæ argumenta miſericordiæ ſuæ illuſtriora edere poterat mortalium omnium Creator, ne perderet quos condidit?

Hallucinatur quoque auctor ſupradictus, cum proſequens ait, ex Religione revelatâ perplures naſci diſputationes. Si quæ enim exurgunt diſceptationes inter Religionis revelatæ veros cultores, eæ non verſantur circa Fidei dogmata ſtabilienda: hæc firma ſunt, & immota; ſed diſceptationes illæ, ſeu diverſæ opiniones Scholarum ſpectant ſolùm veritates Religionis exponendas, quæ quidem variè exponi poſſunt, ſalvâ atque integrâ Fidei veritate. Quod ſi ex variis, ac extremè oppoſitis aberrantium à Religione naturali & revelatâ erroribus, exoriantur diræ contentiones, ipſimet viderint, haud intelligentes neque ea quæ dicunt, neque ea, de quibus affirmant.

Obſervavimus jam prima morum principia, ſicut & concluſiones, quæ ex iis facile deduci poſſunt, invincibiliter ignorari non poſſe. Quare, quoad hæc, Lex naturalis obligat omnes, eademque eſt apud omnes. Non ita tamen dicendum quoad concluſiones, quæ nonniſi difficulter deduci poſſunt, circa quas variæ idcircò poſſunt eſſe ſententiæ, illæsâ conſcientiâ; imo quæ etiam invincibiliter ignorari poſſunt abſque culpâ: non enim alicui imputatur ad culpam quod invitus ignorat, ſed quod negligit quærere quod ignorat.

SE-

# SECTIO X.

## *De Revelatione.*

Revelatio hic manifeſtatio eſt veritatis alicujus facta à Deo per media aliqua diſtincta ab iis mediis, quæ natura ipſa præſtat ad verum aliquod cognoſcendum. Sic Deus Unigeniti ſui adventum Prophetarum oraculis promulgavit.

Aliter Revelatio corpus eſt veritatum, quas Deus dignatus eſt notas facere ſive mediatè, per Prophetas ſcilicet ſuos, ſive immediatè, per Chriſtum ſcilicet Redemptorem noſtrum, quo ſenſu Revelatio collectivè ſumitur.

Revelatio non modò poſſibilis eſt, ſed reverâ exiſtit, atque datur. Hoc invictè demonſtrant tùm Prophetiæ, tùm Miracula, de quibus poſteà. Et profectò, ſuas homo homini manifeſtat voluntates, cæteris declarandas; an iſtud denegabitur Enti Supremo?

Audiantur tamen increduli, quorum etſi ad irreligionem inducendam, unus idemque ſit ſcopus; non uno tamen, eodemque modò Revelationem impugnare attentant. Quidam dicunt Deum nihil poſſe homini revelare. Quidam verò negant Deum poſſe per aliquem hominem, revelationis ope, homines alios docere. Omnes ferè tenent, Deum ſaltem nihil revelare poſſe, niſi quod ratio & lumen naturale, conſultis rerum principiis intrinſecis, verum eſſe demonſtrant. Sic explodunt omnia Religionis myſteria, quatenùs ratio ſola nequit illa inveſtigare, nec illorum veritatem ex intimis ipſorum naturis demonſtrare.

Theiſtæ revelationem admittunt, & quidem ut neceſſariam quoad idiotas & rudes; at minimè quo-

ad

ad Philoſophos, qui ſolâ ratione philoſophicâ notitiam aſſequuntur tum Dei, tum immortalitatis Animæ, tum denique mercedis virtuti tribuendæ, pœnæ verò debitæ vitio: quod non valent idiotæ, ac rudes. Verùm dolosè iſta proferunt. Etenim nomine Revelationis hìc non divinam intelligunt inſpirationem, ſed inſtitutionem merè humanam. Neque enim aliam agnoſcunt Religionem præter naturalem, qua ſolâ duce, inquiunt, vel ipſi Patriarchæ ſalutem conſecuti ſunt. Quare Lex Moſayca, ſecundùm ipſos, merè fuit politica, cui parere homines cæteri minimè tenebantur, ſed ſoli Legi naturali, cujus Lex Evangelica explanatio eſt mera, ac unica. Neque enim Deus revelare quidquam poteſt, quod in Lege naturali non contineatur (1)

Theiſtæ Deiſtas impugnare ſeſe jactitant quidem, at ſubdolè. Nam operibus eorum omnium propiùs inſpectis, ab omnibus vel non obſcurè, vel verſutè exploduntur Religio revelata, & omnia Religionis revelatæ myſteria.

Quantùm ad incredulos ajentes, Deum nihil poſſe homini revelare, ſi de Atheiſmo incuſentur, reclamabunt: at ſine ratione. Aut enim Deum verum fatentur, fateantur proinde & omnipotentem neceſſe eſt; aut alioquin Deum non agnoſcunt verum.

Et verò divina Revelatio non repugnat ſive ex parte Dei, ſive ex parte hominis. Non ex parte Dei,

---

(1) *Lettres Philoſophiques.*
*Diſcours ſur la vie heureuſe.*
*La Métrie préf.*
*Emile.*
*Evangile ſeconde promul. de la Loi natur.*
*Theſes de l'Abbé de P.*

Dei; neque enim Deo omnipotenti quidquam rectum difficile, nec verbum ejus eſt alligatum, nec hominum aliquis vim virtutis illius eſt dimenſus; neque repugnat ex parte hominis, cùm mens humana ſit intellectiva, cùm miſſis à Deo præceptis recipiendis ſit prorſus idonea.

Nec rectiùs de Deo ſentiunt, qui negant illum poſſe homines edocere per hominem alium ope Revelationis. Iſtud enim non repugnat ex parte Dei, utpotè omnipotentis, neque etiam ex parte creaturæ rationalis, prout jam demonſtratum eſt, neque demum ex parte creaturæ edocendæ. Poteſt enim Deus veritatem aliquam homini alicui revelare, tradendam cæteris, ac ut certò revelatam ſignis & prodigiis comprobare, nec non ad prodigia eadem patranda facultatem quoque homini ipſi conferre. Neque enim apud Deum iſta ſunt impoſſibilia, nec contrarium unquam demonſtrabunt increduli.

Pede eodem impio incedunt ij, qui garriunt, Deum nihil revelare poſſe, niſi quod ratio & lumen naturale verum eſſe demonſtrant. Ita Civis Genevenſis. (1) Quaſi verò ratio ipſa foret norma, & regula unica, ad quam omnes Entis ſupremi voluntates, ac Fidei myſteria expendi deberent, & definiri.

Deus ſanè contra rationem rectam nihil operabitur unquam; at multa ſupra rationis aciem operari poteſt Deus. Quare cùm in rebus Theologicis admittitur uſus fidei humanæ, rationis atque Philoſophiæ, is legitimus ſit, is intra certos fines contineatur, non ultrà excurrat: ratio ſubijciatur, non præ-

(1) *Emile.*
*Les Lettres de la Montagne.*

præponatur Fidei; ei ſerviat, non dominetur. Ne-que enim Religionis myſteria ad legem & normam rationis humanæ exploranda ſunt ac definienda. E-quidem Deus rationem conceſſit ad diſcernenda ea, quæ agenda ſunt, & credenda; verùm ad diſcernen-da ea ſive per rationes intrinſecas, ut cùm diſcer-nimus, probamus, & credimus mentem humanam eſſe incorpoream, quia ſcilicet ſpiritus verè depre-henditur; ſpiritus enim carnem & oſſa non habet.

Vel ad diſcernenda ea, quæ ſunt agenda, & credenda per rationes extrinſecas; ut cùm propter teſtimonium hominum, aut ſenſuum relationem credi-mus factum aliquod, vel alicujus exiſtentiam. Nihil equidem dicimus credendum, niſi quod demonſtratur verum aut per rationes rei intrinſecas, aut per ex-trinſecas: at falſum prorſus dicimus nihil eſſe cre-dendum, niſi quod demonſtratur per rationes rei in-trinſecas; alioquin enim omnium hiſtoriarum rueret veritas.

Nonne ipſamet ratio recta ſuggerit comprobatque, Deum, utpote infinitum, atque omnia re-cta potentem, innumera poſſe, innumera cognoſce-re nobis non poſſibilia, nobis prorſus ignota, & pe-nes ipſum eſſe ea nobis nota facere, ac exigere ut ea credamus, modò conſtet per rationes etiam ſolum extrinſecas ipſum reverà manifeſtaſſe ea ut talia, credenda.

Profectò ſibi ipſis non conſentiut increduli. Di-cunt enim nihil credendum eſſe, niſi quod demon-ſtratum habeatur per rationes rei intrinſecas. Quot quantaque tamen non dubitanter credunt, quæ nonniſi aut ſola ſenſuum relatione, aut ſolo hominum te-ſtimonio probari poſſunt, quorum veritatem nunquam probabunt increduli per evidentiam intrinſecam, ſeu dedu-

de[illegible]ctam a principiis intrinſecis rebus illis ? *Habes quæ neſcis*, dicebat Hilarius olim, *& tribuis quæ non intelligis. Æquanimiter imperitus in tuis; inſolenter in rebus Dei ignarus*. Lib. 2. de Trinit.

Quantum ad incredulos, aſſerentes ſolâ Lege naturali duce Patriarchas æternam conſecutos fuiſſe ſalutem, quas renuunt agnoſcere ſacras Scripturas, eas hìc admittere videntur. Unde enim noverunt Patriarchas extitiſſe, niſi Scripturarum, & Traditionis viâ ? Ubi verò legerunt, quibuſque innixi momentis & rationibus aſſerunt Patriarchas ſolâ Lege naturali duce æternam conſecutos fuiſſe ſalutem ? More ſuo excogitarunt iſtud: neque enim ſolius Legis naturalis obſervatione abſque Fidei, & Gratiæ auxilio Patriarchæ æternam ſalutem conſecuti ſunt. *Fide plurimam hoſtiam Abel, quàm Cain obtulit Deo .... & per illam defunctus adhuc loquitur. Fide Henoch translatus eſt, ne videret mortem ..., juxta Fidem defuncti ſunt omnes iſti*. Ad hebr. c. XI.

Neque Fidei dono ſolum adjuti, ſed Gratiæ ſimul auxilio præventi ac obſecundati repromiſſionem ſunt adepti. *Deus eſt, qui operatur in vobis, & velle & perficere pro bona voluntate*. Ad Philip. c. 2.

Miretur nemo ſi ad ſacras hìc recurrimus Scripturas. Cogunt increduli, qui blaſphemant quæ ignorant; qui ſapientes eſſe volentes, ſtulti facti ſunt; non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.

A vero quoque alienum prorſus eſt aſſerere Legem Moſaycam civilem fuiſſe ſolùm, ac merè politicam. Hæc tria complectebatur ea Lex præceptorum genera, moralia ſcilicet, cæremonialia, & judicialia. Præcepta moralia ſpectabant ad mores componendos

nendos

nendos juxta regulas juſtitiæ: hæc quamquam de jure ſint naturæ, Legi tamen veteri adſcribuntur, quatenus in ea fuerunt renovata, ut quod homines in cordibus legere amplius nolebant, ſaltem in tabulis ſcriptum legerent.

Præcepta judicialia ſunt ea, quæ Reipublicæ, ac Politicæ ſpectabant adminiſtrationem.

Præcepta demum cæremonialia dicuntur ea, quæ ritus certos, cultum divinum ſpectantes, præſcribebant.

Lex vetus quoad præcepta judicialia & cæremonialia ſolos obligabat Judæos, quia pro populo Dei inſtituta erat. Quoad iſta præcepta legatur Deuteronomij Cap. iv. At non idem dicendum eſt de præceptis moralibus, quia hæc omnes obligarunt, & obligant homines, non quatenus ſimpliciter ſunt veteris Legis, ſed quatenus ſunt Legis naturalis. Lex ergo vetus non fuit merè civilis & politica.

Quantum ad Legem Evangelicam, quam dicunt Legis naturalis explanationem meram, quatenus nihil revelare poteſt Deus in eâ non contentum; aut in ſumma Legis Evangelicæ ignoratione verſantur illi, aut fucum hic etiam facere moliuntur. Lex Evangelica perplura continet præcepta ſive cæremonialia, ſive ad ſalutem ſpectantia, qualia ſunt de Sacramentis &c. quæ in lege naturali non continentur; ex quo conſequitur Legis ejuſdem naturalis meram non eſſe explanationem. Præterea Deus poteſt revelare, & præſcribere aliquid, quod in Lege naturali non continеatur.

Et quidem Deus omnium ſupremus Dominus, Deus miſerator & miſericors poteſt innumera alia diſponere, atque præſcribere in miſericordiâ, ut erraticos mortales revocet in viam juſtitiæ, nolens

aliquos perire, niſi ſibi ipſis ſint inimici. Nunquid miſerationibus ejus certos poſuerunt terminos? Nonne vel ipſa divinitatis ſupremæ notio ut falſa convincit incredulorum commenta?

## SECTIO XI.

### *De Revelationis neceſſitate.*

I.

QUæſtio hic non movetur an Revelatio homini in juſtitia creato, ad finemque ſupernaturalem elevato, neceſſaria fuerit ex parte Dei, poſito, quod homo a juſtitiæ ejuſdem ſtatu aliquando dilaberetur, prout revera in Dei mandatum peccans dilapſus eſt.

Certum enim habeatur, eo in caſu Deum potuiſſe vel hominem deſerere reum, vel miſericorditer acceptâ hominis pœnitentiâ, Fidei & Gratiæ auxilio peractâ, ei indulgere abſque ulla Revelatione; quo in caſu potuiſſet homo, opitulante Dei Gratiâ, Legis naturalis obſervatione ad æternam pervenire Lætitiam.

Quæſtio hic ſolummodò movetur, an obſcuratâ hominis ratione, ſicque & tenebroſâ Lege naturali factâ tum ex peccatis, tum ex turbulentis & effrænatis cupiditatibus, prout de facto miſere accidit, neceſſaria fuerit Revelatio, ut homines de malis in mala graviora ruentes ad juſtitiæ vias reducerentur. Rem ita ſe habere invictè demonſtrant ſequentes rationes.

Lex naturalis de officiis erga Deum, atque erga proximum homines admonet omnes. Docet Ens ſupremum eſſe colendum, Deum Cratorem omnium omnibus eſſe præponendum. Docet alteri non eſſe faciendum quod nobis fieri nollemus. Vix porrò

lumen

lumen vitæ rectus aſpexit homo, cum reus jam factus nonniſi reos procreat filios; multiplicantur homines, augentur prævaricationes, ſicque ſenſim aberrat ratio recta, obſcuraturque Lex ipſa naturalis. Quæ & quanta ſubinde inſipientia hominis a Domino aberrantis? Quæ & quanta humani cordis perverſitas, ac erga proximum immanitas?

Antiquarum ſuperſtitionum ſectatores populi a rectæ rationis dictamine prorſus deflectentes, Cœlum innumeraſque creaturas alienos ſibi fecerunt Deos. Græcorum vetuſtiſſimi Cœlum, Stellas, Solem & Lunam Deos eſſe arbitrati ſunt, referente Platone Lib. gent.

Græcis præiverant Phœnices & Ægyptij, imo ab iis repetenda eſſe Idololatriæ incunabula teſtatur hiſtoria a Sanchoniathone conſcripta: hi porrò non ſolum heroes in Divorum numerum referebant, ſed & animalia ipſa vel faventia, vel etiam noxia; atque hæc Apotheoſis varias ſubinde invaſit etiam regiones.

Alij Venerem, Priapumque, eoſque mortales venerati ſunt, qui voluptatum exquiſita adinvenerunt genera, vel etiam auxerunt. Quidam vel ipſos Dæmones coluerunt, atque invocarunt. Paucis: triginta referebantur, Heſiodo teſte, Deorum millia, quos Epicurus ipſe extra Templum aſpernatus, in Templo eſt veneratus.

Nec minus Lex naturalis obſcurata apud Ethnicos refertur erga Deum, proximum, imo & parentes ipſos. Ægyptij inter hoſtias cædebant homines ſuorum Divorum ad aras: Manethon lib. de Piet. Idem aſſerit Appollodorus de Lacedæmoniis, & Philo de Phœnicibus. Rhodij Saturno litabant hominem. Romanos uſque ad Hadriani tempora humaniores non tradit hiſtoria.

 Mos,

Mos, juxta Philonem lib. 1. priſcis in calamitatibus, atque periculis fuit, ut Civitatis, aut gentis Princeps dilectiſſimum ex Filiis ulciſcenti Dæmoni quaſi redemptionis præmium traderet, & ſic traditum jugularet: nec aliter pia mater dilectam immolans Filiam ſceleſtas placabat virtutes.

Quis horrendas has tenebras depellere & fugare valuerit? enarrent nobis increduli. Indicent præſertim infandorum auctores operum, quibus ſequentes affixi ſunt tituli (1)

An Philoſophia ſic ſedentes in tenebris illuminare potuit? Verum qui ſapientes habebantur cæci erant ipſi. Thales, inter ſapientes in Græcia primus, mundum dixit Deum, aquam vero rerum omnium eſſe principium. Xenophanes, Parmenides, & Zeno fabulati ſunt omnia eſſe ingenerabilia & æterna; ſenſus autem noſtros contrarium referentes prorſus eſſe fallaces.

Pyrrho, Scepticorum Coriphæus, de omnibus dubitans aſſerebat nihilominus unà cum Archelao in Græcia Philoſopho, ante conſuetudines & poſitivas Leges omnia fuiſſe homini licita. Harum ſententiarum exſcriptores habentur Hobbeſius, Hobbeſiani, & alij bene multi furfuris ejuſdem Philoſophi.

Lycurgus quaſdam tulit quidem Leges juſtas; verum prolis nec formâ, nec ingenio ſpecioſæ licitam faciebat necem, & choreis ſanciebat leges pudicitiæ prorſus inimicas. Epicurei omnibus indulgebant

(1) *Exemple de la vie hum.*
*Livre des moeurs.*
*Livre de l'Eſprit.*
*Diſcours de la vie heureuſe.*
*Pyrrhoniſme de la ſageſſe.*

gebant voluptatibus, omnia fato tribuebant, atque omnem evertebant Religionem. Stoici ineluctabile fatum pariter admittebant, ſicque vitiis omnibus viam ſternebant. Academici ad morum regulas hominem non reducebant, inter ſe pugnantes nec inſtruebant, nec ad juſtitiam ædificabant. Ne longiores ſimus in materiâ rectæ rationi, probiſque moribus repugnante ac odiosâ, qui luctuoſiora adhuc ediſcere non refugiet, exploratum habebit cultum Idolorum, multitudinis Deorum opinionem, morum perverſitatem, quaſi peſtem omnia fere contagione ſua invaſiſſe, ipſos quoque Philoſophos tenebricoſis ſeculis illis populorum & locorum moribus veritatem ſacrificaſſe.

Dicant modo increduli quid valeat ratio derelicta in manu conſilij ſui, quid proſit Philoſophia vana, quid inflata ſapientiâ ſuâ præſtiterint vaniloqui veteres illi? Homines cultum ſoli Enti ſupremo debitum ad ſimulacra transferebantne? Graviora Legis naturalis officia tranſgrediebanturne? Philoſophi perverſorum dogmatum falſitate, exemploque ſuo præibant: populi expectabant ab ipſis lucem; & ecce tenebræ, eæque denſiſſimæ.

Horum ratiocinationes & commenta fere omnia mutuati Philoſophi recentiores, ſe nihilominus univerſum illuminaturos jactant, atque confidunt. Non ita tamen inter veteres Philoſophos nonnulli ſeſe efferebant. Hi quippe etſi de more exterius famæ velificarentur ſuæ; interius tamen, & ex animo aliter ſentiebant, videntes genus humanum ita erroribus deditum, ita tenebris involutum, ita lumen naturale obſcuratum, ut homines aliquo ſuperiori indigere auxilio faſſi fuerint.

Plato ardenti animo exoptabat, ut de Cœlo

Divinitas aliquem emitteret, quo mortalium diſſiparentur caligines. *Dialog. inſcript. Alcibiad.* Porphyrius, Chriſtianis haud amicus, univerſali pene ignorantia commotus morumque depravatione, putabat Providentiam divinam non potuiſſe relinquere genus humanum ſine aliqua univerſali purificatione. Ita refert Auguſt. *Lib. 2. de Civit.*

Et profectò ſolius miſerentis Dei opus erat iſtud, unius Revelationis illuminatione fuganda erat horrenda nox illa; &, tam turpiter læſis Religionis naturalis juribus, ne diutius mortales circumferrentur omni vento doctrinæ ac morum depravatione, neceſſe fuit, ut omnipotens ſermo veniret a regalibus æterniſque ſedibus; ut Religio vacillans, ac nutans, firmo atque ſtabili inniteretur fundamento atque auctoritate, neceſſe fuit, ut Deus loqueretur hominibus.

Iſtud adeo verum eſt, ut Pſeudo-Religionum vel ipſi auctores ſe divinitùs inſpiratos jactarint, perſuaſum habentes ad afflatum aliquem, etſi fabuloſum, de ſupernis ſedibus deſcendentem eſſe recurrendum, ut efficaciori ſtratagemate illo ad ſuam impellerent homines Religionem amplectendam,

Verùm, inquiunt Deiſtæ, ſi Deus revera locutus fuiſſet hominibus, cur inter eos tot adhuc diſputationes & rixæ circa Religionem? At reſpondemus, cur homines vocem Dei audientes obduraruNt, & modo adhuc obdurant corda ſua?

*Multifariam multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio.* Ad Hebr. I. Cur homines dilexerunt magis tenebras, quàm lucem? Cur Philoſophi recentiores etiamnum ut Verbum Dei, ut Religionem revelatam diruant, nihil non moliuntur, ut a

via

via veritatis homines avertant, ut corruptos depravatiores faciant, ut Legis naturalis lucem jam obſcuratam in tenebras prorſus convertant? Quod ſi hominum plerique diſputationibus, vel etiam rixis a ratione rectâ, & a revelatis deerrant, iſtud quidem probat aut illorum imbecillitatem, aut eorum cordis duritiem, aut demum illos a perverſis Philoſophis perverſos moribus eſſe factos; at nullo modo probat, Religionem revelatam aut non exiſtere, aut inutilem eſſe, vel etiam noxiam, prout blaſphemant increduli.

Hæc idololatras ad verum reducit Dei cultum: hæc homines in ſpiritu & veritate facit adoratores: hæc jura dantis dux eſt & ſtella: hæc ſubmiſſionis & ſocietatis nutrix eſt, atque cupiditatum moderatrix: hac duce magiſtratus juſti & æqui proferunt oracula, parentes, nati, & ſervi, omnes denique mortales habentur probe morati.

Auctor operis inſcripti: *L'Oracle de la raiſon*, ait hic: ſi Revelatio eſſet neceſſaria, a mundi exordio omnibus conceſſa legeretur, alioqui Deus, etſi ſummè ſapiens concedendo Legem naturalem, non ſat providiſſet.

Sed argumentum obijcitur nullius momenti. Non enim dicimus Revelationem fuiſſe abſolutè neceſſariam. Potuit quippe Deus hominem creare in ſtatu naturæ puræ, in quo ſcilicet obnoxius fuiſſet morti, cæteriſque miſeriis a peccato non fluentibus & abſque donis ſupernaturalibus, & ſine peccato.

Potuit quoque Deus hominem ad ſtatum ſupernaturalem revera creatum, ſed ab eo prævaricatione propriâ dilapſum, relinquere in ſtatu perditionis.

Neque etiam negamus hominem Legis naturalis lumine non obſcurato ductum, ſimul & Gratiæ au-

xilio adjutum potuiſſe non finem dumtaxat aſſequi naturalem, ſed & ſupernaturalem. Conſtat enim homines, & quidem plures primis mundi ſeculis ſanctè vixiſſe, quatenus ratio recta tunc temporis necdum ita depravata erat, & tenebris obvoluta. Itaque affirmamus ſolùm obnubilatâ dein, etſi nunquam deletâ, Lege naturali, etiam quoad primaria principia, & proximas illis regulas, prout demonſtravimus, illam quoque fuiſſe obnubilatam; Revelationem autem non ſolum fuiſſe utilem, ſed & neceſſariam, ut in denſiſſimis illis tenebris ſedentes illuminarentur mortales, qui *cùm cognoviſſent Deum non ſicut Deum glorificaverunt .... Sed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum .... & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium*. Ad Rom. I.

Quare cùm increduli dicunt quoſdam Ethnicos Legis naturalis obſervatores eſſe, inter quos plurimum extollunt Sinenſes, quorum mores Regnique adminiſtrationem attoniti ſuſpiciunt, uno & eodem ore Revelationis neceſſitatem fateantur neceſſe quoque eſt. Conſtans enim res eſt, atque teſtata operibus, iiſque variis Auctorum hiſtoriæ univerſalis, vitam & mores Ethnicorum referri dedecore plenos. Conſtat pariter, nec diffitetur vel ipſe Civis Genevenſis *oeuvres diverſes*, Sinenſes in voluptates effuſos prorſus eſſe; arte fallendi vaferrimos eſſe; cultum, quem Enti Supremo exhibent, minimè purum eſſe. Numini enim Supremo conſociant genios, veluti Numina inferiora in univerſi adminiſtratione; Litteratos illorum, licet Confucij diſcipulos, divinationi & ſuperſtitionibus maximè deditos eſſe; magiſtratus uti legi-

legibus, non ut reos plectant, ſed ut illorum ſpoliis ditentur; Imperatores demum Idololatriæ ut plurimùm addictos eſſe.

Sic etiam Mahumetani, quamquam rectius de Legis naturalis quibuſdam officiis ſentiant, quàm cæteri doctrinæ divinioris expertes, quatenus Mahumetus plura ex Religione tum Judaicâ, tum Chriſtianâ hauſerat, in pluribus tamen principia ſequuntur rectæ rationi adverſa. Licitum eſt, aſſerunt, plures habere uxores; beatos in Cœlis voluptatibus obſcœnis fruituros eſſe docent; mortales omnes ineluctabili fato regi, & duci credunt. Nonne iſta luxuriei, & falſorum numinum cultorum monſtroſi ſunt fœtus?

Philoſophi quidam pariter ſcripto nonnulla reliquerunt recta, verùm ab Iſacidis hauſta & deprompta. Sic Plato, & Pythagoras, qui Ægyptum peragrarunt, quo tempore Moſaica volumina à pluribus interpretata jam fuerant. Verùm hìc non hæſerunt. Plato tribuit ſimulacris appellationem Dei, nec veritus eſt quaſi è Cœlo in profundum Idololatriæ dilabi. Pythagoras Deos coluit, & colendos eſſe docuit; at præcipua Legis naturalis officia depravavit. Hos imitati recentiores Philoſophi tanquam phrenetici in Revelationem, in Evangelium inſurgunt, ex quo nihilominus, ſi quid eſt eximij, quod de Lege naturali ſcripſerint, hauſerunt.

Quod autem vix eſt credibile, veritatis inimici illi audiuntur, laudantur, & multos numerant ſectatores. Ad perniciem properant feſtini, nec ſine aſſeclis.

SE-

## SECTIO XII.

### *De momentis exiſtentiam Revelationis probantibus.*

CùM, ut jam obſervavimus, vix homo creatus à Deo lucem aſpexit, reus erga Deum factus ſit; multiplicatis deinde hominibus, adeò multiplicatæ ſunt etiam prævaricationes, ut ad iracundiam provocatus Dominus, animabus octo exceptis, cæteras ultricibus ſubmerſerit aquis.

Non in perpetuum tamen iratus Excelſus; memor enim ſemper miſericordiæ ſuæ, pacis concedit benignus olivam: ſed prævaricationum haud finis. Craſſioribus obvolvitur tenebris Lex naturalis; ad Deos alienos declinant mortales, excelſa erigunt, vel ipſas colunt creaturas. Exardeſcit iterum ira de Cœlo; flagitioſa deflagrant oppida vindici flamma; neque tamen ſuas Dominus amovet miſerationes

Verùm tandem ſuſcitat qui in ſignis & prodigiis ducat populum adhuc credentem; huic Legis naturalis ſcripto renovat præcepta; huic præſcribit cæremonias & judicia populo eidem tradenda, ut ſegregatus a cæteris nationibus ad ſimulacra miſerè converſis, in viis juſtitiæ ambulet coram Altiſſimo.

Cùm ex ante dictis Deus poſſit non ſolum homini aliquid revelare, ſed & per hominem homines alios edocere; Deus autem Religionem aliquam homini non revelat, nec præcipit, ut mortales Religionem illam obſervent, niſi ſuppeditando notas, & ſigna, quibus demonſtrat ſe locutum eſſe, atque hominem illum, vel homines iſtos, qui Religionem hanc annuntiant ut a Deo revelatam, eſſe revera a Deo miſſos; ſicque a ſe miſſos ſecernit a falſis Prophetis.

Por-

Porrò inter ſigna illa, etſi varia, ut quod Revelatio non ſit rectæ rationi diſſona, nec ad pravum finem inclinans, nec à pravo homine relata, admitti debet quod Deum deceat. In quibuſdam tamen circumſtantiis poteſt Deus cogere impium ad veritatis declarationem; ſic coegit Balaamum olim, ut Iſraëlitis fauſta precaretur.

Sicuti autem inter præcipua ſigna demonſtrationis divinæ ac probationis habentur Miracula ſimul & Prophetiæ, hinc tam acriter in ſigna hæc invehuntur Religionis revelatæ hoſtes. Itaque jam de Miraculis & Prophetiis diſſeremus: prius tamen inquirendum eſt, an Moyſes extiterit, an fuerit Judæorum Dux & Legislator, an Pentateuchi auctor.

PARS

# PARS SECUNDA

## SECTIO I.

### *De Moyſe.*

DEiſtæ in adinventionibus occupati, ut Moſaicæ hiſtoriæ omnem detrahant fidem garriunt plura elapſa fuiſſe ſecula Moyſis hiſtoriæ anteriora. Iſtud autem aſſerunt ſuffulti chronologiâ Joannis Marsham Angli. At fruſtra prorſus. Marsham enim Eratoſthenis & Manethonis fragmenta ſecutus, nonniſi incerta, aut fabuloſa, ſaltem quoad majorem partem elucubraſſe deprehenditur; atque idcirco a variis criticis legitur confutatus.

Dicimus itaque nullum extitiſſe hiſtoricum Moyſe antiquiorem, aut etiam illi coævum; nec ulla extitiſſe ſecula recenſitis in Moyſis hiſtoria anteriora. Nullus quippe hiſtoricus ſive Phœnicus, ſive Chaldæus, ſive Ægyptius, ſive demum Græcus reperitur Moyſe prior, vel etiam illi coævus.

Sanchoniaton, qui profanis omnibus hiſtoricis habetur antiquior, ſi fragmenta tamen ipſi attributa genuina ſunt, juxta Porphyrium, vitam agebat, ſub Semiramide, an. 1200. ante Chriſtum natum; juxta alios verò ſub Gedeone, vel etiam Davide, ſicque ſeculis pluribus poſt Moyſen.

Idem a fortiori dicendum eſt de Cadmo Thebarum Rege, qui dicitur litteras in Græciam primus invexiſſe, de Manethone Myſta Ægyptio, de Beroſo Myſta Beli, de Trogo Pompejo hiſtorico ſub Auguſto: ſic quoque de pluribus aliis hiſtoricis ab Euſebio relatis,

latis, quorum nullus verè reperitur Moyſe antiquior, nec etiam Moyſi coævus. Celeberrimus quippe hiſtoricus ille lucem aſpexit an 1571. ante Chriſtum natum.

Obſervandum hìc hiſtoricos illos nullis momentis certiſſimis ſuas firmare narrationes, ſed poetico more plurima effingere, populoſque adulantes ſuas contexuiſſe hiſtorias. Quare cùm a factis tanto temporis intervallo, & quaſi jam caligantibus oculis remoti fuerint, mirum non eſt, ſi plurima genti ſuæ glorioſa ut vera tradiderint, licet excogitata. Sic Manethon fabulans Ægyptiorum varias adinvenit Dynaſtias, quæ, ſi veræ eſſent, annos 53535. conficerent.

Sic Beroſus adulans retulit Chaldæos aſtronomicas habere obſervationes 480000.; Sinenſes vero, juxta annales ſuos diluvio longe anteriores eſſe; cùm tamen Confucius ipſe, qui in annalibus iiſdem legitur natus anno 551. ante Chriſtum, quique libris nondum crematis ſcripſit, prætermiſſis ſuperioribus factis tamquam abſolutè dubiis, incipiat ſolum facta ea referre, quæ habentur relata poſt Diluvium an. 1222.; ante Chriſtum autem pariter 1222.

Calliſthenes, qui diu ante Beroſum vixit ſilet abſolutè de obſervationibus, quas Beroſus ipſe Chaldæis tribuit, quæque Babylonica Turre recentiores ſunt repertæ. Diodorus vero pariter hiſtoricus Manethonis commenta prætermittit, utpote procul dubio abſurda.

Imo critici eruditiores tenent, atque contendunt ante annos octingentos Chriſti nativitatem præcedentes nihil certi, nihil niſi fabuloſum ab hiſtoricis proferri profanis.

Volterius, cui facta hiſtorica pervertere & depra-

pravare familiare eſt, tantam, adeoque longævam Sinenſibus attribuit antiquitatem, calculum inſtituens a *Fobi*, primo, prout inquit, Sinarum Imperatore, & proſequens ad *yaonem* uſque, ut retro gradiens etiam ante *Fobi* imperium, ſupponat Sinarum jam parvula extitiſſe regna: regnis autem illis ad Imperii dignitatem evectis anteriores quoque populos extitiſſe optimis temperatos inſtitutis. His porro, juxta ipſum, & anteriores extiterunt; neque enim hos dicit fuiſſe a ſeipſis, proindeque illorum origo imaginatione comprehendi non poteſt. (1)

Increduli, quibus Scriptor prædictus eſt hiſtoricus celeberrimus, nec minus philoſophus, quibus commenta ſufficiunt etiam fabuloſa, iſthæc obijciunt, ut hiſtoriæ ſacræ evertant veritatem. *Lingua fallax non amat veritatem*. Prov. 26.

Nos curioſi non in vanis fabuloſiſque, ſed in factis veris ediſcendis, hiſtorici ſacri divinitùs inſpirati, ac majorum indubia traditione freti & innixi, librum aperimus. Intuitu primo Mundum, Cœlos, Firmamentum, Aſtra, Terram, atque omnia quæ in eis ſunt, cernimus quaſi modo de Omnipotentis manu naſcentia. Omnium ſic edocti originem, hominis indagamus naturam. Hominem ad imaginem Factoris ſui creatum legimus, dein primum in orbe reum mœſti ediſcimus, a quo cæteri omnes facti ſunt rei. Multiplicatis porro hominibus, corruptâque coram Deo terrâ, ſuper ultrices aquas errantem quaſi aſſpicimus Arcam. Placato tandem Cœlo columbam conſpicimus ferentem pacis olivam. Occurrunt deinde Patriarcharum continuatæ Series, gentium diviſiones, ſceptra, prolapſiones; excelſa falſis Numinibus erecta;

(1) *Eſſai ſur l' hiſtoire*.

cta; Entis nihilominus ſupremi adoratores adhuc veri; Legis naturalis omnibus communis, ſed obliterarx nimis renovatio; Legi eidem nova præcepta addita, præclara Iſraelitarum facta, probra, tranſmigrationes, manſiones, caſus adverſi; ubique Domini miſericordiæ & Dei patrocinium.

Iſthæc porro, etſi remotiſſima, adeò certa ſunt, ut ne illi quidem, qui Evangelij luce carebant, fidem denegaverint ſuam. Narrat enim Porphyrius Judæorum hiſtoriam veriſſimam eſſe, quoniam & locorum, & virorum nomina ponit, atque ipſe poſuit Sanchoniato Berutius, qui earum rerum omnium monumenta ab Hierobatto Dei Levi Sacerdote aſſerit habuiſſe. Lib. 4. adverſus Chriſt.

Et quidem quæ conſcripſit Moyſes in Pentateucho quoad quatuor ultimos libros, earum rerum ipſemet teſtis erat locupletiſſimus; quæ autem in Geneſeos codice refert, ea omnia non ſolum revelatione, ſed & majorum ore verbiſque ediſcere potuerat. Amram, Moyſis pater, diu vixerat cum Levi, avo ſuo. Levi pariter cum Iſaaco, patre ſuo. Iſaacus cum Sem, ſeu cum Noë, genitore ſuo. Noë autem cum Mathuſalâ; Mathuſala cum Adamo, & diu quidem.

Præterea ſi quæ conſcripſit in Geneſeos codice haud certa fuiſſent, procul dubio Moyſe antiquiores, qui & eadem ex traditione potuerant edidiciſſe, non probaſſent quod nullibi legitur factum.

Verùm, inquiunt recentiores Philoſophi, præſertim Volterius, quis credet Noë potuiſſe innumera congregare animalia in Arcam, inter quæ nonnulla etiam erant ferocia, imo & venenata? Quis ſibi perſuaſerit, Arcam tot animalia continuiſſe? Homines primævos ad tot vixiſſe annos? Gigantes olim extitiſſe?

Equi-

Equidem dum manus Omnipotentis extendebat Cœlos ſicut pellem, & terminos ponebat aquis; quando rupti ſunt fontes abyſſi magnæ, opertique montes excelſi, non aderat Moyſes, nec animalia in Arcæ ſinu contenta dinumeraverat, nec Adami, Mathuſalæ, cæterorumque ſenectam viderat, nec unà cum Gigantibus vixerat. An ideò concludendum: ergo Moyſes fabulas narravit? Si iſtud verum, jam omnium factorum hiſtoricorum ruat veritas neceſſe eſt; jam Traditionis omnis, etſi benè fundatæ evaneſcat certitudo; jam ad Pyrrhoniſmum revocanda ſunt ea omnia, quorum nemo noſtrûm fuit teſtis. An Judeorum ſeniores, & Moyſe antiquiores, adhuc viventes, iis omnibus, quæ ſcripſit Moyſes in Geneſeos codice conſenſiſſent, ſi eadem Traditioni non eſſe conformia vidiſſent? Contrarium evincant increduli; neque enim ſufficiunt adinventiones.

Quantùm ad animalium in Arcam congregationem, an manus Omnipotentis erat tunc temporis abbreviata? Manus hæc prius animantia terræ adduxerat coram Adam, ut videret quomodo vocaret ea. Manus omnipotens eadem non innumera animalia, ut falsò objicitur, ſed de mundis ſeptena, & ſeptena &c. adduxit in Arcam includenda, atque Noë obſecutura, etiamſi illorum quædam ferocia, etiamſi quædam venenata: quibus omnibus includendis ſufficiens fuit Arca ingentis menſuræ ex obſervatione factâ tùm ab Interpretibus, tùm a Patribus. Uno verbo: ſtructuram Arcæ deſignaverat Mundi totius Architectus: curta igitur, ac curta nimis hìc incredulorum menſura.

Quantùm ad primævorum hominum ſolito longiorem vitam, Gigantumque ſolito altiorem ſtaturam, atque eorum exiſtentiam, ſequentes afferuntur

rationes. *Cùm primo homines*, ait Obyſſenus hiſtoricus, *Moſes longis temporibus vixiſſe aſſerat, hujus rei teſtes Græcorum hiſtoricos Joſephus citavit. Nullus, inquit, brevitatem vitæ noſtræ conſiderans falsò ſcribi opinetur tam magno annorum numero vixiſſe: illi enim Deo amici, & ab eo immediatiùs producti, & integriore utentes alimento, quod longiore tempore poterant permanere, non injuriâ longioribus temporum ſpatiis vivebant: præterea etiam virtutis gratiâ, & ut res poſteris perutiles ..... invenirent.* Euſeb. lib. 9.

Cùm autem tunc temporis junior, vegetiorque eſſet natura, non mirum ſi homines grandiore extiterint ſtaturâ, quorum exiſtentiam non ſolùm Moyſes, ſed & hiſtorici profani retulerunt. Cæterùm ſilente Scripturâ Sacrâ quoad immanem illam ſtaturam, quam Poetæ admiſerunt, nos eam non approbamus: neque etiam hominum illam admittimus ſpeciem diverſam, quam fabulantes hiſtorici quidam fingunt; omnes quippe homines ab uno eodemque primo homine ortum duxerunt.

Diverſus quidem color, at in omnibus natura una, & eadem. Etſi porro diverſi coloris cauſa nec dum habeatur plane perſpecta, atque enucleata; fatentur tamen omnes, incredulis quibuſdam exceptis, ex hominibus nigris naſci quandoque albos, & viciſſim.

Philoſophos inter recentiores auctor operis, cui titulus eſt *Telliamed*, ut omnem Moyſis hiſtoriæ fidem detrahat, probare molitur Diluvij exiſtentiam penitus eſſe fabuloſam. Si, inquit, Diluvij aquæ montes altiores obtexiſſent, neceſſe fuiſſet, ut decreſcentis Diluvij aquæ per centena forte annorum millia defluxiſſent; & ſic Orbis non eâ Epochâ fuiſ-

F fet

ſet conditus, quâ dixit Moyſes.

Sed in errorem auctor ille inducere conatur. Moyſes refert Diluvij aquas decimo menſe decreviſſe; menſe autem ſecundo, ſeptimo, & vigeſimo die menſis arefactam fuiſſe terram. Infirmet iſta *Telliamedi* auctor. Numquid qui Cœli cataractas aperuit, non potuit eas illo temporis brevi intervallo claudere? An incredulus ille pluviæ guttas aliquando dinumeravit? An aliquando aquas maris in ſiccitatem convertit, atque ad id præſtandum dies enumeravit, annos, & tempora? *Hæc ſi potes enarra. Habes ergo quæ neſcis, & tribuis quæ non intelligis: æquanimiter imperitus in tuis, & inſolenter in Dei rebus ignarus.* Hilar. lib. 2.

Quantùm ad conchilia, & multa alia his ſimilia, quæ obijciunt in viſceribus terræ incluſa, hæc Diluvium probant quidem contra ipſum *Telliamedi* auctorem, at minimè demonſtrant Diluvij ceſſantis aquas per centena annorum millia defluxiſſe, atque orbem non eâ Epochâ, quâ dixit Moyſes, conditum fuiſſe. Quoad Diluvia Ogygium, & Deucalioneum, eæ fuere exundationes Atticæ, non autem Dilùvia vera.

Volterius, criticique illius ſimiles dicunt, Vituli aurei fuſionem factam pridie quàm deſcenderet Moyſes de monte, aut miraculum fuiſſe, aut merè fabuloſam, cùm ad talem fuſionem faciendam trium menſium vix tempus ſufficiat. Aſſerunt inſuper auri in pulverem reductionem arti Chymicæ etiam ſagaciori prorſus eſſe impoſſibilem.

Verùm indicet Volterius quo in loco Scripturæ ſacræ legatur, Vituli aurei fuſionem factam fuiſſe pridie quàm Moyſes de monte deſcenderet. Vituli aurei, inquit tamen, fuſio ſic facta pridie quàm Moy-

ſes

ſes deſcenderet, aut miraculum fuit, aut prorſus fabuloſa habeatur; & ſic quæ alibi miracula penitus reijcit, hic ea ſe admittere ſimulat. Vituli aurei fuſio miraculum haud fuit, imò illud audire horrent aures, & ipſa refugit recta ratio: neque etiam fuſio eadem fabuloſa fuit, ſed verè opus manuum populi Iſraelitici impatientis. *Fecitque populus quæ juſſerat (Aaron) deferens inaures ad Aaron: quas cùm ille accepiſſet, formavit opere fuſorio, & fecit ex eis Vitulum conflatilem*. Exord. 32.

Nec fuſio illa opus debuit eſſe trium ad minùs menſium, prout aſſerit Volterius, non conſultis ſanè fuſoribus, qui aſſeruiſſent fuſionem talem ſex dierum, imo & temporis brevioris ſpatio perfici poſſe. Iſraelitis porrò periti non deerant artifices in omni opere, quod fabrefieri poterat ex auro, argento, & ære, ut patet Exod. 31. & alibi.

Quantùm ad auri quantitatem pro Vitulo conflando neceſſariam, Volterius concipere nequit quî fieri potuerit, ut Iſraëlitæ, quibus ne pro ſandalis quidem reficiendis aderant neceſſaria, tantam auri quantitatem ſuppeditare valuerint.

At ſupputatione ab ipſiſmet incredulis facta, Iſraelitæ ad bis millena millia recenſebantur. Horum porrò tertiam ſolum partem confecerint Uxores, Uxorum Filij & Filiæ; quot jam inaurium, quot aureorum millia? Ea enumeret Volterius, ac deinde dijudicet, an ſuffecerint pro Vitulo conflando. Præterea Vitulus ille prægravis haud fuit molis, cùm geſtatorius fuerit: *fac nobis Deos, qui nos præcedant*.

Quoad Iſraëlitarum pauperiem, quæ juxta Volterium tanta erat, ut ne habuerint quidem unde ſandalia reficere poſſent; temerè illud etiam profert Volterius: audiat, atque intelligat. *Cùm egrediemini*,

*ni, non exibitis vacui; ſed poſtulabit mulier à vicina ſua vaſa argentea, & aurea, & veſtes*. Exod. 3. *Feceruntque Filij Iſrael ſicut præceperat Moyſes, & petierunt ab Ægyptiis vaſa argentea & aurea, veſtemque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis, ut commodarent eis, & ſpoliaverunt Ægyptios*. Ibid. 12.

Quantùm verò ad Vituli ejuſdem aurei reductionem in pulverem ſorbendam cum aquâ, legendo percurrat Volterius opus de origine Legum, ſcientiarum & artium, Chymicum ſtadium, opuſcula Domini Sthal Chymici peritiſſimi, & probatam reperiet reductionem illam, factu facillimam.

Paradoxum Volterio inſuper videtur, Iſraëlitas petiiſſe vitulum aureum colendum eo ipſo tempore, quo in fulgure, tonitru, & clangente buccinâ Deus alloquebatur Moyſen: nec clariùs comprehendit qui fieri potuerit, ut occaſione peccati unius Iſraëlitæ ad viginti & tria millia fuerint trucidati; Aaronque, etſi nocentiſſimus, non modò à ſtrage exceptus, ſed & ad ſummum Sacerdotium fuerit evectus.

Equidem Hebræi Idololatræ juſſu Moyſis utique manſuetiſſimi, & Dei zelo accenſi ob graviſſimum idololatriæ peccatum trucidati fuere; verùm, an ad viginti & tria millia, non clarè conſtat. Textus Hebraicus fert tria ſolùm circiter millia; ferunt & idem verſiones Syriaca, Chaldaica, Arabica, & Latina Complutenſis; concinunt varij & perplures Patres contra non etiam paucos. Quæ autem varietatis ratio? Non alia fortaſſe, quàm ſcribarum culpâ.

Cæterùm trucidati fuerunt non quidem viginti & tria millia, ſed quaſi, ut fert textus. Iſraëlitæ decies mille ad minus præſentes aderant. Tribus Levi numeroſa habebatur. Levitæ ab idololatriæ peccato

cato immunes, nec ſacro miniſterio adhuc dicati, omneſque Zelum Domini habentes trucidabant Idololatras inermes, cantantes, choros ducentes; qualis ergo, & quanta exinde ſecuta ſtrages! An ignorare affectavit hìc Volterius pleraque facta exiſtere hiſtorica, quibus conſtat dena militum millia, imo & pauciora, profligaſſe triginta millia etiamſi armata, etiamſi ferocia, & ad prælium parata?

Qùod autem Iſraëlitæ eo ipſo tempore, quo in fulgure, tonitru, & clangente buccinâ Deus Moyſen alloquebatur, ad Idololatriam diverterint, non ratio una. Longioris abſentiæ Moyſis tædio affecti Iſraelitæ, proni ad malum, numinum Ægyptiorum recentiore memoriâ impulſi, columnâ nubis & ignis non amplius duce, hìnc tumultuantes & concongregati adverſus Aaronem dixerunt ei. *Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant: Moyſi enim huic viro, qui nos eduxit de terrâ Ægypti, ignoramus quid acciderit*. Exod. 32.

Fecit Aaron, at invitus fecit. Iſraëlitarum noverat alternationes, noverat eorum cordis duritiem; ut ab idololatriâ averteret, Uxorum, Filiarumque petiit inaures, quarum eas ſciebat eſſe ſtudioſiſſimas; vicit tamen impietas, *Surge fac nobis Deos*; quare Moyſi reverſo, peccatumque exprobranti reſpondit Aaron. *Ne indignetur Dominus meus; tu enim noſti populum iſtum, quod pronus ſit ad malum*. Exod 32.

Cur autem, peccante Aarone, Deus ordinationem illius ad Sacerdotium, quam prius jam Moyſi præceperat, non retractaverit, Aaronque unà cum Idololatris trucidatus non fuerit, ſciſcitetur Volterius à Deo, apud quem non eſt perſonarum acceptio: interim Aaroni omnem non deneget excuſationem.

## SECTIO II.

### *De Moyſis exiſtentia* .

MOyſes verè extitit, veruſque Iſraëlitarum Dux fuit & Legislator.

I. Quidem verè Moyſen extitiſſe teſtantur hiſtorici tam Sacri, quàm profani contra Auctorem quemdam delirantem, Moyſen perſonam fuiſſe ſolùm allegoricam, omneſque illius libros meras eſſe allegorias (1)

Cùm porrò hiſtorici ſacri ſint ferè innumeri, paucos hìc ſolùm recenſebimus. *Moyſes ſervus meus mortuus eſt*. Joſuè 1. *Quadraginta annorum eram, quando miſit me Moyſes, famulus Domini*. Ibid. 14. *Et miſit Dominus Moyſen, & Aaron, & eduxit Patres noſtros de terra Ægypti*. 1. Reg. 12.

Quoad hiſtoricos verò profanos legantur Diodorus Siculus lib. 1. Plinius lib. 30. Longinus, Artapanus, qui ait Filiam Regis Ægyptiorum, quoniam ipſa non pareret, Judæum adoptaſſe, quem Judæi Moyſem, Græci autem Muſæum appellant. Euſeb. l. 9.

An momenta hæc, plurimaque ſimilia demonſtrant Moyſèn perſonam fuiſſe ſolùm allegoricam & fictitiam, omneſque illius libros meras complecti allegorias? An miſſio Joſuë mera fictio, & Iſraëlitarum exitus de Ægypto, duce Moyſe, allegorica narratio fuit?

Et profectò, quis auctor hiſtoricus extitiſſe dicendus, ſi Moyſes verè non extitit, ſi Moyſes perſona

ſona

(1) *Le Deſpotiſme Oriental*.

ſona fuit tantùm allegorica? Quinam libri habendi ſunt ut verè hiſtorici, ſi Moyſis libri ſunt ſolùm allegorici? An Iſraelitæ, qui Moyſen habuerunt ducem, reſpondiſſent Joſue, atque dixiſſent: *ſicut obedivimus in cunctis Moyſi, ita obediemus & tibi. Tantùm ſit Dominus Deus tuus tecum, ſicut fuit cum Moyſe?* Joſue. 1. An hiſtorici tantam conceſſiſſent Moyſi antiquitatem, ſi perſona fuiſſet ſolùm fictitia? Jam demonſtravimus anteactis ab orbe condito ſeculis nullum extitiſſe hiſtoricum neque Phœnicum, neque Chaldæum, neque Ægyptium, neque etiam Græcum Moyſe antiquiorem, vel etiam coævum. Quare cùm Auctores quidam dicunt ante bellum Trojanum nihil in hiſtoriâ reperiri certum, loquuntur ii non de hiſtoriâ Sacrâ ſed de Profanâ, cujus fragmenta ſolùm ſuperſunt, relata ab hiſtoricis recentioribus.

Obſervandum hìc 1. Moyſis exiſtentiam non ſolâ quorumdam hominum ad nos perveniſſe famâ, ſed invictè patere ex certiſſimis momentis, ſimulque ex ipsâ Traditione, eâque continuâ, ac ſemper eâdem. 2. Moyſen Iſraelitarum ducem fuiſſe, atque Legiſlatorem tradunt quoque hiſtorici ſive ſacri, ſive profani. *Sicut obedivimus in cunctis Moyſi, ita obediemus & tibi.* Joſue. 1. *Hunc Deus principem, & Redemptorem miſit . . . hic eduxit illos faciens prodigia & ſigna in terra Ægypti.* Act. 7. *ut cuſtodias, & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyſes*, Joſue 1. *Scriptum eſt in libro Legis Moyſi*: 4. Reg. 14. *Juxta diſpoſitionem & Legem Moyſi hominis Dei*. Paral. lib. 2. cap. 30.

Quoad hiſtoricos profanos, eoſque varios, Ptolomæus Mendeſius Myſta Ethnicus aſſerit, regnante Amaſide apud Ægyptios, Moſe duce, exitum Judæorum ab Ægypto fuiſſe. Appion hiſtoricus non vul-

garis, Judæorum autem hoſtis acerrimus, iſtud idem confirmat his verbis: *Regnante apud Argos Jnacho, & Amaſi apud Ægyptios, Judæi, duce Moyſe, ab Ægyptiis defecerunt*. Euſeb. lib. 10. cap. 3. Numa, Romanorum Rex, referente Clemente, Moſayca nixus doctrinâ, Leges dedit Romanis. Euſeb. lib. 9. cap. 3.

Demum inter doctiſſimos Judæorum Scriptores Philo ait: *mirabile mihi videtur, duobus annorum millibus, imo majore tempore jam ferè tranſacto (non enim exquiſitiſſimè annorum poſſum dicere numerum) nec verbum unum in lege illius (Moyſis) eſſe immutatum; ſed centies unuſquiſque Judæorum morietur, quàm Legi Moſaicæ derogabit*. Lib. 1. de Hypotheticis.

Verùm quid opus eſt teſtibus uti pluribus, cùm hiſtorici ferè omnes unâ voce Moyſen extitiſſe, imo etiam ante Trojana tempora Moyſen Iſraelitarum ducem fuiſſe, & Legislatorem referant? Concinit his univerſalis, ac perpetua Traditio.

Omnia hæc infirmet auctor operis *Le Deſpotiſme Oriental*; argumentis firmioribus demonſtret Moyſen meram fuiſſe perſonam fictitiam, Moyſis libros meras complecti allegorias; neque enim ad veritatem evertendam ſufficiunt commenta & adinventiones. Moyſes extitit, Iſraelitarum Dux fuit atque Legislator, Moyſis libri meràs non continent allegorias. *Moyſes Legislator noſter*, inquit Joſephus 2. de antiquit. Judaic. *quoniam opera legibus conſona effecit, non ſolùm ſui temporis Judæos, ſed omnes ad veram Dei pietatem reduxit, atque adduxit; cujus rei cauſa eſt, quoniam Leges ipſas utiliſſimas omnium tulit .... Primum omnium de Deo opinamur, quod ipſe perfectiſſimus atque beatiſſimus ſit ſibi ... omnium ipſe*

*re-*

*rerum principium, ipſe medium, & finis ... hic ſequendus omnibus hominibus eſt, atque colendus .... Parentes ſecundo loco poſt Deum honorari juſſit .... Judici muneribus corrupto mortem intulit .... qui non auxiliatur ſupplicanti reus eſt ... non tangas alienum ... nec igne, nec ferro agros hoſtium populari dimittit, nec eos ſpoliare, qui ceciderunt in prælio &c.*

An iſthæc, plurimaque alia his ſimilia meras denotant allegorias? An momenta hæc hominem probant tantummodò allegoricum, & fictitium? Ita nihilominus arbitrantur increduli, ita ad irreligionem ineſcant homines, ita naturæ ad malum proclivitate, & legentium innixi credulitate, omnia audent.

## SECTIO III.

### *Moyſes Pentateuchi verus eſt Auctor.*

MOyſen Pentateuchi verum eſſe auctorem teſtantur hiſtorici ſacri, agnoverunt hiſtorici profani, confirmat conſtans ac perpetua Traditio. Audiamus hiſtoricos ſacros. *Sicut præceperat Moyſes famulus Domini filiis Iſrael, & ſcriptum eſt in volumine Legis Moyſi.* Joſue 8. *Offerentur Domino ſicut ſcriptum eſt in libro Moyſi.* Paral. 2. *Statuerunt Sacerdotes ... ſuper opera Dei in Jeruſalem, ſicut ſcriptum eſt in libro Moyſi.* Ibid. lib. 1. *ſicut ſcriptum eſt in Lege Moyſi, omne malum hoc venit ſuper nos.* Dan. 9. *Non obedio præcepto Regis, ſed præcepto Legis, quæ data eſt nobis per Moyſen.* Machab. 7. *Quia lex per Moyſen data eſt*, inquit Joannes Apoſt. & Evang. cap. 1.

Ne infiniti ſimus, obſervandum hic nomine Voluminis Legis, aut Libri Legis non ſolùm intelligi

Deu-

Deuteronomium, quod Legis priùs latæ, ac animis intimè inculcandæ tantùm eſt repetitio; ſed etiam præcedentes Pentateuchi libros, in quibus continetur jam Lex ipſa, in quibus recenſentur cæremoniæ & judicia ab Iſraelitis obſervanda.

Notandum inſuper Moyſis tempore Legis volumen, utpote tunc unicum, digeſtum & diviſum non fuiſſe in quinque Pentateuchi libros. Digeſtio hæc facta habetur non ab Eſdrâ, ut putarunt aliqui, ſed probabilius à ſeptuaginta Interpretibus, ut arbitrantur perplures auctores.

Audiamus nunc hiſtoricos profanos, qui ejuſdem veritatis ſunt adſtipulatores. Manethon à Joſepho citatus lib. 1. contra Appionem, Philochorus hort. ad Gentiles, divo tamen Iuſtino adſcriptâ, Trogus Pompejus apud D. Juſtinum, Celſus & Porphyrius Chriſtianorum & Judæorum hoſtes infenſiſſimi, Porphyrius præſertim in opere adversùs nos ſcripto, ait: *nam ea, quæ Moyſes agreſti, ac ſimplici ſermone conſcripſit, divinitùs ſancita confimant.*

Accedit ad hujus veritatis fidem, conſtans, & non interrupta Traditio. Judæi Moyſen ut Legum ſuarum auctorem ſemper venerati ſunt, nec minùs viguit apud Chriſtianos eadem Traditio, imo etiam apud Gentiles; ut patet ex teſtimoniis modò allatis.

Et quidem nulli ſanè critici etiam eruditiſſimi inficiabuntur, factum illud tanquam certum eſſe habendum, quod ab aliquo populo, eoque ſpectatore ejuſque poſteris legitur admiſſum fuiſſe, etiamſi illorum interfuerit factum idem non admittere: porrò Iſraelitæ Moyſi coævi, Iſraelitarumque poſteri Moyſen ut Pentateuchi auctorem conſtanter ſemper agnovere. Intererat autem Iſraelitarum & poſterorum habere Moyſen tanquam calumniatorem; illis enim innu-

innumera ferè exprobrat in ſuis codicibus ignominioſa: imo eorum intererat Codices ipſos ut ſuppoſititios reijcere. Et tamen conſtanter dixere: non obedimus præcepto Regis illicitum imperantis, ſed præcepto Legis, quæ data eſt nobis per Moyſen. *In tantam*, inquit Porphyrius, *pervenerunt patientiam, ut nec equuleo, nec igne, nec alio quæſtionum genere impelli poſſint, ut aut verbis Legislatorem vituperent, aut illicitum quidquam comedant.* lib. de abſtin. a Carnibus.

Enimvero ſi factis, quæ ab hiſtoricis tum Sacris tum profanis traduntur, quæque conſtanti ac perpetuâ Traditione firmantur, fides, eaque certa non ſit habenda, ruant jam cuncta monumenta hiſtoriarum, muta Traditionis fiant labia neceſſe eſt: imo Deus ipſe dicendus in eo nos conſtituiſſe ſtatu, ut neceſſariò ac perpetuò aberraremus, & vigeret in omnibus ferè Pyrrhoniſmus.

Scriptores nihilominus quidam noſtræ ætatis, Spinosâ duce, Moyſen Pentateuchi voluminis auctorem eſſe negant, verùm nullo, ut videbimus, innixi fudamento.

Moyſes, inquiunt, dicitur in Pentateucho locutus ad omnem Iſraël trans Jordanem, cùm tamen Jordanem non trajecerit Moyſes. In volumine eodem ſe ipſum laudat Moyſes, de ſe in tertiâ perſonâ loquitur, varia referuntur urbium nomina tunc temprois incognita. Item Moyſis ipſius mors & ſepultura. Quæ omnia probant Moyſen Pentateuchi non eſſe auctorem.

Verùm increduli illi more ſuo hic etiam cavillantur. Moyſes dicitur locutus ad omnem Iſrael trans Jordanem. Particula *trans* hic accipienda non eſt pro *ultra Jordanem*, ſed *citra Jordanem*, quia parti-

ticula *beheber* æquè ſignificat *citra* , ac *trans* , neque enim hebræis alia eſt particula . Quare callentes hebraicam linguam vertunt : in tranſitu Jordanis , vel ad ripam Jordanis , aut citra Jordanem . Particula igitur *beheber* ex orationis ſerie , & pro ſubjectâ materiâ æſtimari debet quo ſenſu ſit accipienda.

Dum verò Moyſes ſe dicit Prophetam à Deo miſſum , & mitiſſimum ſuper omnes homines , non animo elatus profert iſta , ſed mittentis Dei juſſa refert & teſtimonia ; juſſa quidem modeſte , ac obediens factus , dixit enim converſus ad Deum : *Quis ſum ego , ut vadam ad Pharaonem , & educam Filios Iſrael de Ægypto ? Qui ( Deus ) dixit ei : ego ero tecum , & hoc habebis ſignum , quod miſerim te .* Exod. 3.

An Apoſtolus ſuperbè loquutus fuiſſe dicendus , quia dixit : *imitatores mei eſtote , ſicut & ego Chriſti* ? Moyſes fidem & fiduciam ſic conciliavit Legibus ſuis ; ſic & Apoſtolus ſuis concionibus .

Nec Moyſes animo elatus magis dicendus , cùm teſtimonia de ſe à Deo refert facta . Hæc neceſſaria videbantur , ut Maria , Moyſis ſoror , invidiæ rea & murmuris contra Fratrem , agnoſceret culpæ ſuæ gravitatem ; nec pœnam , quâ exinde plectebatur , refunderet in Moyſen tanquam crudelem , ſed humiliata divinam agnoſceret manum vindicem . *Quare ergo non timuiſtis detrahere ſervo meo Moyſi* ? Exod. 12. *Clamavitque Moyſes ad Dominum dicens : Deus , obſecro , ſana eam* . Ibid.

Quod autem Moyſes de ſe in tertiâ perſonâ loquatur , modus hic quidem fuit Moyſi primitivus , at deinceps non peculiaris , prout legitur apud Julium Cæſarem , Eſdram , Apoſtolum &c. Hic porro ſcribendi modus ab hiſtoricis , aliiſque ſcriptoribus interdum

dum uſurpatur; vitandæ affectationis causâ, atque ut facta ab ipſis relata quaſi alteri tribuerentur ſive auctori, ſive ſcriptori. Sic Eſdræ cap. 7. *Ipſe Eſdras aſcendit de Babylone, & ipſe ſcriba velox in Lege Moyſi*.

Quantùm ad varia Urbium & Locorum nomina nonniſi poſt Moyſis mortem cognita, ut cùm Geneſeos 10. Ninive dicitur ab Aſſur ædificata, quæ tamen juxta aliquos à Nino refertur tantùm condita; cùm auctores profani fateantur ante bellum Trojanum nihil certi in profanis reperiri; hinc Judæorum, Græcorum, Latinorum &c. teſtimoniis atque conſtanti Traditione innixi, dicimus Moyſi, utpote hiſtorico antiquiori fidem eſſe adhibendam, ac reverâ Moyſen potuiſſe ſcribere: *de terra illa egreſſus eſt Aſſur, & ædificavit Niniven*. Genes. 10. Quia juxta veteres omnes ſcriptores, ac perplures recentiores Aſſur fuit Filius Beli, ſeu Nemrod, atque Ninus dictus, à quo urbs Ninive ædificata. Dictus porrò fuit Aſſur Ninus ille per anticipationem, quatenus Aſſyriorum futurus erat Rex, & Monarcha primus.

Diximus juxta veteres omnes, Auguſtino ſcilicet, ac Hieronymo antiquiores. Nam Doctores hi duo tenent Aſſur, de quo hic, fuiſſe Filium ſecundum Sem, qui factus fuit Rex primus Aſſyriorum, & à quo populi in regione Ninive degentes Aſſyrij dicti ſunt, & ab eodem ædificata in Ninive eâdem fuit Urbs, quæ poſtea reſtaurata, & aucta à Nino, dicta fuit Ninive. Probabilior tam videtur prior ſententia, cùm hæc omnia ſpectent Filios non Sem, ſed Cham uſque ad verſiculum 21. ubi primùm de Filiis Sem fit mentio.

Quantùm ad alia ſive Urbium, ſive Locorum nomina obſervandum 1. quandoque Urbium etiam diver-

diverſarum, ſicut & Locorum unum & idem fuiſſe nomen. Sic nomen *Dan* commune eſt tùm cuidam fonti, a quo Jordanis ducit originem, tùm Urbi collocatæ prope Libanum. Sic quoque *Turris gregis* duplex; altera ſcilicet Bethleemæ proxima, altera verò Hieroſolymis. Duplex etiam Galgala &c.

Obſervandum 2. plurimarum Urbium & Locorum mutata reperiri ſacris in paginis nomina, vel ratione poſſeſſoris novi, ut. cùm prope Libanum Urbs quædam priùs *Lais* dicta, poſt Moyſen à Tribulibus Dan capta, ab iiſdem *Dan* dicta fuit; vel etiam, quia nominum mutationes illæ claritatis causâ vel in codicum marginibus, aut ſpatiis intermediis adjectæ, poſtea textui ipſi fuerunt inſertæ. Verùm an exinde concludi rectè poteſt, Moyſen Pentateuchi non eſſe auctorem?

Quantùm denique ad Moyſis mortem & ſepulturam, ſi Joſepho hiſtorico fides adhibeatur, Moyſes tunc eas propheticè ſcribens prædixit. Alij nihilominus cenſent unà cum Hebræis, totum hoc Caput trigeſimum quartum, exceptis quatuor primis verſibus à Moyſe conſcriptis, à Joſue exaratum fuiſſe, & Pentateucho aſſutum, ut in volumine eodem ſcripta haberentur Moyſen ſpectantia. Verùm an inde ſequitur Moyſen Pentateuchi non eſſe auctorem? Nonne Critici plurium auctorum operibus adjecta ſæpiùs deprehendunt quæ genuina non ſunt, nec idcirco negant genuina eſſe opera illorum auctorum, quibus tribuuntur?

Equidem nominum mutatio ſæpè probat opus aliquod auctoris non eſſe, cui nihilominus adſcribitur; at iſtud non accidit quoad Pentateuchum, qui à ſcriptoribus ſive ſacris, ſive profanis attribuitur Moyſi, idque confirmat perpetua, ac conſtans Traditio.

Ete-

Etenim , quàm ſæpè Critici variis in Auctoribus quædam obſervant, notantque ſpuria, atque de induſtriâ fortaſſis ab alio adjecta, nec tamen Auctoribus veris ipſa denegant opera ? Sciunt genuina diſcernere a ſpuriis & intextis : en illorum ſagacitas, atque ſolertia .

Increduli tamen cavillationibus finem haud facientes ajunt : Moyſes Exod. 16. narrat Iſraelitas Manna comediſſe donec tangerent fines terræ Chanaam ; Moyſes porro tunc temporis mortuus erat . Deutoromij verò cap. 2. legitur Iſrael habitaſſe in terrâ promiſſionis , quam dedit illi Dominus ; Iſraël tamen non incoluit terram illam niſi poſt Moyſis mortem . Conſequitur ergo Moyſen Pentateuchi auctorem dici non poſſe .

Argumentatio hæc ſpeciem habet quidem veri, non tamen vera eſt . Iſraelitæ manna comederunt in deſerto per quadraginta annos ; Moyſes ergo potuit aſſerere factum iſtud . Moyſes ſciebat Iſraelitas eſſe ingreſſuros terram Chanaam anno quadrageſimo ; iſtud Moyſi & Aaroni revelaverat Deus Num. 14. Sciebat Moyſes Iſraelitas terram illam admodum fertilem ingreſſos non amplius Manna eſſe comeſuros . Audiant increduli . *Omne mandatum , quod ego præcipio tibi hodie , cave diligenter facias . . . . & recordaberis cuncti itineris , per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per deſertum . . . . afflixit te penuria, & dedit tibi cibum Manna . . . Dominus enim Deus tuus introducet te in terram bonam . . . . terram frumenti, hordei, ac vinearum . . . . terram olei, ac mellis* . Deuter 8.

Quoad habitationem autem terræ hujus obſervandum eſt , Iſraelitas non omnes, ac ſimul eam ingreſſos fuiſſe , nec etiam ab Iſraelitis illam totam,

ac

ac integram in ipſo ingreſſu fuiſſe occupatam. Debellandi prius erant Amorrhæi, quod præſtarunt Hebræi in terris Regum Og, & Sehon: expellendi quoque Horrhæi, quod fecerunt Idumæi. Hæc autem peracta fuere vivente adhuc Moyſe.

Varia prætermittimus hic momenta ab incredulis objecta, cùm nonniſi meræ ſint argutiæ. Antiquitatum antiquitati inhæremus, ſicuti & conſtanti ac perpetuæ Traditioni. Moyſen conſpicimus quaſi modo originem Univerſi recenſentem, hominis creationem, Patriarcharum ſeriem, factas Patriarchis promiſſiones memorantem, Iſraelitas juſſu divino ducentem, Iſraelitis jura dantem, iiſdem demum iterum denunciantem Legis volumen. *Hæc ſunt præcepta, & cæremoniæ, atque judicia, quæ mandavit Dominus Deus veſter, ut docerem vos ... eruntque verba hæc .... in corde tuo, & narrabis ea Filiis tuis.* Deuter. *6.*

Moyſes Pentateuchi fuit ſcriptor. Moyſen fuiſſe Pentateuchi ſcriptorem indicant ſacræ paginæ, de quibus nefas eſt dubitare, annuunt hiſtorici ſacri & profani, concinit conſtans ac perpetua Judæorum Traditio.

Paginæ ſacræ. *Dixit Dominus ad Moyſen, ſcribe hoc monimentum in libro.* Exod. 17. *Quem ſcripſit Moyſes in Lege.* Joan. 1. *Moyſes enim ſcripſit, quoniam juſtitiam, quæ ex lege eſt.* ad Rom. 18.

Neque eſt, quod aliquis dicat de ſolo Deuteronomio intelligendos eſſe textus illos: nam præcedentibus in libris jam recenſentur præcepta, leges, cœremoniæ, & judicia. Porro quî fieri potuiſſet, ut Iſraelitæ tot præcepta, leges, cæremonias, & judicia obſervaſſent, niſi & ſcripta habuiſſent?

Hiſtorici profani. Pro omnibus audiatur Porphy-

phyrius qui in libris, quos evomuit adversùs Chriſtianos ait: *ea, quæ conſcripſit Moyſes agreſti, & ſimplici ſermone, divinitùs ſancita, & figuris atque ænigmatibus obtecta confirmant.*

Accedit conſtans atque perpetua apud Judæos Traditio. Judæi enim non ſolùm Moyſen ut voluminis Legis auctorem, ſed & ſcriptorem conſtanter agnoverunt, ac venerati ſunt. Et quidem ſi Moyſes Pentateuchi non fuiſſet ſcriptor, quomodo gens Judaica ad hoc uſque tempus ignorare potuiſſet volumen iſtud non fuiſſe à Moyſe conſcriptum?

Richardus tamen Simon in ſuâ veteris Teſtamenti critice aſſerit Moyſen ſcripſiſſe quidem Leges in Pentateucho contentas; non autem facta hiſtorica, nec bella, nec migrationes Iſraëlitarum, quæ omnia, inquit, Moyſis juſſu à ſcriptoribus inſpiratis etiam divinitùs fuere conſcripta.

Richardo Simoni præiverat Spinoſa, ex Judæo poſtea Atheus factus: hic quippe aſſeruit Moyſen librum bellorum Domini non ſcripſiſſe, alios verò libros ab Eſdrâ fuiſſe exaratos.

Auctor operis *de la Tolérance* tradit Moyſen haud potuiſſe totum conſcribere Pentateuchi volumen.

Inconſideratè procul dubio Spinoſa aſſeruit Moyſen bellorum Domini ſolùm conſcripſiſſe librum: *dixit enim Dominus ad Moyſen: ſcribe hoc monimentum in libro*; ergo jam aderat liber non bellorum tantùm, quâ enim ratione Moyſes omiſiſſet litteris mandare Leges eas, quas tanquam divinas, & ab omnibus ſtrictè obſervandas tradebat? Imò qui longè minora exaraverat? *Nec putes timere, inquit Eleazarus, de rebus tam parvis a Moyſe fuiſſe conſcriptum, ſed omnia videas ad probitatem hominum, & juſtitiæ perfectionem ſanctè pertinere.* apud Euſeb. lib. 8.

Nec veriùs aſſeruit Richardus Simon, cùm dixit, Moyſis etiam ætate extitiſſe ſcriptores publicos, atque à Deo inſpiratos, qui Moyſis juſſu facta hiſtorica, bella, Iſraëlitarumque migrationes ſcriptis mandarunt. Iſthæc enim Richardus probare non poteſt ex Scripturâ ſacrâ: nam ibi de ſcriptoribus Moyſis tempore exiſtentibus altum eſt ſilentium. Neque, etiam ex traditione; nam hæc Richardi ſententiæ prorſus habetur adverſa; neque etiam ex Patribus, & auctoribus ſive ſacris, ſive profanis. Omnes enim, qui hanc quæſtionem agitarunt, unâ voce aſſerunt à Moyſe conſcriptum fuiſſe Pentateuchum, ac proinde facta hiſtorica, bella, migrationes Iſraëlitarum, aliaque Judaicum populum ſpectantia ſcripto conſignata, Moyſis eſſe opus. *Dixit Dominus ad Moyſen: ſcribe hoc monimentum in libro*. Exod. 17.

Deiſtæ parum de veritate inquirendâ ſolliciti, ajunt. Moyſes in deſerto curis diſtentiſſimus continuis non potuit totum ſanè conſcribere Pentateuchum.

Moyſes equidem in deſerto Iſraëlitarum Dux, Legislator, Reconciliator, Pacificatorque curis ſine dubio diſtentus fuit continuis; verùm Deus erat cum ipſo, atque auxiliator ejus; verùm Moyſes in deſerto non debuit opus Encyclopedicum aliquod conſcribere.

Moyſes, ut aliqui putant, Geneſim ſcripſit, cùm exul ageret in Madian ad conſolationem Iſraëlitarum à Pharaone oppreſſorum. Veriſimiliùs tamen juxta perplures alios Doctores Moyſes totum litteris mandavit Pentateuchum per modum ephemeridum, ſeu annalium poſt egreſſum Herbræorum ex Ægypto. Moyſen porro per quadraginta annos commoratum in deſerto volumen tale conſcribere valuiſſe, qui animum adverterit, inficiabitur nemo.

Quan-

Quantum ad auctorem operis inſcripti: *de la Tolérance* ejuſque ſequaces aſſerentes, Moyſis ætate nec dum inventam fuiſſe ſcripturam, cùm adinventio hæc Cadmo tribuatur; unde Moyſis tempore ſcripto tradenda typis hieroglyphicis ſolùm exarabantur vel in lapide, vel in lateribus, vel in ligno, vel etiam in plumbo. Ecquis porrò, ajunt, crediderit Moyſen ſic potuiſſe totum conſcribere Pentateuchum?

Verùm quàm falsò proferant illi, Moyſis ætate uſitatam necdum fuiſſe ſcripturam, patet tum ex ſacris paginis. *Scripſit autem Moyſes univerſos ſermones Domini* Exod. 24. *Scripſit ergo Moyſes canticum, & docuit Filios Iſrael ... poſtquam ergo ſcripſit Moyſes verba Legis in volumine*. Deut. 31. Tùm patet ex auctoribus eruditioribus, qui tenent non ab aliis, quàm ab Hebræis Litteras fuiſſe primò inventas, ab Hebræis autem ad alios tranſmiſſas. Nec diffitentur vel ipſi hiſtorici profani. Eupolemus dicit Moyſen ſapientiſſimum fuiſſe hominem, litteras primùm Judæis tradidiſſe, & à Judæis Phœnices accepiſſe, Græcos verò a Phœnicibus; atque hinc ſcriptores non pauci tenent à Cadmo Phœnicio Græcos Litteras ſexdecim primum habuiſſe.

Eupolemo conſentit Artapanus, dicens: *Moyſes, quem Græci Muſæum appellant, litteras quoque invenit, quas Sacerdotibus tradidit*. Euſeb. lib. 9.

Et quidem, quis ſibi facilè perſuaſerit tunc temporis typos hieroglyphicos ſolùm fuiſſe in uſu? Quis crediderit ætate illâ nonniſi in lapide vel lateribus, aut plumbo, vel etiam ligno cuncta fuiſſe exarata tantùm, omnemque aliam defeciſſe materiam? Nonne varia etiamnum ſculpuntur in lapide, nec tamen idcirco concludendum non exiſtere papyrum? An non Moyſis ætate dari potuerunt membranæ, vel alia ſimilis materia?

Fatentibus ipſiſmet Deiſtis habebatur tunc temporis ars jam inventa fabrefaciendi ferrum, lateres, plumbum, ars item ſculpendi, ac typos hieroglyphicos conficiendi. Quibus ergo rationibus ducti idem negant de arte ſcribendi? Nunquid veteres illi in cæteris ſagaces ac periti, nullam tamen ſive colorum, ſive ſcripturæ habuerunt notitiam? Iſtud ſibi fingunt Deiſtæ, nec ſine dolo; cor enim non eſt rectum.

Nec minùs improbi habeantur, cùm obijciunt modò Moyſis defectus in Pentateucho recenſitos, modò Pentateuchum ipſum compendium eſſe ab Eſdrâ confectum. Verùm, nonne Apoſtolus ait: *ego ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei?* An idcirco Apoſtolus idem dicendus Epiſtolam ad Corinthios non ſcripſiſſe? Iſraëlitarum probra ſcripſit Moyſes, nec proprios tacuit defectus.

Addunt Deiſtæ, Pentateuchum Synopſim eſſe tantùm ab Eſdrâ contractam. Iſtud quidem facile dictu eſt, at non probatu. Pentateuchus, qui modo habetur, Pentateucho ſimillimus eſt Samaritanorum, & Judæorum. Samaritanorum quidem, ſed antiquis exaratus litteris hebraicis ante captivitatem Babylonicam uſitatis, & proinde ante captivitatem illam, & ante Eſdræ tempora conſcriptus. Pentateuchus verò Judæorum exaratus habetur litteris Chaldaicis poſt captivitatem ſolùm uſitatis. Etſi porrò uterque diverſis exaratus ſit litteris, atque temporibus, uterque nihilominus ſimilis prorſus eſt. Hinc quem modo habemus Pentateuchum, is opus eſt Moyſis; alioqùin Samaritani, Judæorum inimici, illum utique rejeciſſent, ſicut rejecerunt cæteros Eſdræ Libros à Judæis receptos.

Et quidem, ſi Eſdras, concrematis tempore in-

cen-

cendij hieroſolymitani codicibus, codices non ſcripſiſſet volumini à Moyſe conſcripto & tradito conſentaneos, Iſraëlitæ ipſi eos nunquam admiſiſſent, præſertim quoad ea, quæ in illis ſibi ignominioſa, & dura legebant.

Imo juxtà Patres, ac varios interpretes cùm Helcias refertur libro 4. Regum legis librum repeꝛiſſe in domo Domini, atque ad ejuſdem libri lectionem Joſiam præ dolore veſtimenta ſcidiſſe, hoc non evenit quaſi tunc temporis unicum ſupereſſet Legis exemplar, prout perperàm opinati ſunt quidam, ſed quia liber ille propriâ Moyſis manu conſcriptus ſingulari veneratione dignus habebatur.

Obſervandum hìc varia recenſita haberi à Moyſe, quæ primo intuitu inutiliter recenſita videntur, cùm earum rerum teſtes fuerint Iſraelitæ Moyſi coævi; ut quando Moyſes ſcripſit Gomor decimam Ephi eſſe partem, vel etiam magnitudinem lecti Og Regis. Iſta enim eo ſcripſit animo Moyſes, ut poſteritati tranſmitterentur. Tacitas hìc omittimus quaſdam alias incredulorum cavillationes, ne reverâ tempus teratur inutiliter.

Quidam hìc obijciunt poſt Iſaacum Peyrerium Præadamitarum parentem, Geneſeos librum ab aliquo ante Adamum & Evam exiſtente conſcriptum fuiſſe. Peyrerius enim occaſione hujuſce textûs Scripturæ Geneſeos 4. *Omnis igitur, qui invenerit me, occidet me*, putavit ante Adamum & Evam homines jam extitiſſe, Caïnumque à facie Domini ejectum illos timuiſſe. Dicitur tamen Peyrerius deinde ſententiam hanc ſuam damnaſſe. Et reverâ illa Caini verba probant quidem Cainum horrendi ſceleris reum, à facie Domini ejectum, atque vagum & & profugum timuiſſe, ne ab hominibus ſubinde exi-

ſtentibus, ſceleriſque certioribus factis, ac ſibi caventibus, occideretur; at minimè probant extitiſſe homines ante Adamum & Evam. Cainus ex tremore corporis, ac furiatæ mentis agitatione commotus iſta protulit: unde juxta communiorem ſententiam tremor corporis, mentis ac vultus conſternatio continua ſigna fuere, quæ poſuit Dominus in Caino, ne interficeretur.

Increduli Moyſen aggreſſi ut perſonam ſive fictam, ſive allegoricam ſunt præſertim auctores, qui indicantur n. (1)

## SECTIO IV.

### *De Definitione Miraculi.*

MIraculum opus eſt ſupernaturale, naturæ creatæ vires excedens. Opus eſt virtutis divinæ, ac proinde ſuperans naturæ vires ſive quoad ſubſtantiam, qualis fuit Lazari jam fœtentis reſurrectio, cœco nato luminis largitio; ſive quoad modum, qualis foret ſubita à morbo graviſſimo ſanitatis & virium perfecta reparatio, quæ conſulto ordine tum phyſico, tum morali reverà naturæ vires excederet; non autem naturæ ſolùm humanæ, ſed & totius naturæ creatæ.

Scriptor quidam hanc novam miraculi tradidit definitionem. *Miraculum opus eſt mirabile ex legibus naturæ univerſalibus fluens, at vel incognitis, vel*

(1) *Du deſpotiſme Oriental.*
*Du Dictionnaire Encyclopedique.*
*Du Dictionnaire Philoſophique.*
*Du Portait de la Paleſtine.*

*vel ex combinatione cognitarum cum incognitis, ita ut comnexio illius operis cum cauſa humanam excedat intelligentiam.*

Supponit ſcriptor ille, Deum in mundi creatione quaſdam ſtatuiſſe leges univerſales, quibus conſtanter regatur Orbis: ex iſtis autem legibus certis in circumſtantiis dimanare phœnomena quædam, quæ nos attoniti tanquam miracula demiramur, licèt non alio titulo ſint miracula, quàm quod nova, inaudita, ac inſueta nobis ſint prorſus incognita.

Definitionem hanc excogitavit ſcriptor tanquam hypotheſim aptiſſimam ad refellendum Spinoſam, qui miraculi poſſibilitatem negabat, eo quod, juxta ipſum, Deus operans miraculum leges, quas ſtatuit univerſales immutaret, ſicque & ipſe foret obnoxius mutationi.

Hypotheſim nihilominus hanc Scriptoris cæteroquin præclari perſtrinxerunt, & cenſurâ notarunt Doctores varij tanquam Religioni periculoſam, tanquam vim, & naturam miraculi veri infirmantem, imo & ipſi Spinoſæ faventem.

Scriptor alter recentior fatetur quidem præfatam Miraculi difinitionem vitioſam eſſe, quatenus aſſerit Miraculum ex legibus univerſalibus, at incognitis dimanare, quod ratione nullâ firmatum profertur. Verùm contendit ſyſtema iſtud vim miraculi haud infirmare in probandâ Religione, quatenus miraculum ſic ex legibus univerſalibus, ſed incognitis fluens, nec intellectu humano præſciri poteſt, nec ullo mortalium conatu produci: & ſic opus eſt ſupernaturale, utpote ſuperans humanæ naturæ vires.

Verùm nullus non videt, Scriptorem penitùs confundere veri nominis Miracula cum phœnominis, quæ etſi extraordinaria, inſueta, ac ſtupenda; quæ

etſi ab intellectu humano præſciri nequeant, nec ab ullo mortalium conatu produci poſſint, phœnomena nihilominus ſunt, utique naturalia. Miraculum autem opus eſt ſolius Excelſi, opus eſt non ſolius naturæ humanæ, ſed totius naturæ creatæ vires excedens.

Parum accuratam Miraculi definitionem tradit etiam ipſe Scriptor, cùm ait: *Miraculum opus eſt ſenſibile, ſtupendum, vires humanas ſuperans, ordini Providentiæ inter homines conſueto oppoſitum*. Hanc porro Miraculi definitionem, ut ab omnibus lubenti animo admittendam, tradit confidenter.

Verùm in eâ definitione vera miraculi cauſa efficiens reticetur. Divinane eſt, an verò naturalis? Altum ſilentium. *Miraculum*, inquit, *opus eſt ſenſibile, ſtupendum, vires humanas ſuperans, ordini Providentiæ inter homines conſueto oppoſitum*. At quæ & quot phœnomena opera ſunt ſenſibilia, ſtupenda, vires humanas ſuperantia, & ordini Providentiæ inter homines conſueto oppoſita, nec tamen ſunt miracula, ſed opera merè naturalia? Dubio procul hujuſmodi Miraculi definitio ab omnibus incredulis libentiſſime admitteretur, nec idcircò ceſſarent vera reſpuere Miracula.

Vera Miraculi definitio ab eruditioribus Theologis ſemper tradita hæc teneatur. *Miraculum opus eſt divinum, ſupernaturale, ac naturæ totius creatæ vires excedens*.

Quare in quolibet veri nominis miraculo iſta ſunt accuratè diſtiguenda. Auctor, Miniſter, Finis, & Materia. Veri nominis Miraculi Auctor, ſeu cauſa efficens ſolus eſt Deus, qui ſalvis legibus etiam univerſalibus, intactoque ordine conſueto, ſeu præter leges univerſales & ordinem conſuetum, poteſt, quando ſimul & quomodo vult, abſque ulla

ex

ex parte ſuî, mutatione, operari inſueta, ſtupenda ac totius naturæ creatæ vires ſuperantia; qui ordini conſueto oppoſita quoque præſtare valet utique, mari imperare, ut dividatur, Soli, & Lunæ ut ſtent, hominis cæci nati oculos aperire, prophetiæ donum elargiri &c.

Miraculi miniſter habetur creatura, cujus miniſterio Deus uti poteſt prout judicaverit. Hæc porrò nunquam eſt miraculi cauſa efficiens, ſed tantùm miniſtra, vel etiam oratrix, vel utraque ſimul.

Miraculi finis nunquam eſſe poteſt in teſtimonium, ſeu confirmationem erroris, aut impietatis, quia Deus Miraculi auctor nec erroris, nec impietatis approbator eſſe poteſt, nec etiam falli, aut fallere poteſt, cùm veritas ſit ſuprema. Si aliquando igitur in patrandis miraculis miniſterio impij uteretur Deus, iſtud eveniret vel ut veritas aliqua ſic firmaretur, confundereturque impius, vel quia Deus noſtram vellet ſic probare fidem, vel etiam pervicacem punire infidelitatem, ut contigit in Pharaöne.

Materia demum miraculi res eſt ipſa, quam Deus operatur. Hæc porrò ſupernaturalis eſſe poteſt, prout jam obſervavimus, vel quoad ſubſtantiam, ut reſurrectio Lazari, vel quoad modum, ut ſubita à morbo graviſſimo ſanitatis ac virium reparatio perfecta.

Miraculi indubitatæ auctoritatis teſtimonia ſunt ſequentia. Effectus ſtupendi, ac totius naturæ creatæ vires ſuperantes: teſtium oculatorum, ac proborum relatio ore quaſi uno facta. Quid autem dicendum, ſi fortaſſis teſtis fuerit gens tota, imo & gentis inimici ſpectatores fuerint? Licèt hæ duo conditiones ad requiſitam Miraculi certitudinem abſolutè non poſtulentur, ſi tamen adſint, non reſpuuntur.

SE-

## SECTIO V.

### *De Miraculi exiſtentia.*

MOyſes extitit, Judæorum dux & Legislator fuit. Moyſes prodigiis ferè innumeris legationem ſuam ut divinam probavit, Religionis divinitatem, quam Iſraelitis annuntiabat, miraculis comprobavit. Moyſes Aaronis virgam mutavit in ſerpentem, aquas in ſanguinem; ſuper aquas Ægypti extendit manum, & ranæ operiunt terram; & tamen Pharao non flectitur. Moyſes Dei juſſu multiplicat plagas ultrices; ſæviunt ſciniphes, ulcera, grando, peſtis: Ægypti primogenitos exterminat gladius. Moyſes extendit manum, maris dividuntur aquæ: per maris arenas ſicco pede tranſeunt Iſraelitæ: inſequentibus Ægyptiis arenæ ipſæ fiunt ſepulchra. Sitiuntne in deſerto Iſraelitæ, aut eſuriunt? Moyſes ex amaris dulces reddit aquas; cœlum ad ſaturitatem pluit manna; in deſerto per quadraginta annos verſati Iſraelitæ ſua non viderùnt attrita veſtimenta, nec detrita calceamenta. Quid ad portenta hæc, eaque mirabilia, atque innumera his ſimilia reponent Deiſtæ? Dicentne cum cive Genevenſi ſe ea non vidiſſe?

Verùm ſi ponderis alicujus foret hoc effugium, quot & quanta inde ſequerentur ingratiſſima, vel ipſam etiam ſocietatem evertentia? Nutarent fortunæ, cùm incerti jam eſſemus an noſtræ forent, an alienæ: ſedens taceret juſtitia: injuſta cruentaque manus ſecurè moliretur nefaria: cuicunque facto hiſtorico, etiamſi indubitato, etiamſi certiſſimo jam fides nulla foret: ubique dubitatio, perturbatio, & nulla ſecuritas.

Mira-

Miracula, inquiunt Deiſtæ, ſigna ſunt admodum æquivoca, cùm Moyſes Iſraëlitas decipere potuerit, ac proinde ea prorſus inſufficientia ad probandum Religionem aliquam eſſe revelatam.

Equidem veri nominis miracula æquivoca ſunt iis, qui ea nonniſi perverſo conſiderant animo, qui circumlati omni vento malitiæ lucem vertunt in tenebras, qui ſuis impiis operibus non erubeſcunt dicere Deo: *recede a nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus* Job. 21. At veri nominis miracula nequaquam æquivoca ſunt ſigna iis, qui corde optimo petunt à Deo, ut emittat lucem & veritatem de ſancto, eaque confirmet.

Præſtigias verè moliuntur increduli, ut decipiant animas, cùm ajunt à Moyſe potuiſſe decipi Iſraelitas. Aperiatur Pentateuchus, & reperietur Moyſes divinas leges denuncians, à præſtigiis Iſraëlitas avertens: *Anima, quæ declinaverit ad magos, & ariolos, ponam faciem meam contra eam*. Levit. 20.

An iſta decipientis hominis indicant characterem? Nunquid Iſraëlitæ Moyſi coævi, Iſraëlitæ teſtes oculati miraculorum à Moyſe patratorum, nonniſi præſtigiis deluſi fuere? Putaverunt ſe videre Ægypti plagas, & non viderunt? Mare Rubrum exiſtimarunt ſicco ſe tranſire pede, nec tamen reverà trajecerunt? In deſerto per quadraginta annos commorati putabant ſe comedere Manna, ſua non eſſe detrita veſtimenta, nec calceamenta? Quis ſubtilioribus præſtigiis etiam deditus iſta perſuaſerit unquam ſane mentis hominibus? Quis prudens & æquus crediderit hiſtoricos ſacros profanoſque, nationem integram traditione conſtanti ac perpetua ductam huc uſque deluſam fuiſſe?

Moyſes intemeratæ veritatis amicus, inſidioſæ adulationis inimicus Facta Judæis probroſa ſemper præ ipſo-

ipſorum Judæorum oculis poſuit, inceſtum Thamar; Filiorum Jacob in Sichimitas perfidiam, rebelliones populi, idololatriam; prævaricatoribus minas intentavit & pœnas, in eos ſæviit. Hebræorum tamen nullus legitur portenta à Moyſe patrata habuiſſe tanquam dubia & æquivoca, aut Moyſen falſi incuſaſſe.

Fingatur hic appoſitè inter incredulos unus ab alio heroum ſanguine genus trahens. Heroes nobilitatem à ſceptro conceſſam, ſicut & facta heroica propria ſcripto mandarunt: nobilitatis conceſſæ ſimul & factorum heroicorum teſtes oculati fuere optimates, bellicæ copiæ, imò & fortaſſis natio univerſa: hiſtorici iſthæc omnia retulerunt, traditio conſtans ac perpetua huc uſque omnia confirmavit, nec ulla extat poſterorum reclamatio. Increduli nihilominus cæteri nobilitatem, & illius parentum heroica facta, tot ac tantis ſuffulta momentis, nonniſi ut facta æquivoca, vel etiam majorum denuntiant præſtigias. Tacebit ne conſentiens incredulus ille? Abſcedant hinc diſſimulatio & mendacium, & ſola loquatur veritas.

Verùm, reponunt increduli, nonne Pharaonis Magi aquas verterunt in ſanguinem, virgas in ſerpentes, ſicut fecerat Moyſes? Nonne Pſeudo-Chriſti, Pſeudo-Prophetæ, & AntiChriſtus tam ſtupenda aliquando operaturi ſunt, ut etiam electi, ſi fieri poteſt, in errorem inducendi ſint? An porrò iſta in Religionis revelatæ probationem trahi poſſunt?

Fatemur portenta à Magis Pharaonis edita non ſolùm miracula fuiſſe æquivoca, ſed meras præſtigias. Veri nominis miracula ſolius Omnipotentis ſunt opera, ſolius Veritatis ſunt teſtimonia. Magorum Pharaonis opera Dæmonis, Deo permittente, faſcinantis oculos Pharaonis indurati meræ fuerunt præſtigiæ. Audiantur Magi ipſi: cùm non valuerint, quemad-

modum

modum fecerat Moyſes, convertere ſanguinem in aquam, pro omni ratione dixerunt: *Digitus Dei eſt hic*.

Quoad ſigna verò & prodigia à Pſeudo-Prophetis patranda, ea nonniſi tanquam mendacia habenda erunt. Iſthæc quippe omnia in ſeductionem erroris patrabunt Pſeudo-Prophetæ illi, adversùs quos veritas Incarnata præmunit veros adoratores. Increduli talia obijcientes ſe ipſos faciunt manifeſtos. Si enim ad cor ſincerè redirent, Pſeudo-Prophetarum illorum præcurſores ſe eſſe faterentur. Nonne adversùs illos Divus Petrus Fideles præmunire videtur, cùm ait: *fuerunt verò & Pſeudo-prophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt magiſtri .... & multi ſequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blaſphematur*. S. Petr. 2.

Et Apoſtolus ad Coloſ. 2. *Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam*.

Moyſes Iſraëlitarum ſaluti attentiſſimus jam præiverat, omnia iſta præcavens his verbis: *Si ſurrexerit in medio tui Prophetes, aut ſomnium ſe vidiſſe dicat, & prædixerit ſignum atque portentum, & evenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi, eamus, & ſequamur Deos alienos, quos ignoras, & ſerviamus eis, non audies verba Prophetæ illius, aut ſomniantis*. Deuter. 13.

Itaque ex doctrinæ veritate Miraculorum veritas æſtimatur, & viciſſim veritas doctrinæ miraculis confirmatur; nec ullus hìc circulus, ut dicunt, vitioſus. Duo hæc mutuam ſibi lucem, & opem ſuppeditant, mutuò ſeſe demonſtrant, non quidem in diverſo genere cauſæ, ſed in diverſo evidentis demonſtrationis gradu: miracula evidentiùs apparent, & ex eis doctrina mutùatur lucem; doctrina verò ſic illu-

ſtrata

ſtrata miraculis vim reddit & lucem, quam ab iiſdem mutuata fuerat, quatenus ea à falſis diſcernit; ſicque non circumferimur omni vento malitiæ hominum.

Increduli non ita ſentientes ajunt. Miraculis confirmari nequit veritas doctrinæ revelatæ, cùm Dæmones ſicut nos tentare valent, ita & operari miracula; quare hæc nonniſi ambigua ſunt ſigna veritatis.

Verùm, etſi hìc noſtrum non ſit, nec unquam erit, ſcrutari profunda Dei, potentiaſque ejus dinumerare, iſtud tamen habeatur certiſſimum: ſi, Deo permittente, Dæmon, aut quivis impius operaretur miraculum, iſtud nunquam fieret ad confirmationem falſæ doctrinæ, aut ad vitæ impiæ approbationem, Neque enim Deus, etſi Omnipotens, errori vel impietati unquam favere poteſt: ac veri nominis miraculum verum Dei opus, verum & veritatis eſt teſtimonium.

Equidem permittit Deus ut tentemur, ut probatio Fidei noſtræ, multò pretioſior auro, quod per ignem probatur, inveniatur in laudem & gloriam, & honorem; at facit etiam Deus cum tentatione proventum; at media ſuppeditat, quibus errores & vitia à tentatore propoſita declinare poſſimus, & ſuperare; neque enim Deus permittit nos tentari ultra id, quod poſſumus.

Verùm quærimus ab incredulis, quâ ratione valeant affirmare Dæmones operari poſſe miracula, noſque tentare, cùm Dæmonum exiſtentia, Dæmonum tentationes, nonniſi ope revelationis, quam negant probari poſſint? Imo à ſe ipſis diſſentientes miraculorum etiam poſſibilitatem reijciunt; perplura tamen in gratiam cultûs Idolorum peracta fuiſſe aſſerunt.

Veſ-

Veſpaſianus, inquiunt, referentibus Tacito hiſt. lib. 4. & Svetonio in Veſpaſ. Cap. 8. cùm Alexandriæ degeret viſum cæco reſtituit, & manu admotâ ſanavit ægrum, Romulus exortâ quâdam tempeſtate ex oculis populi ſubductus Julio Proclo apparuit in ſplendore divino: factum hoc referunt nonnulli hiſtorici juxta auctorem Libri: *Les pensées Philoſoph.* Adrianus etiam viſum cæco, ſanitatem ægro reſtituit: Ita Spartianus in vitâ Adriani Cap. 5.

Sic parùm ſibi conſentientes increduli vera miracula evertere contendunt.

Quinam teſtes fuerint oculati fictitiorum miraculorum à Veſpaſiano patratorum, quinam facta illa retulerint hiſtorici, tacent Tacitus & Svetonius. Veſpaſianus, juxta Tacitum, Imperator renuntiatus, ab Aulicis rogatus ut miracula ederet, propoſitionem primò irriſit, deinde adulatorum fortunæ propriæ conſulentium precibus victus, electionemque ſuam inde tanquam à Numinibus probatam, ac ſic populo gratam fore ratus, rem tentaſſe refertur.

Verùm quis ſanæ mentis ſibi perſuaſerit verum adfuiſſe miraculum? Aulici ſuas agebant partes, eoque fraus erat facilior, ſive per ſuppoſititios ægros ſive etiam per præſtigias; nam tunc temporis Apollonius Tyanæus præſtigiator inſignis, Veſpaſianoque inter Aulicos addictiſſimus, erat Alexandriæ.

His addendum, ſi quid veri, ſupponi etiam poſſe, morbos, referente Tacito eodem, vi medicæ artis potuiſſe depelli, proindeque illorum curationem non ſuperaſſe vires naturæ.

Quantùm ad Romulum, merè inter fabulas amandatur hiſtoria Proclo attributa. Dubium quippe maximum an Proclus ea de Romulo unquam dixerit, quæ in hiſtoriâ illâ narrantur. Plutarchus ipſe

in

in Romuli vitâ hæc, quæ circumferuntur, habet tanquam commenta. Gronovius verò in ſuâ diſſertatione an. 1684. demonſtrat ea, quæ narrantur de Romuli origine, de lupâ eum lactante, & de raptu mirifico in Cœlum, meras eſſe fabulas à Græco Diocle adinventas.

Circa Adriani præſumpta miracula a Spartiano relata, monet Spartianus ipſe, Auctorem, à quo ea mutuatus eſt, cavillando eadem narraſſe: nec mirum ſi plures eorum temporum hiſtorici fateantur, ſe multa ſcribere, quæ minimè credunt; at permirum eſt incredulos ad aniles converti fabulas, quæ vires ſolùm eundo acquiſivere.

Nec firmiorem ſuam cauſam faciunt, cùm præſtigiatoris Apollonij objiciunt portenta. Philoſtratus quidem ea refert; at Philoſtratus Apollonij hiſtoricus unicus eſt, nec teſtis eſt oculatus; Philoſtratus ſcripſit poſtquam elapſum erat pluſquam unum ſeculum ab ementitis Apollonij prodigiis, illiuſque ſolius ſupereſt auctoritas; Philoſtratus Chriſtianorum inimicus hanc confinxiſſe videtur hiſtoriam, tùm ut Chriſti miraculis omnem detraheret auctoritatem, tùm ut Juliæ Imperatrici, mirabilium cupidiſſimæ, morem gereret. Philoſtratus aſſerit quidem ſe iſta contexuiſſe juxta memoriales libros à Damaſio, Apollonij amico, conſcriptos; in manibus verò Juliæ depoſitos, ac demum ad ſe tranſmiſſos.

Aſt ubi reperiri poſſint memoriales libri illi non indicat neque Philoſtratus, neque hiſtorici alij. Philoſtratus in fabulis totus refert apud Idolorum cultores Brachmanos ventos atque tonitrua in doliis eſſe incluſa, & Brachmanos ipſos ad libitum in aere ſuſpenſos manere; Apollonium avium etiam omnium loquelam intellexiſſe fatetur; Apollonium in itine-

itineribus ſuis interpretes habuiſſe aſſerit, Apollonium Romæ puellam vitæ reſtituiſſe; arbitratur tamen puellam eamdem gravi ſolùm lethargo preſſam fuiſſe, dulciſque pluviæ tunc diffluentis motu fuiſſe excitatam.

Apollonius per aliquot annos in Æſculapij fano commoratus, ac in itineribus ſuis cum variis ſophiſtis collocutus multa ediſcere potuit arcana, quorum ope inſueta coram populis operari potuit, quæ à populis iiſdem amplificata, atque à Philoſtrato ſubinde aucta fuere.

Excutiantur modo, expendanturque iſthæc omnia ad Critices trutinam & leges. Quænam ex his omnibus conſectaria incredulis faventia? Dijudicet Ariſtarchus alter. Non quieſcunt tamen increduli, ad ipſos SS. Patres recurrentes. Divus Auguſtinus, inquiunt, videtur diffidere miraculis; nam Donatiſtis obijcientibus in confirmationem doctrinæ ſuæ miracula, reſpondet, quam habebat diſceptationem cum illis de unitate Eccleſiæ, eam non ex miraculis eſſe dirimendam; ſed ex Scripturis.

Lactantius refellens Philoſophum quemdam, contendentem majora ab Apollonio edita fuiſſe miracula, quàm a Chriſto, reſpondet, Miracula Chriſti à Prophetarum Vaticiniis ſeparata non ſufficere ad fidem ipſi conciliandam; ergo miracula non ſunt niſi ſigna æquivoca.

Si incredulorum cor foret rectum, obſervarent Auguſtinum adversùs ſectas diſputaſſe diverſas, rationibuſque diverſis. Sanctus Doctor Donatiſtas Præſulum ſuorum Sanctitatem, Synodos & miracula obijcientes non expugnat opponendo hæreticorum hypocriſi Catholicorum Sanctitatem, Conciliabulis vera Concilia, præſtigiis & viſionibus vera miracu-

H la:

la: prolixior fuiſſet diſputatio, licèt, cùm per tempus licuit, Donatiſtas ſic aggredi non detrectaverit. Sanctus doctor eos ad ſacras, quas admittebant, provocat Scripturas, ut ex illis veram probet Chriſti Eccleſiam, ac deinde demonſtret, ea ſolá admittenda eſſe tanquam vera miracula, quæ judicio ſuo ipſa Chriſti Eccleſia comprobat ut talia; unde quæ jactabant Donatiſtæ portenta, ea dicebat hominum mendacia: *removeantur iſta vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium ſpirituum*. Lib. de unit. cult. Tract. autem 13. in Joan. *Nemo vobis fabulas vendat, & Pontius fecit miraculum, & Donatus oravit, & reſpondit Deus de Cœlo*, ideſt: ſic ſua Donatiſtæ jactant miracula, ſed *fallunt aut falluntur* intendentes ſpiritibus ſeductoribus, & doctrinis Dæmoniorum.

Dum doctor idem Manichæos aggreditur Sacram reijcientes Scripturam, tunc ex miraculis veram probat Eccleſiam, ac deinde ex verâ Eccleſiâ Sacras probat Scripturas; quatenus hæc omnia ſibi mutuam communicant lucem, in diverſo tamen demonſtrationis gradu. Ex miraculis quippe evidentiùs apparentibus demonſtratur vera Eccleſia, quatenus ea tantùm habenda eſt unicè vera, quam Deus miraculorum ſolus auctor, talibus confirmat ſignis. Eccleſia autem ſic confirmata viciſſim miraculorum veritatem judicio probat ſuo, cùm ſit columna, & firmamentum veritatis.

Eccleſia demum tanquam ſocietas viſibilis, & notior S. Scripturâ, cujus veritas ex variis argumentis, iiſque perſpicuis undique ſplendeſcit, S. Scripturæ probat veritatem, cùm illius cuſtos ſit & interpres, & viciſſim S. Scriptura ſupremam Eccleſiæ adſtruit & confirmat auctoritatem.

Quan-

Quantùm verò ad Lactantium, Scriptor ille, ſepoſitâ comparatione miraculorum Chriſti cum Apollonij præſtigiis, *de quibus*, inquit, *dixi in ſecundo, & ſuperiore libro*, probat non ſolùm Chriſti miracula fuiſſe vera, ſed & talia etiam demonſtrari ex Prophetarum vaticiniis, quod neque Apollonio, neque cuiquam unquam magorum contigit. Itaque Lactantius non negat reipsâ Chriſti miracula ſufficere ad fidem ipſi habendam, ſed, hoc in præſentiarum gratis conceſſo, probat ex Prophetarum vaticiniis vera eſſe Chriſti miracula, quod de præſtigiis Apollonij dici nequit: *omitto nunc*, ait, *ipſa opera computare* (*vel comparare*) *quia in ſecundo & ſuperiore libro de fraude ac præſtigiis artis magicæ dixi*.

Jure ac merito igitur Facultas Pariſienſis cenſurâ notavit Theſes Abbatis cujuſdam, qui ſecutus Auctorem libri inſcripti: *Les pensées Philoſophiques*, dixit, Æſculapij curationes in aliquibus vultum habere unà cum Chriſti miraculis, ſeorſim à Prophetiâ ſumptis. *Si mihi non vultis credere*, inquiebat Chriſtus, *operibus credite*. Joan. 10.. Et cap. 15. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*.

Cùm autem miraculum opus ſit Dei ſolius, neceſſe eſt veram quoque eſſe doctrinam & Religionem, in cujus gratiam patrat miracula, aut in nomine ſuo patrari permittit. Atque hinc Divus Auguſtinus variis in locis oſtendit vim maximam ineſſe miraculis ad Fidei veritatem probandam, eaque adnumerat inter vincula chariſſima, quibus aſſerit ſe teneri in Eccleſiæ Catholicæ ſinu. Lib. cont. Epiſt. fund. & alibi.

Et reverâ Doctrina & Religio miraculis confirmata habenda eſt certa etiam metaphyſicè, non qui-

dem certa certitudine metaphyſicâ intrinſecâ ; quæ ſcilicet naſcitur ex rerum eſſentiis, benè tamen certa certitudine metaphyſicâ extrinſecâ, quatenus nempe invictis innititur momentis ; nec Deus, ſummè verax, poteſt Religionem falſam miraculis confirmare, nec præcipere, ut Religioni adhæreamus falſæ.

Solet autem ſemper Deus miſericors detegere, aut indicia præbere fraudis & malitiæ, cùm ſcilicet Magi & malefici, Infideles & Hæretici mira facere attentant, ac pro miraculis venditant. Sic Magi Pharaonis ope Dæmonis, videbantur mira operari, nec tamen plagas à Deo immiſſas avertere potuerunt, ſed unà cum reliquis pœnas luere debuerunt. Sic Simon Magus Dæmonis ope in aera ſublatus ſolâ D. Petri Oratione præceps deijcitur, Deo ſcilicet talium præſtigiatorum imbecillitatem manifeſtante.

Tertullianus graphicè Apolog. 22. Dæmonum depingit malitiam: *Omnis Spiritûs ales*, inquit, *hoc eſt Angeli & Dæmones ; igitur momento ubique ſunt ; totus orbis illis locus unus eſt : quid ubi geratur tam facilè ſciunt, quàm annuntiant. Velocitas divinitas creditur, quia ſubſtantia ignoratur : ſic & auctores interdum videri volunt eorum, quæ annuntiant ; & ſunt planè malorum, nonnunquam bonorum, quamquam nunquam .... ita & hinc ſumentes quaſdam temporum ſortes, æmulantur divinitatem, dum furantur divinationem ... in oraculis autem quo ingenio ambiguitates temperent in eventus .... benefici planè, & circa curas valetudinum, lædunt enim primò, deinde remedia præcipiunt, ad miraculum nova, ſive contraria, poſtquam deſinunt lædere, & curaſſe creduntur.*

Obſervandum, plures creaturas poſſe operari ſatis miranda, fortaſſe etiam miraculi, aut faſcini cujuſdam ſpeciem præ ſe ferentia, quia ſpectantibus in-

incognita, quamquam nihilominus naturæ vires minimè excedant.

Atque hæc dicta ſint contra incredulos, præcipue verò contra auctorem Lexici Philoſophici, qui operum ſuorum Tomo ſeptimo relata à Moyſe in Pentateucho, ac Moyſis ipſius facta decolorare, dubia ac incerta facere, pleraque tamquam impoſſibilia exhibere, omnia denique in deteriorem partem interpretari, ac detorquere aggreſſus eſt.

## SECTIO VI.

### *De Prophetiis.*

Prophetiæ nomine intelligitur prædictio eventûs futuri alicujus ſive liberi, ſive neceſſarij, qui prævideri à cauſis nequit naturalibus. Hinc declaratio eventûs actualis, vel præteriti, v. g. cùm Judæi illudentes Chriſto dixerunt: *prophetiza quis eſt, qui te percuſſit*, idem eſt, ac *revela*. Quare prædictio eventûs, qui cauſis naturalibus prævideri poteſt, prophetia dicenda non eſt. Prophetia porrò, ut patet, verſari poteſt circa eventus ſive liberos, ſive neceſſarios, qui prævideri nequeunt naturaliter.

Ut autem Prophetia ſit vera, habeatque vim aliquid probandi requiritur 1. ut conſtet, illam ante eventum fuiſſe editam. 2. illam fuiſſe reverà adimpletam. 3. eventum caſu fortuito non eſſe conſentaneum Prophetiæ. 4. eventum eumdem ſcientiâ naturali non potuiſſe prævideri.

Inter incredulos Volterius primâ fronte Prophetias videtur admittere, imo & eas à fallaciis Pſeudo-Prophetarum ſerio diſcernere, at ſubdole; inimico enim totus in Religionem animo non tantùm

Prophetias veras Pſeudo-Prophetarum fraudibus per omnia aſſimilat, ſed & Sannionem agens ſcurrili ſtylo Prophetas ipſos depingit, ut alliciat, recreet, ac omnes pervertat: operum ſuorum Tom. 7.

Evidens eſt, inquit, ea prævideri non poſſe, quæ futura ſunt; quare prædictiones omnes ad probabilitatum calculos ſunt reducendæ. Græci, Ægyptij, Nationeſque cæteræ ſua habuerunt oracula, ſuos numerarunt vates; nec ars difficilis & operoſa eſt, pecunias reſponſis ambiguis ſibi comparare: omnes ſe ſe inſpiratos venditabant; alter alterum ludificationis incuſabat: magi ſerpentes incantabant; Energumeni radice quâdam curati abibant; metamorphoſes tunc temporis non raræ; prophetiæ donum frequens & commune. Quâ igitur ratione vates veri potuerunt à falſis diſcerni?

Totus ex nequitiâ compoſitus profert iſta Volterius. Enimverò quæ futura ſunt ſive liberè, ſive etiam neceſſariò, ſed extra rationis creatæ aciem poſita, præſciri non poſſunt à Creaturâ, quæ non ſit de ſupernis inſpirata: *annuntiate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia Dei eſtis vos*. Iſai. 4.

Verùm quia Deus ſcit præterita, & de futuris æſtimat, ſcit eventus temporum & ſeculorum, quia de ſupernis donum eſt Prophetiæ: *neque enim voluntate humana allata eſt Prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt Prophetæ Dei* II. Pet. I. Volterius admittitne Deum? Si ita eſt, fateatur illum poſſe futura revelare, & cui voluerit illa ut prædicenda revelare. Ad Sacras Paginas hìc recurrit Volterius; eas ſcrutetur animo recto, nam teſtimonium perhibent de veritate.

Diviſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus . . . *alij operatio vir-*

*virtutum ; alii Prophetiæ , dividens ſingulis prout vult* . 1. Cor. 12.

Verùm indicet Volterius quibus probabilitatum calculis uſi fuerint Prophetæ , cùm eventus plurimos diu ante exiſtentiam præſciverunt , atque vaticinati ſunt.

Joſias contrivit altare, quod erat in Bethel, & Excelſum , quod fecerat Jeroboam . Propheta vir Dei de Judâ miſſus Joſiæ nomen & factum prædixerat trecentis & ſexaginta ante eventum annis : *Ecce naſcetur Filius Domini David , Joſias nomine .... hoc erit ſignum, quod locutus eſt Dominus ; ecce Altare ſcindetur* . 3. Reg. 13.

Iſaias ducentis & amplius annis ante Cyrum natum , Judæis Cyrum eumdem annuntiat liberatorem. *Suſcitans verbum ſervi ſui, & conſilium nuntiorum ſuorum complens .... qui dico Cyro : Paſtor meus es, & omnem voluntatem meam complebis, qui dico Jeruſalem ædificaberis, & Templo : fundaberis* : Iſaia 44.

Daniel, fuſis ad Deum precibus vaticinatur Civitatem Jeroſolymitanam in anguſtia temporum rurſus ædificandam intra ſpatium ſeptem hebdomadarum ; poſt hebdomadas verò ſexaginta duas Meſſiam eſſe venturum, & deinde occiſum iri : nec populum ejus fore qui eum negaturus eſt : Civitatem & Sanctuarium eſſe diſſipandum à populo cum Duce venturo, & finem ejus vaſtitatem ; & poſt belli finem ſtatutam deſolationem ; hoſtias & Sacrificia tum vigentia eſſe defectura ; & abominationem deſolationis uſque ad conſummationem duraturam eſſe.

An hæc omnia nonniſi elapſis tot annorum hebdomadibus, nonniſi elapſo tanto temporis intervallo adimpleta vates illi omnes , cæterique Prophetæ

 Dei,

Dei, de quibus longum nimis foret verba facere; an, inquam, iſthæc probabilitatis calculorum adminiculo vaticinati ſunt? Ne riſum moveat hìc Volterius, & opus Omnipotentis, cui omnia ſunt aperta, agnoſcat pronuſque veneretur.

Græci, Ægyptij, cæteræque nationes ſua habuerunt oracula, ſuos numerarunt vates; verùm an oracula vera, an vates à Deo inſpirati fuerint, tacet Volterius. Græci, aliique Idolorum cultores ſua quidem habuerunt oracula, at ſpuria & fucata; ſuos numerarunt vates videntes vana, & divinantes mendacium ſuis artificiis, vel Dæmonum operationibus, qui falſorum Numinum Flaminibus, vel etiam mulieribus fatidicis danda plerumque dictitabant reſponſa; imò quorum malorum futuri erant auctores, ea manifeſtabant tanquam futura, vel etiam peracta in uno loco prædicebant futura in altero.

At quoad eventus remotiſſimos, aciemque mentis creatæ ſuperantes tacebant muti, aut nonniſi ambagibus reſponſiſque ambiguis ſatisfaciebant conſulentibus, eâque ratione aut pecunias, aut populorum venerationem aucupabantur.

Deiſtarum nullus eſſe poteſt, ſi ſit veritatis amicus, qui non videat quàm diſſimilis in omnibus fuerit Prophetarum Dei, & Pſeudo-Prophetarum vita, mores & acta. Pſeudo-Prophetas referunt hiſtorici & Poetæ tanquam Idolorum cultores, divinitatis cupidiſſimos, mortalium deceptores, mortalium vitæ non parcentes; ita ut Numinum ſuorum aræ ipſo ſanguine cruentarentur humano.

*Sanguine placaſtis ventos, & Virgine cæſa, . . .*
*Sanguine quærendi reditus &c.* Æneid. II.

Prophetæ autem ſupremi Numinis adoratores veri, exti-

extitere vates vitâ, moribus, doctrinâ, & Sanctitate conſpicui; mundum, & quæ ſunt mundi deſpicientes, verbum veritatis annuntiantes; qui labore ſuo nonniſi Poteſtatum malevolentiam, populorum contemptum, exilia, perſecutiones & mortem ipſam conſecuti fuere.

Volterius iſta concedens ait, Prophetarum Domini artem haud fuiſſe gratioſam, nec ſibi in animo eſſe eos Hebræorum Nabim & Roheim unà cum cæterarum Nationum deceptoribus confundere.

At quâ mente verſipellis ille aſſerat iſta, aperiunt ſequentia illius verba: Prophetarum, inquit, vaticinia obſcuritatis ope & ambiguitatis falſum devitarunt; atque hinc Eliſæus, niſi Propheta fuiſſet Domini, à ſuſpicione hujuſce effugii immunis minimè fuiſſet, dum Hazaeli dixit; *Vade, dic Regi: ſanaberis*; & poſtea: *oſtendit mihi Dominus, quia morte morietur*. Plagiarius ille, qui quos habuit duces (1) deſpicit, ut auctor habeatur, irreligionis venenum hic etiam obtegere nititur; at fruſtrà. Vaticinia enim Prophetarum Domini ab obſcuritate, & ambiguitate vindicant eventus prædicti, eventuum circumſtantiæ, tempus, loca, & perſonarum nomina accuratè deſignata.

Elias Iezabelem canum dentibus in campo Iezrahel vorandam vaticinatur; & Domûs Achab extinctionem prædicit. Eliæ vaticinio conſentaneus per omnia eſt eventus: *Canes comedent Jezabel in agro Jezrahel* 3. Reg. 21. *Cùmque iſſent, ut ſepelirent eam*

(1) *Bayle.*
*Schafisburi.*
*Tindal.*
*Bolingbrock. &c.*

*eam non invenerunt niſi calvariam , & pedes , & ſummas manus , reverſique nuntiaverunt &c. & ait Jehu . Sermo Domini eſt , quem locutus eſt per ſervum ſuum Eliam Thesbiten , dicens : in agro Jezrahel comedent canes carnes Jezabel* 4. Reg. 9. *Factus eſt igitur ſermo Domini ad Eliam Thesbiten* , dicens : *ſurge , & deſcende in occurſum Achab* Regis *Iſrael .... & loqueris ad eum dicens : hæc dicit Dominus: in loco hoc , in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth , lambent quoque ſanguinem tuum .... ecce ergo inducam ſuper te malum , & demetam poſteriora tua* . 3 Reg. 21.

*Et linxerunt canes ſanguinem ejus* 3. Reg. 22. *Videte ergo nunc , quoniam non cecidit de ſermonibus Domini in terram , quos locutus eſt Dominus ſuper Domum Achab , & Dominus fecit quod locutus eſt in manu ſervi ſui Eliæ . Percuſſit igitur Jehu omnes , qui reliqui erant de Domo Achab* . 4. Reg. 10.

Jeremias gentis Iſraëliticæ prædicit ex captivitate reditum vix credibilem , Urbis Jeruſalem inexpectatam prænuntiat reſtaurationem , quæ omnia annorum ſeptuaginta ſpatio ante eventum reverâ adimpleta ſunt . Infiniti eſſemus , ſi omnia his ſimilia facta eſſent referenda .

Quantùm ad Eliſæi vaticinium à Volterio objectum , ſi objicientis ſincera eſſet mens , nulla hìc quoque eſſet ambiguitas . Eliſæus Hazaëli ſciſcitanti an Syriæ Rex ægrotans ſanari poſſet de ſuâ infirmitate reſpondit : dic Regi : ſanaberis , ſeu infirmitas tua non eſt ad mortem ; oſtendit tamen mihi Dominus , ait Eliſæus Hazaëli , quia Rex morte morietur , quoniam , Hazaël , à te ipſo necabitur : *cumque veniſſet dies altera , tulit ( Hazael ) ſtragulum & infudit aquam , & expandit ſuper faciem ejus ,*

*quo*

*quo mortuo, regnavit Hazael pro eo* 4. Reg. 8.

Hebræi, inquit Volterius, ſuos etiam habuere Prophetas falſos: Prophetæ ſeſe mutuò falſi atque mendacij incuſabant omnes: inſuper prophetiæ eventus ſignum eſt admodum ambiguum, ut patet Deuteronomij cap. 13. ajunt concinentes Deiſtæ; imò vel ipſi reprobi Matth. 7. dicunt; *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus?*

Extitiſſe apud Hebræos Pſeudoprophetas teſtantur vel ipſæ exprobrationes divinæ Ezechielis 13. *Væ Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident. Quaſi vulpes in deſertis Prophetæ tui, Iſrael, erant .... vident vana, & divinant mendacium.*

Prophetæ omnes ſeſe mutuò incuſabant mendacij. Prophetæ omnes, qui ſunt falſi & mendadaces, qui divinant falſa & ſtulta, qui non miſſi à Domino ajunt: hæc dicit Dominus, cùm eos non miſerit Dominus, quibus inde iratus Dominus dicit minitans: ecce ego ad vos *væ Prophetis inſipientibus*, hoc quidem concedimus; at quid victoriæ ex his omnibus conſequitur Volterius, niſi pariter, *væ Philoſophis inſipientibus?*

Nec magis victores remanent Deiſtæ Volterio aſſentientes, cùm ajunt, Prophetiæ eventum ſignum non eſſe niſi ambiguum, ut patet Deuteronomij cap. 13. nam ibi Moyſes ait: *Si ſurrexerit in medio tui Prophetes, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, & prædixerit ſignum, atque portentum, & evenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi: eamus, & ſequamur Deos alienos, quos ignoras, & ſerviamus eis, non audies verba Prophetæ illius, aut ſomniatoris.* Mens quippe Moyſis ibi non eſt indicare, vaticinij eventum vaticinio ſeu vero, ſeu falſo communem

eſſe.

eſſe. Iſtud fingunt Deiſtæ. Legiſlatoris mens eſt præmonere Iſraëlitas, ut ſi in medio populi Iſraëlitici ſurrexerit Prophetes falſus, aut ſomniorum fictor; etiamſi prædixerit ſignum atque portentum, illudque, Deo permittente, evenerit, quod locutus eſt; & dixerit: eamus, & ſequamur Deos alienos non audiant verba illius, *quia tentat vos Dominus Deos veſter, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima veſtra .... Propheta autem ille, aut fictor ſomniorum interficietur*. Ibid.

Nullus non videt verba quidem iſta indicare, Deum, utpote totius naturæ ſupremum dominum & arbitrum poſſe permittere, ut cujuſcunque creaturæ miniſterio mira quædam edantur non in confirmationem erroris, cùm Deus ſit ſuprema veritas, ſed vel in probationem Fidei noſtræ, ut in exemplo allato, vel in probationem alicujus veritatis, ut cum Balaamo, licèt impio, uſus eſt ad prophetandum etiam Meſſiæ adventum, vel denique in utilitatem proximi, ut cùm diſcipulis videntibus Judæum Dæmonia eijcientem, impedire autem volentibus dixit Chriſtus: *nolite prohibere*; *qui enim non eſt adversùm vos, pro vobis eſt*. Luc. 9.

Quantùm ad objectionem, factam aliàs a Deiſtis occaſione hujuſce textûs Matthæi cap. 7. *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus?* ſcilicet, vel improbos ipſos in nomine Domini etiam prophetaſſe, ſicque nulla dari ſigna, cuibus Prophetæ veri ſecernantur à Pſeudo-Prophetis, iſtud prorſus falſum eſt.

Nam Dominus reprobos illos non novit tanquam amicos, quia opera ad ſalutem conſequendam non habent neceſſaria; at Deus, ut omnium ſupremus Dominus, potuit noſcere illos tanquam Prophetas ſuos,

ſi

ſi verè prophetarint in nomine Domini: quia etſi arbor mala, quatenus mala, non poſſit bonos fructus facere æternâ mercede dignos, poteſt nihilominus in utilitatem proximi fructus bonos facere, ſeu prophetare; cùm Prophetiæ donum ad eam gratiæ ſpeciem revocetur, quæ gratis data vocatur, atque à Deo conceditur in utilitatem aliorum. Dixi falſum prorſus eſſe nulla dari ſigna, quibus Prophetæ veri ſecernantur à Pſeudo-Prophetis. Nam ut Propheta verus quis habeatur neceſſe eſt 1. ut vaticinetur verè in nomine Domini, nam *Væ Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident . . . vident vana, & divinant mendacium dicentes: ait Dominus, cùm non miſerit eos*. Ezech. 13. Neceſſe eſt 2. ut vaticinans annuntiet eventum certò ponendum, niſi fortè ex diſpoſitione divinâ ſub conditione ſolummodo ponendum ſit, ut: niſi pœnitentiam egeritis. *Quòd ſi tacita cogitatione reſponderis*, inquit Moyſes Deuteron. cap. 18. *quomodo poſſum intelligere verbum, quod Dominus non eſt locutus? Hoc habebis ſignum: quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non eſt locutus*. Neceſſe eſt 3. ut Propheta nihil vaticinetur, quod voluntati divinæ oppoſitum ſit, ſive in ordine ad Deum, ſive in ordine ad proximum: *ſi ſurrexerit in medio tui Prophetes, & dixerit tibi: eamus, & ſequamur Deos alienos, quos ignoras, & ſerviamus eis: non audies verba Prophetæ illius*. Deuter. 13.

Volterius Prophetas & Prophetias deſpectui ducere meditatus, Iſaiam exhibet per vicos & plateas denudato penitus corpore incedentem; Hieremiam verò funibus circumvolutum, clitellis onuſtum, helcium & juga ferentem ſupra dorſum; Ezechielem aſſerit obſcenè locutum fuiſſe, atque hinc operum ejus

le-

lectionem ante annos triginta vetitam fuiſſe : addit ſcurrilis ſcriptor Ezechielem juſſum fuiſſe comedere volumen membranaceum , & panem ſtercore humano obductum ; causâ tamen repugnantiæ ſtercus mutatum fuiſſe in bubulum . Qualia , inquit , ſalgama ! Quale condimentum ! Prophetam verò Oſeam refert unà cum ſcorto , adulteràque pernoctantem . Hæc omnia porro refert Scriptor ille , ut antiquitatis neſcios inſtruat, ne ſingulares illæ agendi rationes eos admiratione afficiant, & horrore . De ſcriptoris religione , & intentione judicet pudicus lector.

Verùm quærimus ubinam ſcriptor ille legerit Iſaiam per vicos Hieroſolymæ corpore penitus nudato inceſſiſſe? Iſaias inceſſit quidem non togatus, nec tunicatus, at minimè penitus denudatus. Textus hebraicus fert ſimpliciter : *abſque veſtimentis ſuis* . Et reverâ cùm pauper aliquis dicitur nudus, an idcircò intelligitur toto penitus corpore nudatus ?

Nec veracior dignoſcitur , cùm ait Hieremiam helcium & juga ſupra dorſum tuliſſe . Hieremias equidem catenis onuſtus , ac ſupra dorſum juga quoque ferens memoratur , ad exprimendum captivitatis jugum a Rege Babylonis Nabuchodonoſore imponendum ; at nullibi Hieremias legitur ſupra dorſum helcium tuliſſe : ornatu illo dignus habeatur Volterius .

Quantùm ad Ezechielem , Propheta ille Samariam , & Hieroſolymam idololatras duobus aſſimilat ſcortis ; verùm fatetur vel ipſe Volterius aſſimilationes illas tunc temporis nihil habuiſſe indecori . Si ipſi modò videntur parum decentes , cur eas modò indecentiores facit , ac reddit ? Synagoga equidem , divi Hieronymi ætate , vatis hujus ante annos triginta Prophetiarum vetuit lectionem . Synagoga ſuas habuit rationes , quas Volterius dicit Prophetæ enun-

cia-

ciationes parum decentes ; nec tamen ſibi conſtat ; nam deinde aſſerit , ſed falsò , prohibitionis cauſam fuiſſe repugnantiam quandam cum Moyſis doctrinâ.

Non minus veritatem impugnat, cùm ait, Ezechielem comediſſe volumen membranaceum, & panem ſtercore abductum · Ezechiel non reipsâ, ſed in viſione comedit volumen iſtud , nec aliter manducavit panem, non ſtercore abductum, ut ſcurriliter tradit ſcriptor, ſed panem coctum ſub cineribus ſtercoris bubuli exſiccati , & inflammati , ut tunc moris erat , & maximè apud pauperes .

Proſequitur ſcriptor , aitque, Deum imperaſſe Oſee, ut duceret mulierem fornicariam, & adulteram, ac ſibi faceret Filios fornicationum, quod repugnat . Verùm Scriptori malignanti remanet probandum', Deum reverâ imperaſſe vati ſuo, ut adulterij crimine ſe contaminaret . Oſee exequens juſſa divina in uxorem duxit non adulteram, ſed fornicariam , ſed quæ vatis jam uxor facta non amplius erat fornicaria , nec filij inde nati , filij erant fornicationis, niſi impropriè, ratione ſcilicet ante actæ matris vitæ .

Veriſimilius tamen hic agitur de Idololatriâ, quam Prophetæ ſolebant nomine fornicationis , & adulterij exprimere ; nec diffitebitur in hebræorum linguâ peritus . Itaque textûs illius genuinus hic foret ſenſus . Vade : ſume tibi Uxorem in terrâ fornicationum , quia fornicans fornicabitur terra illa à Domino , ſeu Deos colet alienos .

Itaque opprobrium minimè cadit ſupra Matrem reverâ corruptam, neque etiam ſuper matris natos, quaſi reverâ ex corruptâ natos , ſed ſuper terram fornicationum, ſeu ſuper terræ incolas, nempe Iſraëlitas fornicantes, & fornicaturos à Domino , ideſt

Deos

Deos alienos colentes, quibus ſæpe ſæpius minas intentarat Dominus, quibuſque per Prophetam ſuum denunciat, exceptâ Domo Juda, ſe ultra Iſraëlitis miſericordiam non eſſe facturum, nec Iſraëlitas eoſdem amplius fore populum ſuum, quæ omnia perſpicuè ex his verbis erui poſſunt. *Abiit (Oſee) & accepit Gomer filiam Debelaim, & concepit, & peperit ei filium, & dixit Dominus ad eum: Voca nomen ejus Jezrahel, quoniam adhuc modicum, & viſitabo ſanguinem Jezrahel ... & in illa die conteram arcum Iſrael in valle Jezrahel; & concepit adhuc, & peperit filiam, & dixit ei: voca nomen ejus abſque miſericordia, quia non addam ultra miſereri domui Iſrael .... & domui Juda miſerebor ... & concepit, & peperit Filium & dixit: voca nomen ejus, non populus meus.* Oſee 1.

Textum hunc quidem plures aliter interpretati ſunt, nullus tamen ad mentem Volterij, qui objectiones omnes impietati, & irreligioni faventes lætus arripit, & inde ab adulatoribus in cælum extollitur tanquam rerum hebraicarum peritiſſimus, licèt hebraicæ linguæ maximè ignarus, cum vel ipſemet frequentiſſimè in errores lapſus, & confutatus, faſſus tandem fuerit ſe nunquam linguam hanc ediſcere potuiſſe.

Idem ſcriptor in novâ ſuorum operum editione ut Prophetiis in probandâ Religione omnem detrahat vim, & auctoritatem, modò aſſerit eas omni eventui fuiſſe aptatas, modò doloſè inſinuat eas eventu fuiſſe poſteriores, cùm, inquit, Judæi, gens ſummæ omni ætate ignorantiæ, nonniſi in Babylonica regione degentes litterarum formas didicerint.

Prophetiæ omni eventui fuerunt aptatæ? Iſtud effutit Volterius, cui probationes penitùs deficiunt.

Et verò facultatem Propheticam eſſe à ſolo Deo non inficiantur vel ipſi Deiſtæ. Deum porrò omnium temporum Regem ſupremum nihil eſt quod lateat: omnia nuda, & aperta ſunt oculis ejus. Scit præterita, de futuris æſtimat, ſcit eventus ſeculorum, omnia eventuum novit tempora & circumſtantias. Quis igitur dixerit, blaſphemaveritque ſuas Deum aptare omni eventui, & caſui fortuito cognitiones manifeſtandas cui, & quomodo voluerit, niſi is fuerit impius?

Neque etiam Prophetiæ eventu fuere poſteriores. Volterius illud à Porphyrio mutuatus, indicet à quo, vel à quibus Prophetiæ poſt eventum fuerint editæ; quiſnam fuerit eximius ille vir, qui ætatum ſeriem tam exactè recenſuerit; qui cujuſvis ætatis, in quâ Prophetias, & Prophetiarum auctores collocavit, tam ſcitè [illegible]s noverit & mores; qui complurium Auctorum perſonam agens, pro cujuſque genio dictionem, atque orationem modò eleganter, modò ſublimè, modò politè, modò demum aſperè, quaſi alter Proteus ſit aſſecutus; qui genti univerſæ valuerit dura ac moleſta denunciare, opprobria probroſaque obijcere, gentis nihilominus ejuſdem animos ſibi devincire, vir nihilominus non fraudolentus, ſed de ſupernis inſpiratus ſit habitus.

Aut dicat Volterius quinam fuerint Sanhedrini illi, qui non ſolùm præſtarunt modò dicta, habitique ſunt tamquam omnia ſcientes & inſpirati, ſed ita devincti vinculo ſecreti, ut doloſæ artis ſuæ arcana ne gens quidem tota fuerit ſubodorata. Volterius certè faciliori negotio ſuaderet Horatij, Virgilij & Homeri opera recentiorum eſſe auctorum fœtus, quam Iſaiæ, Jeremiæ, Ezechielis, Danielis, cæterorumque Dei vatum Prophetias genuina non eſſe opera. Tra-

ditio conſtans & firma Iſaiæ , Jeremiæ ; cæteriſque Domini vatibus ſuas cuique adſcribit Prophetias ; nec unquam ſanè Judæi , quibus ſemper fuere venerationi , paſſi fuiſſent, ut ſimiles Prophetiæ, quæ nonniſi moleſta , infauſta , indecoraque prænuntiabant , codicibus adjicerentur ſacris.

Poſtremò indicet Volterius , quandonam adimpletæ fuerint Prophetiæ captivitatem Babylonicam ſpectantes . Certiſſimè conſtat eas fuiſſe adimpletas ipſo captivitatis tempore ſimul & duarum Hieroſolymæ obſidionum ; ac proinde ſi eventu fuiſſent poſteriores , nonniſi diutiſſimè poſt Samaritanorum Schiſma fuiſſent editæ , nec conſequenter in illorum Pentateucho legerentur ; leguntur tamen , nec dici poſſunt à Judæis acceptæ , cùm Samaritani Judæorum hoſtes fuerint infenſiſſimi , omneſque alios Judæorum libros penitus rejecerint.

Volterius promptus ſemper ad omnia effutienda , atque ad ea etiam neganda paratus , tradit Judæos primas litterarum formas Babylone edidiciſſe. Deinde aſſerit iſtud contigiſſe Hieroſolymæ , aut ſaltem Alexandriæ , ac proinde Prophetias inibi fuiſſe conditas.

Verùm quis non miretur Scriptorem ab adulatoribus omnium linguarum peritiſſimum ſemper habitum , ac dilaudatum , nihil diſtinctionis ponere inter libros Judæorum ante captivitatem ſcriptos & in canonem relatos , & inter libros à Judæis , finitâ captivitate , conſcriptos Hieroſolymæ & Alexandriæ , quales habentur libri Eſdræ & Sapientiæ , quorum etiam ſtylus à cæterorum ſtylo deprehenditur longè diverſus ?

Audiat Volterius Eupolemum , qui ait , *ſapientiſſimum hominem fuiſſe Moſem , & litteras Judæis pri-*

*primùm tradidiſſe, & à Judæis Phoenices accepiſſe.* Audiat Artapanum aſſerentem *Moſem, quem*, inquit, *Muſæum Græci appellant, cujus doctrina Orpheus multa didicit, litteras inveniſſe, quas Sacerdotibus tradidit.* Euſeb. lib. 9.

## SECTIO VII.

### *De Religione Revelata.*

TRadunt increduli, Deum quocunque cultu exteriori nec honorari, nec inhonorari, quia, inquiunt, Deus eſt Spiritus. Non diffitentur tamen aliquam decere politiam, ut homines quietam agant vitam; veſtium autem variationibus quaſi æquiparantes Religionem, dicunt: ſi fueris in Japoniâ, Japonico more colito, ſi fueris alibi, colito ſicut ibi, ne legibus non parere videaris. Sic verſipelles illi omnium gentium ſervientes erroribus, nullam reſpuunt falſitatem; atque hinc concludunt, minimè inquirendum eſſe an aliqua detur Religio vera.

At ſi quilibet teneatur excolere Religionem patriæ, in quâ degit, eo in caſu ſi Religio patriæ, in quâ degit aliquis, Religioni oppoſita ſit naturali, ei nihilominus adhærere tenebitur, ne patriæ legibus non parere videatur; hanc tamen quaſi uno ore invocant, tuenturque ſervandam, ut non inutiliter ab Ente ſupremo datam. Si quilibet teneatur excolere Religionem patriæ, in quâ degit ne legibus non parere videatur, cujus criminis reus ille non eſt habendus, qui non tantùm Religionem patriæ, in quâ degit, non excolit, ſed eam non eſſe excolendam docet, ſed eam perditiſſimis impugnat operibus, ſed eam, re-

luctantibus divinis humaniſque legibus, penitus evertere contendit? An non monſtroſè ſeditioſus ille eſt? Ecce tamen incredulorum ingenium, en mores atque conatus veris nativiſque coloribus expreſſi.

Deus, inquiunt, eſt Spiritus. Deus non dubitanter eſt ſpiritus, & omnis ſpiritûs creati auctor, atque creator. Deus Cœli & Terræ, omniumque conditor eſt, quæ in eis ſunt, omnium providus Gubernator & Rector; ideoque admittenda eſt Religio externa. Homo ratione corporis & Animæ opus Dei eſt; proinde quocumque ſe vertat, ubicumque degat, clamoſa naturæ memoris beneficiorum vox illum admonet, illi denunciat, ut benefactorem ſuum, eumque munificentiſſimum adoret venereturque ſacrificiis tùm animæ, tùm corporis: ſacrificiis animæ, illum præ cæteris omnibus diligendo: corporis verò exterioribus ſignis ſe ſe humiliando usquequaque, Entiſque ſupremi majeſtatem teſtificando, & cum veneratione colendo. Hæc omnia dictat ratio recta ingrati animi inimica.

Deus ſanè in ſe ſolo ſummè beatus nullo Creaturæ eget cultu; at hominis Creator, hominis conſervator, atque continuus proviſor intendit, atque exigit, ut homo bonum operetur, declinet à malo, & memorem ſe exhibeat beneficiorum.

Verùm, ajunt increduli, cultus, quo colitur Deus, oritur ex cujuſque præconceptâ Religione. Illud quidem verum eſt, ubi cultus ille oritur ex præconceptâ Religione rectæ rationi utique conformi. Certiſſimum enim eſt, independenter ab omni educationis diſciplinâ, ineſſe nobis quoddam rationis lumen, quo & quæ decent, & quæ à nobis exiguntur ſive erga Deum, ſive erga nos & proximum percipimus.

Quòd

Quod ſi lumen iſtud obnubilatum reperiatur, atque obſcuratum apud quoſdam populos, imo labefactatum ferè apud omnes, probat hoc Revelationis neceſſitatem, minimè verò demonſtrat Deum æquè coli ritibus omnibus, quicumque ſint ritus illi. Quare procul, ò procul Deiſtæ, qui dicunt aut Religionem Revelatam inutilem, aut Religionem Revelatam ratiociniis ei intrinſecis expendendam eſſe, non autem teſtimoniis, niſi metaphyſicè, vel geometricè demonſtretur vera ac certa.

Verùm primò, quomodò Religio naturalis illibata ſervaretur jam à tot ſæculis, obſcuratâ ratione humanâ, prout inviĉtiſſimè luĉtuoſa nimis probavit, probatque modo experientia, niſi Deus pro ſuâ miſericordiâ Revelationis luce ac beneficio illuminaſſet ſedentes in tenebris? Increduli legem invocant naturalem tanquam ſufficientem, nec inutiliter à Deo conceſſam; at illos vera eſſe ſepulchra dealbata probant magis, ac magis quotidiana illorum opera.

Sanè legis naturalis defenſores veri fatentur lumen iſtud, & lucem hanc non inutiliter à Deo profectam eſſe; at luctuosâ neceſſitate compulſi fatentur etiam lucem eamdem, teſtantibus anteactis ſeculis, & deflendâ adhuc modò experientiâ, ita effuſis cupiditatibus, graſſantibuſque erroribus, & Philoſophorum nefandis dogmatibus obſcuratam eſſe, ut Cicero ipſe his omnibus commotus dicat: *ſimul atque editi in lucem, & ſuſcepti ſumus, in omni continuò pravitate, & in ſumma opinionum perverſitate verſamur, ut penè cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur .... cùm verò Parentibus redditi, deinde Magiſtris traditi ſumus, tunc ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipſa cedat*. 3. Tuſc. 2.

Plato autem in dialogo, cui titulus *Alcibiades*, ardenti animo exoptat, ut è cœlo divinitas mittat aliquem, quo diſſipentur hominis tenebræ, & quo melior efficiatur. Quæ quidem teſtimonia lugubrem naturæ & rationis depravatæ ſtatum probant, ſicut & Revelationis neceſſitatem.

Verùm ſecundò, nonne Deus revelare poteſt veritates licèt humanæ rationi conſentaneas, rationi tamen eidem impervias? Nonne poteſt legi naturali poſitiva ſuperaddere mandata? Notio ipſa Entis ſupremi iſtud demonſtrat. Porrò eo in caſu hæc omnia expendi nequeunt per rationes intrinſecas; cùm etiamſi veriſſima, rationi ſint impervia; cum etiamſi non ſint contra rationem, ſint nihilominus ſupra rationem, ſeu ultra rationis ſphæram.

Et verò ſolâ ratiocinij ope Philoſophi ipſi veteres ſcrutantes altiora ſe, nonniſi abſurdas & horrendas docuere Religiones. Philoſophi quoque recentiores à Revelatione aberrantes non ſaniora tradunt, nec meliora. Ergo ipſa recta ratio indicat, docetque talia facta non metaphyſicè nec geometricè demonſtrari debere, ſed demonſtranda eſſe, ut probentur certa, per rationes extrinſecas, nempe per teſtium dicta, vel alia momenta rei probandæ extrinſeca.

Quantùm ad id, quod addunt Deiſtæ, ſcilicet expendendum ſaltem eſſe an Religionis dogmata rationi conſonent, an non, iſtud non modò eſt falſum, ſed & periculoſiſſimum. Falſum quidem, quia ratio humana in rebus Fidei dignoſcendis nec judex eſt, nec arbitra, nec ad illius judicij normam definienda ſunt Religionis revelatæ dogmata, cùm, ut jam obſervatum eſt, Deus ea revelare poſſit rationi quidem conſona ſemper, at rationis ſphæram excedentia. Quare humana ratio Fidei debet ſubijci, non

præ-

præponi, Fidei ſervire non dominari. Fides quidem à ratione etiam defenditur, ſed à ratione ſubjectâ, non autem à ratione ſuperbâ & dominatrice, quæ confunditur, dum ratio ſubjecta illuminatur, ab errore præſervatur, confirmatur atque perficitur.

Periculoſiſſimum pariter eſt hoc Deiſtarum effatum. Nam ſi ad rationis normam expendenda eſſent Religionis revelatæ dogmata, cùm Deus, Ens ſupremum & omnipotens revelare poſſit veritates etſi rationi conſonas, rationi tamen impervias, manifeſtiſſimum aderit periculum, ne tunc quod rationi eſt impervium, judicetur eidem rationi contrarium, licèt reverâ ſit conſonum.

Quoniam autem iniquitas & contradictio luxuriantur in regno incredulorum, hinc quidam illorum, ut omnium legum excutiant jugum hominem cæteris comparant animalibus. Horum Deus ſunt cupiditates & venter. (1)

Alij ut nullibi ad patriæ Religionem obſervandam teneantur, omnium Religionum inclamant Tolerantiam, ſicut & libertatem ſcripto mandandi quæcunque. Hi Deiſtarum ſe nomine jactant. Theiſtæ verò non ita ſentire videri volunt, verùm etſi nomen diverſum ſit, ſignificatio tamen eadem, nec in rei veritate ſententia diverſa eſt. (2) I 4 SE-

---

(1) *L' homme plante.*
*Origine de l' inégalité des hommes.*
*Livre de l' Eſprit.*
*Encyclopedie mot. evidence.*
(2) *Oeuvres de Volt. Toler. ſur le Theiſme.*
*Rouſſeau Lettres. contract ſocial. Oeuvres philoſoph.*
*Encyclopedie prelim.*
*Lettres Philoſophiques.*
*Lettres Juives.*

# SECTIO VIII.

## *De Tolerantia*.

QUæſtio hic non movetur de Religionum Tolerantiâ relativè ad politiam. Utrum enim aliquibus in circumſtantiis hæc expediat, dijùdicent Principes, qui præſunt, Deum & Dei gloriam præ oculis habentes.

Ex Deiſtarum operibus eruitur, varias inter Religiones revelatas, inquirendum non eſſe quænam vera ſit ac certa, modo naturalis ſervetur Lex.

Quam exitiale ſit & à ſollicitè ſervandâ ſalutis curâ abhorreat hoc principium, nullus non videt. Inter recentiores ſic ſentientes eminent Civis Genevenſis ſuis in litteris montanis, auctor libri de Tolerantia, auctor contractûs ſocialis, & auctor lexici Philoſophici.

Quod ſpectat ad Legis naturalis obſervationem, obſcuratâ, ut probavimus, in hominum cordibus hâc Lege naturali, indigere hominem revelatione pariter demonſtratum fuit.

Ratio autem Philoſophis ſic modò ſentientibus non eſt quia Deus cultu exteriori nec honoretur, nec inhonoretur, ſed quia ritibus omnibus æquè colatur. Syſtema iſtud deprompſerunt procul dubio ex hiſtoriâ quâdam Simiacâ; neque enim tamquam auctores, ſed pro more ſuo tanquam aliena recoquentes Scriptores habendi ſunt.

Quidquid ſit, unum pro certo teneatur, ſcilicet, quòd ſicut veritas eſt una atque indiviſibilis, ita & unus tantummodò cultus verus. Etenim quæ ſibi invicem contradicunt vera ſimul nunquam eſſe poſ-

poſſunt, ac proinde cultus duo, ſeu Religiones duæ oppoſitæ ſimul nequeunt eſse veræ, ſed una tantùm vera; ſicque cultus unus ſolùm verus ac legitimus.

Fatemur quidem, imo affirmamus Religionem non conſiſtere in Ritibus, qui, licèt Religionis majeſtatem annuntient ſimul & decus Religioni debitum atque fidelium excitent pietatem, diverſi tamen eſse poſsunt. At non ita cultus legitimus, is quippe unicus eſt verus. Neque etiam ita eſt de dogmatibus Religionem eſsentialiter ſpectantibus ac de Ritibus, ut perperam fucùm facientes tradunt falſi Philoſophi illi, cùm dogmata Religionem eſsentialiter ſpectantia firma ſint, ac immutabilia. His quippe funditus labefactatis, ruat Religionis veræ ædificium neceſse eſt: iſtud porrò modis omnibus attentant increduli.

Religionis integritatem, inquiunt, hoc probat, ut homo ſit probus, beneficus, generis humani amicus, & Legum civilium obſervator: quare quicunque dicit: extra Eccleſiam nulla ſalus, is tamquam perturbator eſt habendus, atque extirpandus: quiſque ſuam ſecurus de ſalute ſequatur Religionem.

Verùm admiſſis his opinionum portentis jam unuſquiſque de ſalute ſecurus poterit eſse Chriſtianus in Italia, in Turcarum imperio Mahumetanus. Civis Genevenſis ſi ſub Nabuchodonoſoris Regis ditione vixiſset ſecuritate eâdem ſtatuam aeneam adoraſset, atque Danielem edicto nefario non obedientem exterminaſset; Atheos inter potuiſset eſse Atheus, modò vir probus, beneficus, generis humani amicus fuiſset, & Legum civilium obſervator.

Iſthæc audire, ſcripto mandare, & ad praxim reducere non refugiunt hujuſmodi Philoſophi recentiores, at horrebit quiſquis eſt vir verè probus,

quiſ-

quiſquis divinæ Legis & naturalis præcepta fideliter adimplet, quiſquis generis humani ſecundùm Deum ſincerus eſt amicus, & leges civiles ſtrenuè obſervat cùm ſcilicet dicetur illi, quod non tenetur magis obedire Deo, quàm hominibus.

Et verò quærimus ab ipſo Cive Genevenſi, ab ipſo præſumpto hiſtorico ad valvas Genevenſes incolâ, cæteriſque ſimilibus, an cùm nullam falſam reſpuunt Religionem, veram autem tamquam tenebras cum luce, mendacium cum veritate ſociantem impugnant, in eam debacchantur, utque evertant funditus nihil non moliuntur, an inquam, habendi ſint verè tolerantes?

Hiſtoricus idem ſuis in ſpeciminibus in hanc pacatiſſimam Religionem, intōleratiæ causâ, altercationes, bella, ſtrages & Chriſtianorum quorumdam flagitia detorquet, Martyres incuſat rebellionis adversùs leges Cæſarum, quos etſi crudeliter ſævientes, ſummis laudibus effert. Atque hinc Martyrum eorumdem lanienas luctuoſis illis temporibus factas, ſtragi die S. Bartholomæi peractæ, aſſimilare non erubeſcit. Exinde autem concludit Religionem Chriſtianam ſuâ intolerantiâ homines à Legis naturalis obſervatione avocare, & Reipublicæ tranquillitati prorſus nocere.

Sed opprobria in ipſum recidunt calumniatorem. Religio Chriſtiana ſupra petram veritatis, charitatis, & pacis fundata, legis naturalis evolvit præcepta, eaque firmat: ut autem inviolata maneant, nova addit inſtituta, mortales docet ſanctè, juſtè & ſine querela vitam agere; ab altercationibus arcet, ortas pacare ſtudet. Religio hæc quaſi pueriliter pueros, fortiter juvenes, tranquillè ſenes ad Deum ducit pro cujuſque ætate; hæc fœminas viris ſuis, viros conjugi-

jugibus lege connectit ſanctâ, parentibus filios ſubmittit, parentes filiis piâ ac vigili præponit dominatione, fratres fratribus Religionis magis, quam ſanguinis vinculo nectit, dominis ſervos facit fideles, dominos ſervis juſtos reddit & placabiles; cives civibus, homines hominibus ſocietate, fidelitate, ac quâdam, ut ita dixerim, fraternitate conjungit. Hæc docet Principes proſpicere populis, monet populos ſe ſubdere Principibus, admonet unctos Domini, ut quotidie excitent & renovent Gratiam ſibi de ſupernis datam. An hæc omnia avocant a Legis naturalis obſervantiâ? An indicant turbulentam Reipublicæ rationem? Si quæ igitur ſtrages, bella, & alia his ſimilia ab hiſtoriâ referantur peracta, non Religioni, ſi propiùs inſpiciantur, ſed aliis tribuentur cauſis. Si autem inter Chriſtianos aliquando quidam fortaſſe fuerint Religione malè uſi, ſi zelo amariori plus æquo progreſſi, zelum hujuſmodi non probat Religio, ſed damnat improbatque. Nunquid non rebus etiam optimis ſæpe nimis abutuntur homines? Quidam ſceleſtiſſimè peccant in Legem ipſam naturalem, an idcirco Lex eadem reijcienda eſt? Philoſophi recentiores ad impia dogmata ſtabilienda in pravum ſenſum detorquent ſanam Philoſophiam, an ideo Philoſophia in ſe perverſa eſt?

Quantùm ad Martyres, ſi Volterius Cæſarum evolverat edicta, quum Martyres incuſavit rebellionis adverſus Leges civiles, oſtendit ſe loqui malâ fide, nec dignum eſſe cui credatur. Hoc certum eſt, ut alia omittamus, ex Hadriani, & Antonini edictis ab Euſebio lib. 4. relatis. Audiatur hic Tertullianus: *oramuſque pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum,*

*hum*, *Vrbem quietam*, *& quæcunque hominis & Cæſaris vota ſunt*. Apol. 1. *Non de tributo recuſato*, inquit Euſebius, *non de publica quietis perturbatione incuſabantur Chriſtiani illi*, *ſed quia Diis nolebant immolare deferebantur*. Idem eruitur ex Martyrum actis. An veræ rebellionis hic vel umbra ſubeſt? Martyres rectæ rationis lumini fideles, ac Religione ducti eo in caſu dicebant, oportet obedire magis Deo, quàm hominibus.

Si Volterius hæc propius non conſideraverat, nec Cæſarum evolverat edicta, incōſiderantiæ ſaltem incuſetur ipſe. Nec circumſpectus magis habeatur aſſimilans Martyrum acta ſtragi die S. Bartholomæi peractæ. Sæviebant quidem Cæſares; ſed Legibus civilibus Legi divinæ conſonantibus rebelles non erant Martyres. Sæviebat Princeps die S. Bartholomæi, ſed furore correptus, ſed à ſubjectis rebellibus ad id provocatus. Non igitur ſtrages illa Religionis intolerantiæ eſt adſcribenda, ut ſubdolè meditatur inſinuare hiſtoricus, ſed furori & perduellioni.

Calamo exactiori ſcripſit Civis Genevenſis, Calviniſmum ſcilicet in Galliæ regnum, relūctantibus legibus, fuiſſe inductum; ſed à veritate ſe ſubducit, cùm aſſerit, obtento Nannetenſi Edicto, probatam fuiſſe Calviniſtarum reformationem, animadverſioneſque contra ipſos intolerantiæ causâ exercitas fuiſſe.

Nam Princeps edicto illo minimè præſumptam Calviniſtarum approbavit reformationem, cùm a furentibus Calviniſtis iiſdem edictum fuerit extortum: nec intolerantia fuit cauſa vel occaſio animadverſionum, ſed horrendæ Calviniſtarum ſeditiones, probra & immanitates, quibus ſævientibus delubra ſacra, altaria, & ſancta quæque profanata fuere, qui-

quibus furentibus Urbes, vici, agrique repleti ruinis, ſanguine etiam redundarunt humano; imo & Imperium ipſum ita concuſſum fuit, ut niſi à Principe auguſtiſſimo Edictum illud revocatum fuiſſet, breviati haud fuiſſent dies illi deſolationis.

Verùm quia rationes, & momenta etiamſi peremptoria, Tolerantiæ Patronis necdum faciunt ſatis; ad ipſas jam Sacras Litteras confugiunt. Deus ipſe inquiunt, Religionum approbavit Tolerantiam. Eliſæus Naamano vix converſo permiſit, ut Idolum adoraret à Rege Syriæ cultum. Jacob duxit Labani Idololatræ Filias. Apoſtolus dixit: gloria, honor, & pax omni operanti bonum Judæo & Græco.

Verùm hæc omnia effugia ſunt. Falſum prorſus eſt Eliſæum permiſiſſe Naamano, ut Idolum coleret. Naamano incumbebat munus ſuſtentandi Regem adorantem Idolum: Naamanus ad Deum converſus, & veritus ne ſic deinceps ſuſtentans Regem Idolum colere videretur, offenſioniſque cauſa foret aliis, conſuluit Eliſæum, qui dixit illi: vade in pace, ideſt quietè agas, quia ab Idoli cultu longè eſt cor tuum, nec ullus ſcandali locus, cùm aulici ſciant omnes iſtud tibi incumbere.

Jacob Labani duxit quidem Filias, verùm audiat Volterius: Jacob convocatâ omni Domo ſuâ dixit: abijcite Deos alienos, qui in medio veſtrî ſunt, & mundamini, ac mutate veſtimenta. An iſta indicant Tolerantiam, ſeu potius eam reprobant?

Nec minùs alienus à vero eſt auctor hiſtoriæ Beliſarij, concludens ex Apoſtoli verbis cultum omnem comparatè ad ſalutem eſſe prorſus indifferentem: eo quippe loci ne verbum quidem de Religionum omnium Tolerantiâ. Apoſtoli ſcopus, iſque unicus eſt, hortari omnes & quoſcunque ad ſalutem

quia

quia Deus omnium eſt parens, & Gratia ejus neminem dedignatur, modò non reſiſtatur Gratiæ Dei, & Salvatoris noſtri, in quo ſolo eſt noſtra ſalus. *Quæ (enim) conventio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli?* 2. ad Cor. 15. *Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita*, ad Tit. 3.

In mendacijs quoque toti ſunt increduli aſſerentes dogma Intolerantiæ horrendum eſſe, cùm alijs Religionibus addictos ſuppliciis deputet æternis. Nemo neſcit Lutheranos, & Calviniſtas à viâ veritatis deerrantes, ac diu inter ſe digladiatos, Tolerantiæ remedio tandem inijſſe pacem in errore. Philoſophi recentiores remedium idem mutuati, & ulteriùs etiam progreſſi, Religionem ad meram Politiam revocant, ac ore uno omnes Tolerantiam inclamantes debacchantur in veros Dei cultores, ac Chriſti Diſcipulos tanquam in judices crudeles.

Sed injuſtè prorſus, ac immeritò. Sciunt veri Chriſti Diſcipuli vivorum & mortuorum juſtum eſſe Judicem, qui reddet unicuique ſecundùm opera ejus; ſciunt ſcriptum eſſe: *nolite ante tempus judicare, quoaduſque veniat Dominus*. ad Cor. 4. Diſcipuli ijdem tenent Legem naturalem, tenent & Evangelium non ut meram Politiam, ſed ut veram Religionem à Deo revelatam. *Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum, quem miſit ille*. Joh. 6. Arbitrantur, & rectè arbitrantur Diſcipuli illi, gentes adultas, quæ Legem non habent Evangelicam, per Legem naturalem eſſe judicandas. Quod ut clarius pateat obſervant gentes, ſeu infideles vel tales eſſe negativè, quatenus ſcilicet inculpabiliter prorſus Evangelium nec audierunt, nec audire potuerunt, Legis nihilominus naturalis obſervatores facti ſunt,

opi-

opitulante Dei Gratiâ omnibus impenſâ nationibus; quo in caſu aut pœnitentiæ dono, aut revelationis beneficio putant Deum eis proviſurum. Vel infideles tales eſse poſitivè, qui ſcilicet culpabiliter Evangelium audire recuſarunt ſive explicitè, ſive implicitè dicentes: *recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum ſcire nolumus*. De his ait Chriſtus mittens Apoſtolos: *prædicate Evangelium omni Creaturæ .... qui verò non crediderit, condemnabitur*. Idem dicendum eſt de hæreticis omnibus.

Neminem damnant Catholici, neminem ſuppliciis deputant æternis. Solutio hìc difficultatum omnium eſt Chriſtus, dicens: *prædicate Evangelium omni Creaturæ; qui crediderit, & baptizatus fuerit ſalvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur*. Mar. 16. *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*. Matth. 18.

Novatores Tolerantiam quærunt, ut liberiùs ſerpant errores. Philoſophi recentiores eam inclamant, ut nefandis operibus ſuis Chriſti impetant Religionem, ſenſimque dominationi cuicunque effrænata ac horrenda prævaleat libertas. Exaggerata-ne hæc eſse ſuſpicatur quiſpiam? Audiens audiat, & perhorreſcat.

Ad Religionis integritatem ſatis eſt, inquiunt, ut aliquis ſit vir probus, beneficus, generis humani amicus, & Legum Civilium obſervator; probitas autem vera, juxta plures illorum, propriis unicè inſervit commodis: bonum tuum operare cum minore tamen, quantum fieri poteſt, proximi detrimento: cave ne fraudolento alicui aurem præbeas dicenti: meum eſt iſtud: memento terram nullius eſſe poſseſsoris, terræ autem fructus tuos eſse. En probitas Philoſophica, ſimul & beneficentia eruta

ex

ex auctore libri *de l' Eſprit* : & ex auctore Operis: *De l' inégalité des hommes*.

Probus habeatur ille, qui bono conſulit publico. Omnis probitas alia indifferens eſt, alia prorſus inutilis. Qui effrenatam mulierum licentiam cohibere, vel eas expellere attentat, in pluribus bono nocet publico. Meretrices, levate jam capita juxta auctorem libri *de l' Eſprit.*

Leges prohibentes ne quis indigentiâ, mœrore, alijſque miſeriis confectus violentas ſibi inferat manus, exiſtimandæ ſunt injuſtæ. Parens nimiâ gravatus familiâ deformem puerum poteſt exponere. Romulus infanticidium prohibebat ante tertium ætatis annum. Sic argumentantur Philoſophi horrendi, humanitatis amici: (1) nec tamen adhuc finis.

Cùm omnis poteſtas legislativa à ſubjectis nata ſit & conceſſa, ea deponatur, quotieſcunque terminos, quos ſubjecti poſuere, tranſgrediatur. Concubinatus unione conjugali, utpote indiſſolubili, ſanctior eſt, & imitatione dignior. Cùm homo nulli ditioni naſcatur ſubjectus, ſi ditione unâ contentus non eſt, tranſmigret in aliam; neque enim ullo contractûs cujusvis vinculo ligatus eſt, niſi fortè prædia inibi poſſideat. Sic Philoſophi iidem Principibus ſunt ſubjecti fideles, & Legum obſervatores (2)

Cœlum Palatium eſt, quatuor habens portas: de quatuor mundi partibus ad illud Judæi, Chriſtiani, Mahumetani, Indi & Americani perveniunt, non

---

(1) *Auctores de l' Eſprit.*, *des* Loix, *& des Lettres Perſannes*.

(2) *Auctor de l' inégalité des hommes*.

*Auctor libri ſur la vie heureuſe*.

*Auctores Encyclopædiæ*.

non eamdem tamen, ſed diverſam inſiſtentes viam: Nullum Ens ſupremum à Creaturis aliquem exigit cultum. O ingenium Philoſophicum, imperia pacificans! (1)

Sic Philoſophiæ ſuæ tumidi venditatores aperiunt os in Cœlum, terrenaque cuncta moderari contendunt. Sic irreligione, morum luctuosâ depravatione, legum verò omnium contemptu, homines in omnibus ferè comparati jumentis, Orbem univerſum pacificaturos ſeſe jactitant.

Super iſta ſtupeſcent ventura ſecula, & attonita dicent: hoccine eſt ſeculum humanis litteris excultum, in quo Philoſophia ſana verſa eſt in venenum, in quo orichalcum reputatum eſt aurum; ſeculum Philoſophicum, in quo cæcutientium olim ſeculorum perverſa ferè omnia revocantur dogmata, ſeculum plagiarium, politè obſceniſſimum, ſenſu terrenum, ſuperna deſpiciens, voluptatibus inhians, in hiſque omnibus plenâ frui libertate contentum? En Tolerantiæ fœtus, & fructus. *Dixerunt enim cogitantes apud ſe non rectè: exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis, & non eſt, qui agnitus ſit reverſus ab inferis.... venite ergo, & fruamur bonis, quæ ſunt.* Sap. 2. *Comedamus & bibamus; cras enim moriemur.* Iſa. 22.

Unus tamen Deus Judex vivorum, & mortuorum. Sicut porrò unus Deus, una Fides, & unum

 Bapti-

(1) *Volterius Poëme ſur la Relig. nat.*
*Auctor des lettres Juives.*
*Auctores Encyclop.*
*Auctor libri les Mœurs.*
*Auctor Philoſophicus.*

Baptiſma, ita una Veritas, ac proinde unica Religio vera. Qui enim dicit Religionem unam, annuntiat ſanè veritatem: veritas porrò, ut jam obſervatum eſt, una indiviſibiliſque; ergo & Religio vera eſt una, ita ut quicunque contradictoriam propoſitionem unà cum illâ conſociare ſuſciperet, veritatem cum errore, lucem cum tenebris conjungere attentaret. *Quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem conſenſus Templo Dei cum Idolis?* 2. ad Cor. 6. *hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita*. ad Tit. 3.

Solius ſanè Entis ſupremi eſt definire fixumque facere cultum ſibi à creaturis exhibendum, à quo ſemel præſcripto nulli licet creaturæ deſciſcere, aut eum immutare, vel ipſi alterum conſociare. *In vanum autem me colunt docentes doctrinas & præcepta hominum* Marc. 7.

Hæc audiat inter Tolerantiæ patronos Civis Genevenſis, qui parum ſibi conſentiens non ſolùm vult, ut Princeps tamquam Legislator, ſed & Pontifex politicus determinet figatque cultum, ac exilio mulctet rebelles: ſic mentitur iniquitas ſibi.

Alij hìc ſolam aſſerunt retinendam eſſe Religione naturalem, cultum autem dicunt eſſe arbitrarium.

Alij verò nullam agnoſcunt Religionem naturalem; & qui, inquiunt, hujuſmodi Religione naturam decorant, operam perdunt; quia rationis dux habenda eſſet natura, non autem ratio dux naturæ (1) Sic Satanæ regnum prorſus diviſum eſt.

SE-

(1) *Contrat Social.*
*Diſcours de la vie heureuſe.*

# SECTIO IX.

## *De Lege Moſaica.*

Religione verâ in variis ac multis terræ partibus penè extinctâ, graſſante Idololatriâ, Deus ſemper nihilominus miſericors ſuſcitat Moyſen, virum ſecundùm cor ſuum, ut ſit populi ſui adhuc fidelis liberator, Dux, Legislator & Doctor.

Moyſes, divinâ protegente Providentiâ, ab aquarum ſubmerſione ereptus, Pharaonis filiæ adoptivus factus, Ægyptiacâ inſtructus doctrinâ, à Deo mirabiliter è medio Rubi ardentis vocatus, ad Pharaonem, de cujus aulâ fugerat, denuò miſſus, populi Iſraelitici ab annis ducentis captivi fit liberator; atque hæc omnia fiunt patratis innumeris ferè miraculis.

Moyſes ut divinam ſuam probet miſſionem, Pharaoniſque flectat induratum cor, virgam Aaronis Fratris mutat in ſerpentem, aquas convertit in ſanguinem, manum extendens ſuper Ægypti aquas: ranæ operiunt terram; nec tamen flectitur Pharao. Moyſes juſſu Altiſſimi multiplicat plagas; ſæviunt ſcyniphes, ulcera, grandines, peſtis, Ægypti Primogenitos trucidat gladius. Territus tandem Pharao Iſacides ſinit abire, mox eos inſequitur; ſed Moyſes ſuper mare manu extenſâ dividit maris aquas, per maris arenas ſicco tranſeunt Iſacides pede, inſequentibus Ægyptiis maris arenæ ſiunt ſepulcra.

Exeuntibus de Ægypto Iſraelitis dux eſt per diem columna nubis, & per noctem illucet columna ignea. Sitiuntne in deſerto, aut eſuriunt? Moyſes ex amaris dulces facit aquas, è Cœlo pluit Manna. Per

 qua-

quadraginta annos Iſacidæ ſua non vident uſu conſumpta veſtimenta, nec calceamenta vetuſtate detrita. Moyſes debellatis variis populis & Regibus, multiſque editis miraculis, à Deo vocatus montem aſcendit; ibi ab ipſomet Legislatore ſupremo præcepta moralia, judicialia, & cæremonialia accipit tradenda Iſraelitis, quibus vaticinatur Terræ Promiſſæ poſſeſſionem: vaticinij veritatem probat ſub Joſue eventus.

Portenta hæc de ſupernis omnia profecta, clamore valido annuntiant, invictèque probant Religionem Moſaicam fuiſſe divinam: facta quippe iſthæc omnia certiſſima fuere, ac indubitata. Pharao Pharaonique populi ſubjecti in Ægypto, Iſraelitæ in Ægypto atque in deſerto, omnes oculati fuere teſtes. His accedit abſolutiſſima confirmatio. Inſurgunt contra Moyſen Core, Dathan & Abiron, alijque Filiorum Iſraël ducenti quinquaginta viri proceres Synagogæ, & ait Moyſes: in hoc ſcietis, quod Dominus miſerit me, ut facerem univerſà, quæ cernitis, & non ex proprio ea corde protulerim. *Si conſueta hominum morte interierint, & viſitaverit eos plagà, qua & cæteri viſitari ſolent, non miſit me Dominus. Sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os ſuum deglutiat eos, & omnia, quæ ad illos pertinent, deſcenderintque viventes in infernum, ſcietis quod blaſphemaverint Dominum. Confeſtim igitur, ut ceſſavit loqui, dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum voravit illos cum tabernaculis ſuis, & univerſa ſubſtantià eorum, deſcenderuntque vivi in infernum*. Num. 16.

Quid ad hæc reponet Civis Genevenſis unà cum ſectatoribus ſuis? Non clam & ſine arbitris, ſed præ ore & oculis totius Iſraëlis hæc omnia peracta ſunt.

Ad-

Adſtipulantur invictè Prophetiæ ad eventum perductæ. Moyſes vaticinatur Iſraëlitarum murmuratores Terram Promiſſam non eſſe ingreſſuros præter Caleb & Joſue fideles. *Dic ergo eis . . . omnes, qui murmurati eſtis à viginti annis & ſupra, & murmuraſtis contra me, non intrabitis terram . . . . præter Caleb filium Jephone, & Joſue filium Nun.* Num. 14.

Vaticinium porrò probavit eventus. *Mortui ſunt, atque percuſſi in conſpectu Domini.* Ibid. *Noſti quid locutus ſit Dominus ad Moyſen, hominem Dei de me & te in Cadeſbarne . . . Quadraginta & quinque anni ſunt, ex quo locutus eſt Dominus verbum iſtud ad Moyſen, quando ambulabat Iſrael per ſolitudinem . . . da ergo mihi montem iſtum, quem pollicitus eſt Dominus . . . benedixitque ei Joſue, & tradidit ei Hebron in poſſeſſionem.* Joſue 14.

Prædicit Moyſes Iſraëlitis in poſterùm prævaricantibus ipſos unà cum Rege, quem ſibi eligent, transferendos eſſe in captivitatem, ac inter gentes diras & incognitas eſſe victuros: *Ducet te Dominus, & Regem tuum, quem conſtitueris ſuper te, in gentem, quam ignoras tu, & Patres tui . . . . Filios generabis, & Filias, & non frueris eis: quoniam ducentur in captivitatem.* Deuteron. 28.

Eventum fuiſſe adimpletum, fatentibus etiamnum Judæis, negabuntne increduli?

Moyſes prænuntiatis Babylonicæ captivitatis pluribus circumſtantiis, prædicit mulieres comeſturas eſſe carnes Filiorum, & Filiarum. *Comedes fructum uteri tui, & carnes Filiorum tuorum, & Filiarum tuarum, quas dederit tibi Dominus Deus tuus in anguſtiâ, & vaſtitate, quâ opprimet te hoſtis tuus.* Ibid.

Illud porrò, etſi horrendum, contigiſſe ſub Tito in obſidione Hieroſolymæ refert Judæorum hiſtoria.

*Veni ergo, o mi Nate, eſto matri cibus... & cùm hæc dixiſſet, jugulat Filiam.* Joſephus lib. 7. Nemo tamen cum inverecundo Lexici Philoſophici auctore ex hâc prophetiâ inferat Judæos fuiſſe Antropophagos. Eo loci Moyſes Iſraelitis à Domini præceptis in poſterùm declinaturis denuntiat ſolùm ad punitionem omnes crudeliſſimæ famis horrores; at minimè innuit Iſraëlitas carnis humanæ comeſtores fuiſſe.

Ex his igitur omnibus, ne longiores ſimus, ſive miraculis, ſive prophetiis eventu probatis conſtat, Religionem Moſaicam verè divinam fuiſſe.

Et profectò ea Religio verè fuit divina, quam Moyſes non pro arbitrio, ſed ex juſſu divino Iſraëlitis dedit: *ſcitis, quod docuerim vos præcepta, atque juſtitias, ſicut mandavit mihi Dominus.* Deuter. 4. quam celebrant ſacræ paginæ, quarum pleniſſimam firmiſſimamque auctoritatem comprobant conſtantes, ac perpetuæ Judæorum Traditiones; quas, etſi in eis plura Judæis probroſa contineantur, ineluctabili tamen, ac maximâ ſemper veneratione venerati ſunt.

Quam Religionem viri pietate inſignes utriuſque Teſtamenti ut ſanctàm laudarunt. *Lex Domini immaculata.* Pſal. 18. *Lex quidem Sancta, mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum.* 1. ad Timot. 1.

Et quidem Lex, quæ in eo tota fuit, ut homines ad Deum duceret, & à falſis averteret Numinibus; cui nihil antiquiùs, quàm ut honorarentur Parentes, & ſervarentur æquitatis jura; Lex, quæ pœnis variis à peccato retrahebat, promiſſis innumeris ad Deum invitabat; quæ bonum omne ſuadebat, & malum quodque, quantùm in ſe erat, tollebat; paucis, quæ ſancita erat ut eſſet fœdus Deum inter & homines, dubio procul divina erat.

Volterius Schaftesburij ſcurriles ironias imitatus, Bolin-

linbrokij, Collini, & Tindalis adulator, ab omnibus autem perverſa mutuatus dogmata, ut ſuum malevolum erga Religionem Revelatam ſimulationum involucris animum tegat, quærit ſimulatè dubius, cur Deus plura præceperit Moyſi, quàm Abrahamo; plura autem Abrahamo, quàm Noëmo; deinde pro ridiculis ducit Legis veteris præcepta cœremonialia, nec erubeſcit aſserere Ezechielem Iſraëlitis promiſiſse, ut animoſiores efficeret, eos humanâ carne nutritum iri. (1)

Noverat ſine dubio Volterius à Moyſe gentis totius ac numeroſæ gubernacula moderanda fuiſse; Noëmum verò & Abrahamum ſuam ſolummodò quemque familiam adminiſtrare debuiſse; atque idcirco Deum plura dediſse præcepta Moyſi. Nec diffitetur ſimulator ille; ſed ut captioſiùs venenum propinet, paternam hanc præceptorum gradationem dicit abyſsum eſse profundam, mentis humanæ oculis imperviam. Sed an rectum ſit cor ejus notum facient ea quæ ſequuntur.

Deus Moyſen alloquens, ait: *quem* (arietem) *cùm immolaveris, ſumes de ſanguine ejus, & pones ſuper extremum auriculæ dextræ Aaron, & filiorum ejus, & ſuper pollices manus eorum, ac pedis dextri, fundeſque ſanguinem ſuper altare per circuitum.* Exod. 29. *Dixit quoque Dominus ad Moyſen & Aaron in terra Ægypti .... ſic autem comedetis illum* (Agnum Paſchalem) *Renes veſtros accingetis, &*

 cal-

(1) *Dictionnaire Philoſophique.*
*Traité de la Tolérance,*
*Additions à l' hiſtoire.*
*Mélanges.*
*Philoſophie de l' hiſtoire.*

*calceamenta habebitis in pedibus , tenentes baculos in manibus , & comedetis feſtinanter : eſt enim Phaſe* ( ideſt tranſitus ) *Domini* . Exod. 12. *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen & Aaron dicens : dicite Filiis Iſrael : hæc ſunt animalia , quæ comedere debetis de cunctis animantibus terræ* &c. Levit. 11.

Volterius omnia hæc refert exhibetque tanquam obſervationes vanas, moreſque ſuperſtitione plenos. Verùm quis eſt iſte involvens ſententias ſermonibus imperitis, celanſque conſilium ſuum abſque ſcientiâ? Dominus dixerat priùs Moyſi: *facies veſtem ſanctam Aaron Fratri tuo in gloriam & decorem ... & oleum unctionis fundes ſuper caput ejus*; *atque hoc ritu conſecrabitur* . Quantùm ad ritus objectos ſtat pro ratione voluntas divina, quæ his, innumeriſque aliis ſimilibus ſignis ſymbolicis manifeſtat qualem ſanctitatem morumque innocentiam requirat ſuis in unctis.

Quod attinet ad modum rationemque comedendi Agnum Paſchalem, non ore minus impio ac impuro ait Volterius cæremonias illas meras eſſe obſervationes vanas ac ſuperſtitioſas. Iſraëlitæ renibus accinctis, pedibuſque calceatis, & manu munitâ baculo Agnum comedere debebant tùm in memoriam exitûs de Ægypto, tùm in recordationem ſingularis beneficij à Deo accepti, quo Primogenitos ſuos ab Angeli vaſtatoris gladio viderant incolumes. Commemorationis porrò hujus auctor ipſe Deus: *habebitis hunc diem in monumentum , & celebrabitis eum ſolemnem Domino in generationibus veſtris cultu ſempiterno* . Exod. 12.

Quantùm ad animalium mundorum ab immundis diſtinctionem, & eorum uſum, locutus eſt Dominus ad Moyſen & Aaron dicens: hæc ſunt animalia, quæ comedere debetis de cunctis animantibus terræ,

ut differentias noveritis mundi, ac immundi, & ſciatis quid comedere, & quid reſpuere debeatis. Hâc autem diſtinctione voluit Deus Iſraëlitas non ſolùm ab omni idololatriæ ſpecie avertere, quatenus falſorum Numinum cultores conſueverant veſci carnibus etiam immundis, eaſque adhibere ſuis in ſacrificiis idololatricis; ſed inſuper, & quidem potiſſimùm, voluit Deus ſymbolicâ hâc diſtinctione Iſraëlitis notas facere tum munditiem, tum ſanctitatem, quas exigebat ab illis: *Ego ſum Dominus, qui eduxi vos de terra Ægypti, ut eſſem vobis in Deum: Sancti eritis, quia ego ſanctus ſum*. Levit. 11.

Si mente rectâ ad hæc attendiſſet Volterius, atroces in Deum voces non jactaſſet. Sed non improbè minus locutus eſt, cùm dixit Ezechielem Iſraëlitis, ut animoſiores eos faceret, carnis humanæ eſum promiſiſſe. Ezechielis enim hæc verba ſunt Prophetiæ, *tu ergo, Fili hominis, hæc dicit Dominus Deus: dic omni volucri, & univerſis avibus, cunctiſque beſtiis agri: convenite, properate, concurrite undique ad victimam meam, quam ego immolo vobis, victimam grandem* (Gog ſcilicet, & exercitum ejus), *ſuper montes Iſrael, ut comedatis carnem & bibatis ſanguinem .... & ſaturabimini ſuper menſam meam de equo & equite, & de univerſis viris bellatoribus, ait Dominus Deus*. Ezechiel 39.

Volterius quaſi religione obſtrictus fatetur in novâ operum ſuorum editione, verſus priores intelligendos quidem eſſe de avibus, at poſteriores intelligi poſſe tùm de Judæis, tùm de lupis vulturibuſque; ad ſuæ autem aſſertionis probationem invocat commentatores, at nullum citat, nec mirum; nam nullus exiſtit citandus. Omnes enim juxta genuinum textûs ſenſum equi & equitis eſum ad ſo-

las referunt beſtias voraces, quæ ſaturabuntur comedentes carnem equi & equitis, & quaſi inebriabuntur bibentes ſanguinem illorum.

Verùm hic non hæret ſcriptor ille. Conſtat, inquit, tùm uſu recepto, tùm legislationis Judaicæ atroci ordinatione execrandos Judæos divinitati homines etiam feciſſe victimas. Concinit pariter cæteros inter incredulos præſertim auctor libri, cui titulus: *Dieu, & les hommes*.

Atrocem porrò hanc ordinationem repetunt ex Levitici cap. 27. ubi poſtquam Moyſes egit de votis, quæ redimi poſſunt, de cæteris ait: *omne, quod Domino conſecratur ſive homo fuerit, ſive animal, ſive ager, non vendetur, nec redimi poterit; quidquid ſemel fuerit conſecratum Sanctum Sanctorum erit Domino, & omnis conſecratio, quæ offertur ab homine, non redimetur, ſed morte morietur*. Atque hinc concludunt vi & auctoritate hujus ordinationis Jephte ſuam mactaſſe Filiam, Samuelem in fruſta Agag Regem Amalec concidiſſe, & Michæam dixiſſe: *quid dignum offeram Domino? ... numquid dabo Primogenitum meum pro ſcelere meo?* Cap. 6.

Sic homines verè execrandi ſancta quæque depravant, ut adſtruant profana, & irreligioni erigant trophæa. Quod ut clariùs evidentiùſque pateat

Obſervandum Iſraëlitis triplex fuiſſe votum. Votum ſcilicet ſimplex, quod *Neder* dicebatur: tali autem voto res Deo conſecrata redimi poterat, quia ſimpliciter ſancta, ſeu Domino dicata.

Votum aliud erat pœnale, ſeu anathema ſolemne, quod *Cherem* vocabatur, & decernebatur ab auctoritate publicà in aliquem, aut aliquos, vel etiam in gentem aliquam criminis alicujus exitialis ream, ut cùm Deus Chananæos internecioni devovit

vit ob execrandas illorum abominationes.

Aliud denique votum perſonale quidem ſicut ſimplex, at ſacramento firmatum, quod etiam *Cherem* dicebatur, ſanctiſſimumque ratione ſacramenti adjuncti credebatur. Hoc voto quilibet Iſraelita ſervos, aut ſervas, ſive domum & terras, vel demum animalia munda, aut etiam immunda devovere poterat, at nunquam redimere, quia Domino ſanctiſſima. Quo in caſu animalia munda immolabantur, immunda divendebantur in Sanctuarij utilitatem: templum verò, templique miniſtri domos & terras jure pleni perpetuique dominij poſſidebant, ſicut & homines ſic devotos, quos mactari omnino vetabat Lex: *hæc ſunt præcepta, atque judicia, quæ facere debetis in terra, quam Dominus Deus patrum tuorum daturus eſt tibi, ut poſſideas eam cunctis diebus, quibus ſuper humum gradieris.... quando diſperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes.... cave ne imiteris eas poſtquam te fuerint introeunte ſubverſæ, & requiras cæremonias earum, dicens: ſicut coluerunt gentes iſtæ Deos ſuos, ita & ego colam; non facies ſimiliter Domino Deo tuo; omnes enim abominationes, quas averſatur Dominus, fecerunt, Dis ſuis offerentes filios & filias, & comburentes igni.* Deuter. 12.

Caligent in ſole hic neceſſe eſt oculi eorum, qui nec videre, nec intelligere volunt Lege Moyſis apertiſſimè ſancitum fuiſſe, ne Altiſſimo victimæ offerrentur humanæ.

Nonne Deus Abrahami fideliſſimi obedientiâ contentus, aliam pro Filio ſuppeditans victimam ſatis apertè tum etiam declaravit ſibi humana non placere ſacrificia, præceptumque ſuum datum fuiſſe unicè Fidei Patriarchæ probandæ & manifeſtandæ

cau-

cauſâ? Unde Divus Auguſtinus loquens de Jephtis voto quæſt. 49. in Judic. ait: *iſte vero Deo non jubente, neque poſcente; & contra legitimum ejus præceptum, ultrò ſacrificium vovit humanum*. Quare ſpiritum Domini factus ſuper Jephte, ſpiritus fuit juxta S. Doctorem fortitudinis & roboris, quo hoſtes debellaret, non autem ſpiritus conſilij & pietatis, quo prudens legitimum emitteret votum. Imo in Chaldaicâ paraphraſi legitur, Jephte, etiam emiſſo voto, non conſuluiſſe Pinhhas ſacerdotem.

Interim exiſtimandum dicimus poſt plures Patres Jephte ſuum expiaſſe delictum ſupplicibus pænitentiæ lacrymis. Dicimus poſt plures Patres, quia non deſunt, Jephte, Filiam ſuam ut virginem in Templi ſervitium devoviſſe ſolùm, minimè verò eam immolaſſe, quia additur: *& fecit ei ſicut vovit, quæ ignorabat virum*. Votum Patris igitur implevit virginitatem ſervando.

Et reverâ credibile non videtur Jephte legem ignoraſſe, quæ ſub graviſſimarum pœnarum comminatione ſacrificia vetabat humana.

Volterius invocat hìc D. Hieronymum ut aſſerentem idcirco Jephte ab Apoſtolo inter ſanctos reponi, quia ſuam reverâ immolaverat Filiam.

Verùm ſi ſcriptor ille mentem S. Doctoris propiùs fuiſſet aſſecutus, vidiſſet Hieronymum excuſantem voventis animum, ſeu cæcam pietatem, minimè verò voti executionem; ait enim: *in vovendo fuit ſtultus quia diſcretionem non habuit, & in reddendo impius*

Quantùm ad Samuëlem, & Michæam, Samuël juſſu Dei Agag Regem Amelec trucidavit non in ſacrificium & ſuper altare, ſed in vindictam: *ſicut fecit abſque liberis mulieres gladius tuus, ſic abſque libe-*

*liberis erit inter mulieres mater tua*. 1. Reg. 15. Quis porrò dixerit ſub Domini poteſtate non eſſe hominis vitam, aut à Deo ſæpe ſæpius gentem aliquam plexam non fuiſſe per aliam?

Michæas verò recenſet ibi ſacrificia, quæ Iſraelitæ, abominabiles facti, Ethnicoſque imitati Diis faciebant, negatque ea utpote etiam abominabilia, vim ullam habere ad Deum placandum.

Volterius nondum laſſus in viâ iniquitatis, loquens de Madianitis aſſerit triginta duas Filias Domino fuiſſe immolatas; Saülem quoque, Judæorum primum Regem, Deo victimas obtuliſse humanas; imò jurejurando affirmaſse ſe Altiſſimo immolaturum eum, qui manducaſset.

Equidem, cæſis Madianitis, trigintaduæ animæ ceſserunt in partem Domini, at Tabernaculi ſervitio devotæ, non Altiſſimo mactatæ, ut improbè aſserit ſcriptor. Non minùs mentitur, cùm effutit, Saülem altaria humano ſanguine tinxiſse, atque affirmaſſe, ſe Altiſſimo immolaturum eſse eum, qui manducaſset. Equidem dixit Saül ad Jonatham: *hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris, Jonatha; dixitque Populus ad Saul: ergone Jonathas morietur, qui fecit ſalutem hanc magnam in Iſrael?* 1. Reg. 14.

In his omnibus ne umbra quidem apparet immolationis cruentæ Altiſſimo faciendæ; ſciebat enim Rex Iſrael talibus non placari, ſed graviſſimè Deum offendi ſacrificiis. Inſuper cùm Principes ſingulari certamine pugnantes ultimo addicunt ſupplicio, an ideò dicendi ſunt illos immolare Altiſſimo?

Lex Moſaica, inquiunt Deiſtæ, promittebat quidem terrena, ut inter alia teſtimonia habetur Exod. 3. *Educam de terra illa in terram bonam & ſpatio-*

*ſam*,

*ſam, in terram, quæ fluit lacte & melle*, quæ promiſſio ratione objecti dubia etiam videtur pluribus, cùm terra illa fluens lacte & melle, ut dicitur, ſit Palæſtina; quæ à variis viatoribus refertur tanquam terra jejuna & ſterilis.

Nonne lex eadem de immortalitate Animæ, & præmiis alterius vitæ tacet prorſus?

Lex equidem Moſaica promittebat terrena, at ſimul pro certis habebat promiſſiones de cœleſtibus, factas Patriarchis, & omnibus notas, atque ideò Moyſi illarum iteratâ recordatione opus non fuit. Patriarchas porrò & Judæos ante, & poſt Legem in Sinai datam cognoviſſe tùm animæ immortalitatem, tùm præmia cœleſtia, ſatis ſuperque conſtat. Nonne ſæpè peregrinos ſe dicebant ſuper terram, & vitæ ſuæ dies vocabant dies peregrinationis? Meliorem ergo expectabant vitam. Deus init fœdus cum Abrahamo: *ero*, inquit, *merces tua magna nimis*. Deus porrò non loquitur de mercede obtinendâ in hâc ærumnosâ vitâ, alioquin promiſſio non fuiſſet adimpleta, nec Abrahamus ſenex populo ſuo in alterâ vitâ reſtitutus fuiſſet, cùm tamen Geneſeos cap. 25. dicatur. *Mortuus in ſenectute bona provectæque ætatis, & plenus dierum, congregatuſque ad populum ſuum*.

Iſtud porrò intelligi nequit de corpore; nam unâ cum ſuis in patriâ inhumatus non fuit, ſed in agro Ephron, quem emerat à filiis Heth. Intelligendum hoc igitur eſt de congregatione animæ ad populum ſuum, & proinde hæc poſt mortem ſuperſtes & immortalis credebatur. Idem in Pentateucho dicitur de Iſaaco, Aarone & Moyſe. Jacob moriturus, Filiiſque benedicens, ait: *Salutare tuum expectabo, Domine*. Gen. 40.

Deus Moyſen alloquens Exod. 3. dicit ſe Deum eſſe

eſſe Abrahami, Iſaaci & Jacobi; non autem dicit ſolùm fuiſſe; ergo quia vivunt, non ſanè in hâc vitâ, utpote mortui; ergo in alterâ. Qui ad hæc animum adverterit, & innumera alia legerit teſtimonia ſacris in litteris, haud mirabitur, Judæos mortem aſpexiſſe lætos, meliorem expectantes vitam, vitæ hujus, ac proin & immortalitatis animæ, firmâ etiam & conſtanti traditione ab Adamo ad Evangelium uſque tranſmiſsâ, imbuti. Pſalmographus Regius inclinabat cor ſuum ad faciendas juſtificationes propter retributionem. Tobias vitam illam expectabat, quam Deus daturus eſt iis, qui fidem ſuam non mutant ab eo. *Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ*, ajebat Eccleſiaſtes, *antequam veniat tempus afflictionis . . . & revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Eccleſ. 12. *Quid nobis profuit ſuperbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? . . . juſti autem in perpetuum vivent, & apud Deum eſt merces eorum.* Sap. 5. *Facile eſt coram Deo in die obitus retribuere unicuique ſecundùm vias ſuas* Eccl. 11. *Supra modum autem mater mirabilis, & bonorum memoria digna, quæ pereuntes ſeptem Filios ſub unius diei tempore conſpiciens, bono animo ferebat propter ſpem, quam in Deum habebat: ſingulos illorum hortabatur . . . . dixit ad eos: neſcio qualiter in utero meo apparuiſtis; neque enim ego ſpiritum, & animam donavi vobis . . . . ſed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, & ſpiritum vobis iterum cum miſericordia reddet & vitam.* 2. Macchab. 7.

Et quidem, licèt Moſaica Lex ratione litteræ, & corticis præmia dumtaxat temporalia, ſicut & pœnas ſolùm temporales exprimere videatur, certiſ-

ſimum

ſimum nihilominùs teneatur, homines ſub lege eadem conſtitutos habuiſſe Fidem, Spem, & vitæ æternæ promiſſiones. Unde dicit Apoſtolus II. ad Cor. 4. *habentes eumdem ſpiritum Fidei*; ſupra quæ verba ait Auguſtinus Epiſt. 157. *Non diceret eumdem ſpiritum Fidei, niſi admonens etiam antiquos juſtos habuiſſe ipſum ſpiritum Fidei, hoc eſt Incarnationis Chriſti*, quatenus ſcilicet Lex ipſa pariebat, faciebatque juſtos non quidem per ſe, ſed per Fidem, & merita Mediatoris venturi.

Quare Legis littera ſonabat quidem temporalia, at ſenſus interior Legis, iſque verus, utpote à Spiritu ſancto Moyſi inſpiratus, non ſiſtebat in temporalibus, ſed æterna complectebatur. Senſus porrò ille Judæis erat obvius, tùm ob explicationem à Moyſe oretenus factam, tùm ex conſtanti deinceps Traditione, tùm denique ex ipsâ immortalitatis animæ, ac præmiorum in alterâ vitâ virtuti retribuendorum ſcientiâ & doctrinâ.

Fallitur, & alios adhuc fallere nititur Volterius, cùm aſſerit Saducæos à Judæis diſceſſiſſe ratione doctrinæ novæ de immortalitate Animæ à Judæis iiſdem adoptatæ. Scriptor ille haud erubeſcens à ſe ipſo millies diſſentire fatetur immortalitatis Animæ dogma Perſicos, Babylonios, Syros, Cretenſes, Phœnices, Chaldæos & Arabes notum habuiſſe. Cicer. in Tuſcul: ait: *permanere animos arbitramur conſenſu omnium nationum .... Auctoribus quidem ad iſtam ſententiam uti optimis poſſumus. Primùm quidem omni antiquitate, quæ quo propiùs ab ortu aberat, & divina à progenie, hoc meliùs fortaſſe quæ vera erant, cernebat. Omni autem in re omnium gentium conſenſus Lex naturæ putanda eſt.*

Saducæi porrò nonniſi à Sadoc ducentis ante

Chri-

Chriſtum annis dogma de animæ mortalitate edocti fuere, atque idcircò Judæi eos tanto proſecuti odio, atque averſati ſunt.

Nec minùs in errore verſatur ſcriptor idem, cùm deridens ait: Hebræi procul dubio minimè intelligunt per *Scheol* tartarum illum in quo, juxta antiquos, Furiæ, & vindices Deæ ſontes variis miriſque inſectantur cruciatibus

Equidem Hebræi poëtarum Græcorum more non commentantur. Hebræi diſtinctionem faciunt inter has voces *Heber* & *Scheol*: per *Heber* intelligunt ſepulchrum, per *Scheol* verò intelligunt manſionem in alterâ vitâ. Hanc autem dividunt in manſionem Juſtorum, ad quam videtur attendiſſe Balaam, cùm dixit: *moriatur anima mea morte Juſtorum, & fiant noviſſima mea horum ſimilia*. Num. 23. & in manſionem impiorum, quam delineat Iſaias his verbis: *contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium ... qui dicebas in corde tuo in Cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum ..... veruntamen ad infernum detraheris in profundum Laci.* Iſai. 14.

Quantùm ad Palæſtinæ pauperiem, quam in odium Religionis recantare vix ceſſant Philoſophi recentiores, non tantùm auctores ſacri, Jeremias nempe cap. 11. Ezechiel cap. 20. Salomon &c. demonſtrant Terram Promiſsam fuiſse uberrimam, ſed & auctores profani. Hecatæus Abderita omnium Alexandri itinerum expeditionumque ſocius, qui Palæſtinam luſtraverat, refert apud Joſephum reſponſ. ad Appion. lib. 2. regionem illam optimam eſse ac fertilem. Tacitus hiſt. lib. 5. aſserit Palæſtinæ ſolum eſse uberrimum. S. Hieronymus in Palæſtinâ diu commoratus in caput 5. Iſaiæ ait: reverà nihil

L Ter-

Terra Promiſſionis pinguius, ſi non montana quæque atque deſerta, ſed omnem illius latitudinem à Rivo Ægypti, uſque ad Euphratem contra orientem, accipias. Ita quoque Viatores recentiores, ut Claudius Malingre *nouveau Théatre du monde, Voiage de la Terre ſainte, dictionnaire géographique* &c. Quod ſi fortaſse non ita ſit optima, ut narratur, an idcircò concludendum eſt: ergo nec olim fuit quoque optima?

Et quidem ab anteactis illis ſeculis quot temporum varietates, quas fortunæ viciſſitudines perpeſſa eſt? à quot Principibus factæ mutationes? Quoties regionis illius incolæ, extranei facti ſunt, agrique à cultura deſerti? Si deinde ac poſt luctuoſa illa tempora coacti fuerunt Judæi domos ſuas à planitie ad rupes transferre, illud probat terram aut diu fuiſſe deſertam, aut regionem ſæpè devaſtatam, Judæorumque indicat induſtriam. Igitur auctor deſcriptionis Palæſtinæ Deiſtis ſuffragari nitens, immeritò ex his concludit ſicut & ex mercaturâ Judæorum aliis in regionibus factâ, Moyſen à vero aberraſſe, cùm dixit Terram Promiſſionis regionem eſſe melle & lacte fluentem, ac proinde Moyſen nec divinitùs inſpiratum fuiſſe, nec Moſaicam Religionem eſſe divinam.

Religio Moſaica verè fuit divina. Nam ea Religio, ſeu Lex verè eſt divina quæ à Deo ortum ducit, cujus ſanctitatem celebrant ſacræ paginæ, quam viri pietate inſignes utriuſque Teſtamenti mandarunt executioni, quæ omnia præcipit virtutum genera, omne verò prohibet peccatum, atque ſcelus, ac ſáncita fuit in fœdus Deum inter & homines. Hi porrò ſunt Legis veteris characteres.

Nam 1. ortum ducit à Deo: *hæc ſunt judicia. at-*

*atque præcepta, & leges, quas dedit Dominus inter ſe, & Filios Iſrael in monte Sinai per manum Moyſi*. Levi'i 26.

2. Legem hanc ſacræ celebrant paginæ: *Lex Domini immaculata, convertens animas*. Pſal. 18. *Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum & bonum*. 1. ad Tim. 1.

3. Eam quotquot in utroque Teſtamento floruere viri religione ac pietate inſignes adimpleverunt, Moyſes, Prophetæ, Salomon, David, qui continuò pſallebat: *Lex tua meditatio mea eſt. Legem tuam non ſum oblitus*. Chriſtus ipſe, qui de ſe ipſo ait Matth. 5. *non veni ſolvere Legem, ſed adimplere*, qui voluit circumcidi, Sabbatum ſervare, Paſcha celebrare, qui leproſos à ſe mundatos remiſit ad Sacerdotes: *ite, oſtendite vos Sacerdotibus*, & factum eſt, *dum irent mundati ſunt*. Luc. 17.

4. Lex eadem genus omne bonorum præcipit, malorum autem vetat; docet Deum toto corde eſſe diligendum, & gratias ei eſſe perſolvendas; in proſperis, & adverſis ad eum eſſe confugiendum; à falſis avertit Numinibus; nihil ipſi antiquius, quàm ut honorentur parentes, proximus ametur, æquitatis jura ſerventur; vetat furta, proximi cædem, fratris odium, & quæcunque inhoneſta; quæ variis à peccato retrahit pœnis, variis promiſſionibus ad Deum invitat; cujus præceptis cæremonialibus Iſraëlitæ de ſuis monebantur officiis: ſic ſacrificiis ſe eſſe peccatores confitebantur, primitiis ſupremum Dei dominium profitebantur, beneficiorumque ejus ſeſe memores exhibebant; circumciſione de puritate, ſingularique in populum Dei electione ſuâ admonebantur; feſta, variæque cæremoniæ portenta, quæ Deus illorum gratiâ operatus fuerat, quaſi modò peracta re-

repræſentabant ; prohibitio connubij cum alienigenis ipſos ab Idololatriâ avocabat ; abſtinentia à quorumdam animalium carnibus præcipiebatur ſive quia eâ in regione carnes illæ erant noxiæ , vel quia non ſatis mundæ ad exprimendam munditiem ; vel quia Ethnici conſueverant ſuis in Sacrificiis talia immolare animantia , vel etiam pro Idolis habere.

5. Lex vetus ſancita eſt in fædus Deum inter, & Iſraëlitas : *Deum elegiſti hodie , ut ſit tibi Deus & ambules in viis ejus , & cuſtodias cæremonias illius , & mandata , atque judicia , & obedias ejus imperio* . Deut. 26.

Obſervandum hic 1. cùm Ezechielis 20. Deus dicitur dediſſe Iſraëlitis præcepta non bona , verba iſta ſignificare ſolùm pœnam Iſraëlitarum prævaricationes conſequentem, atque ob eas inflictam . Iſtud apertè indicant verba hæc præcedentia : *eo quod judicia mea non feciſſent & præcepta mea reprobaſſent, & Sabbata mea violaſſent , & poſt idola Patrum ſuorum fuiſſent oculi eorum , ergo & ego dedi eis præcepta non bona* ; hinc permiſi , ut præceptis tyrannicis ſubderentur , ac in eis morerentur , & occiderentur . Sic etiam ſentiunt Hebræi .

Cùm verò Apoſtolus ad hebræ. 8. ait : *ſi illud prius* ( teſtamentum ) *culpa vacaſſet , non utique ſecundi locus inquireretur* , cavendum eſt , ne ex his Apoſtoli verbis inferatur Legem veterem haud fuiſſe bonam . Nam Apoſtolus idem ad Rom. 7. ait : *Quid ergo dicemus ? Lex peccatum eſt ? abſit.* Eatenus igitur ab Apoſtolo dicitur non vacaſſe culpâ , quatenus deficiebat à perfectione novæ Legis , nec ſufficiebat ad ſalvandum hominem : aderat nihilominus ſimul cum Lege eâdem aliud auxilium , per quod ſalvari homines poterant , ſcilicèt fides Mediatoris , per

quam

quam Lex ipſa fecit etiam juſtos, per quam juſtificati ſunt Patres antiqui, & nos quoque juſtificamur. Quare cùm Apoſtolus idem dixit: *occaſione accepta peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam* ad Rom. 7. non ex Legis inſtituto naſcebatur illa peccati occaſio; ſed ex parte hominis, atque idèo addidit Apoſtolus: *ſcimus enim, quia Lex ſpiritualis eſt, ego autem carnalis*.

Igitur Lex fuit occaſio peccati, ſicut ſæpè ſuperiorum mandata fiunt occaſiones tranſgreſſionis, quatenùs ſcilicet concupiſcentiam fræni impatientem coercent, non autem hominem de ſe ad peccatum impellunt. Hoc ſenſu Apoſtolus Legem edoctus ajebat: *concupiſcentiam neſciebam, niſi Lex diceret, non concupiſces . . . ego autem ſine Lege aliquando vivebam*.

Obſervandum 2. ad diſſipandas nonnullas alias incredulorum hìc meras argutias, falſum prorſus eſſe Moyſen Leges tuliſſe bono publico, ac utilitati communi ſicut & paci oppoſitas, ut cùm Sabbati diebus, & annis ſabbaticis ceſſationem præcipit ab operibus, annis verò Jubilæis æris alieni contracti relaxationem; vel cùm vindictam permiſit, oculum pro oculo, dentem pro dente erui ſinens; cùm heris ſuos necare ſervos, odio proſequi inimicos conceſſit; imo immundos eos declaravit, qui hominis mortui cadaver tetigiſſent.

Nam diebus, & annis ſabbaticis ceſſatio ab operibus utilis habebatur, tùm ut Iſraelitæ cultui divino peculiariter ſe devoverent, tum ut civium corpora à laſſitudine recrearentur, indeque ad laborem fierent aptiora. Nec etiam annis illis leguntur Hebræi alimentis defraudati, nec pauperes miſerique excluſi. Æs alienum quoque dimittebatur, ne in-

familiarum ruinam excreſceret; nec tamen in præcavendo omni dolo vera prohibebatur diligentia.

Anno autem Jubilæi antiqui poſſeſſores priſtinas recuperabant hæreditates; ſic divitum frenabatur præceps in aliena omnia bona animus.

Quod verò pertinet ad vindictam, hujus Lex vetus limes erat, non fomes. Prohibebat enim, ne qui læſus fuerat aſperiori uteretur vindictâ, ſed pro arbitrorum judicio. Quoad ſervos verò, equidem heris illos occidentibus pœna nulla conſtituta erat, quatenus heris ipſis conſulendum erat, ne erga ſe rebelles experiri poſſent ſervos; at non idcircò heris licitum erat ſervos occidere in quolibet caſu. Dictum ipſis erat ſicut cæteris *non occides*. Immunes quidem à pœna habebantur, cùm ſervus percuſſus uno aut altero die poſt flagella expirabat, quia cenſebatur animum habuiſſe ſervum corrigendi tantùm.

Neque etiam permiſit Moyſes odio proſequi inimicos. Quod enim dixit Chriſtus: audiſtis quia dictum eſt &c. intelligendum minimè eſt de Lege Moſaicâ; ſed de antiquis Phariſæorum Traditionibus, qui ex eo quòd in Scripturis præcipiatur amor erga amicos. perperàm intelligebant inimicos odio habendos eſſe.

Hebræis connubia cum alienigenis erant vetita, ne corrupti ad Idololatriam diverterent. Non tamen vetitum erat commercium cum populis, ubi ſubverſionis non aderat periculum, exceptis Chananæis: imo gratiosè & humaniter excipiebantur advenæ.

Quantùm denique ad munditiam legalem ratione contactûs cadaveris, hæc peccatum non erat, & per opera etiam bona contrahi poterat, quemadmodum

dum irregularitas etiam à juſto Judice contrahitur. Nonne Tobias mortuis ſepulturam exhibens ab Angelo laudatus eſt? Nonne Moyſes ipſe ſecum tulit oſſa Joſephi? Nec deſunt qui arbitrantur talibus in caſibus neceſſitatis nullam fuiſſe contractam immunditiem. Cæterùm immunditia hæc Legalis Legis Moſaicæ, à quâ cavere, aut contractam expiare aliquis tenebatur, indicabat ſanctitatem, tantùm abeſt ut immunditiam probaret. Et reverâ ope hujuſce Legis Iſraëlitæ præ Gentilibus magnitudinem & ſapientiam Dei, virtutes omnes, ac præcipuè Dei amorem edocti fuerunt. *Qui annuntiat verbum ſuum Jacob .... non fecit taliter omni nationi* Pſal. 147. *Quid amplius Judæo eſt, aut quæ utilitas Circumciſionis? Multùm per omnem modum. Primùm quidem quia credita ſunt illis eloquia Dei* . ad Rom. 3. *Et nunc, Iſrael, quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi ut diligas eum?* Deuteron. 10.

Equidem Lex ipſa permulta continebat præcepta; at id miſericordiæ Domini opus. Cùm enim populus ille duræ eſſet cervicis, & ad Idololatriam causâ manſionis in Ægypto factæ, maximè proclivis gravi præceptorum ſarcinâ indigebat. Cùm porrò Iſraëlitæ tunc temporis in multitudinem excreviſſent pleræque Leges forent eis acerbæ, & cupiditatibus plurimùm adversæ, imo non raró ſub pœna capitis obligantes, procul dubio nunquam eas accepiſſent, niſi Moyſes ſive miraculis non dubiis, ſive Prophetiis, ſive aliis argumentis certis & evidentibus, Iſraëlitarum pervicaciam frangentibus, ſuam comprobaſſet miſſionem, præceptaque iſta Domini eſſe opus. Audiant increduli, qui de Moyſe temerè, & injuriosè loquuntur.

Neque audiendi ſunt cùm inquiunt, auctores

varios arbitrari Legis Moſaicæ libros ab Eſdrâ fuiſſe reſtitutos. Nam Esdræ liber iſte nullius auctoritatis, nullius ponderis eſt neque apud nos, neque apud adverſarios, utpote apocryphus. Equidem Eſdras codices ſacros ad uſum Templi, in quo antiqua ejuſdem Templi exemplaria fuerant combuſta, novis litteris ac characteribus, diverſis à charactere antiquo, quem ſervarunt ſemper Samaritani, conſcribere ac reſtituere potuit; at minimè inde conſequitur codices omnes Legis fuiſſe concrematos, nec unquam id demonſtrabunt increduli.

Nec magis proficiunt, cùm ajunt Sanctos Patres arguiſſe Judæos adulterationis ſacris in Paginis. Sancti Patres Judæis obiicientibus verſiones Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis, valdè diſſentientes à Verſione Septuaginta Interpretum, opponebant verſionem hanc, quam Scripturam vocabant, quamque Judæi antiquiores uſque ad Chriſtianiſmi ætatem maximâ ſemper veneratione proſecuti ſunt.

Obſervandum 2. Varias inter Chronologias ſive Hebræorum, ſive Samaritanorum, ſive ſeptuaginta Interpretum potior habenda eſt Chronologia Textûs hebraici conſonans cum eâ, quæ in vulgatâ verſione noſtrâ legitur. Ratio eſt, quia Judæi tantâ religione ſuorum codicum conſervationi ſemper invigilarunt ne alterarentur, ut omnes litteras etiam numerarint; ſicque additio, vel depravatio in Textu hebraico difficillimè potuit irrepere. Inſuper calculi in Hebræorum Pentateucho non characteribus numericis, ſed integrè ſcripti leguntur.

Diximus conſonans cum eâ, quæ in vulgatâ noſtrâ legitur; quia vulgata hæc, ex hebræo à divo Hieronymo translata atque edita, Doctorum Patrumque conſenſione admiſſa fuit, priore, quæ Itala vocabatur, relictâ. In-

Inſuper Tridentini Patres hanc Divi Hieronymi verſionem authenticam, ſeu abſolutè ac ſimpliciter fidelem ac ſinceram, & in publicis etiam actibus ſequendam declararunt.

Quæcunque igitur ab incredulis in Libros Moyſis congeſta leguntur, ea librorum illorum veritatem auctoritatemque obſcurare nullo modo poſſunt. Hi volentes eſſe ſapientes facti ſunt plagiarij; modò cæcutientium olim Philoſophorum aberrationes furati, modo ab hæreticis, aliiſque veritati prorſus inimicis objectiones mutuati, iſthæc omnia ſibi vindicant tamquam propria, ſicque perverſa eructant jam recocta, prout jam obſervatum fuit. Imò quia labia illorum ſunt doloſa, & opera veneno plena; lectores ſuos ſpecioſiùs deluſuri, hiſtoricoſne invocant? eos falsò invocare non erubeſcunt. Auctorumne opera ſeu nota, ſeu ignota citant? ea lævam in partem detorquere, vel etiam auctoribus ipſis imponere, non verentur. Volterius, ut omnem Pentateucho detrahat auctoritatem, Perſarum Religionem dicit antiquiſſimam, illorum librum, *Zeud aveſta*, dictum, totius mundi librorum aſſerit fuiſſe vetuſtiſſimum. Ne inutiliter tempus teratur, plura alia, eaque ſimilia prætermittimus commenta: Scriptor porrò ille patronum invocat Lindæum, diu cum Perſis converſatum.

Verùm doctus Lindæus, diſquiſitionibus omnibus factis, aſſerit Zoroaſtrum Perſicæ Religionis auctorem, Judaicâ Religione eruditum fuiſſe, Judaicisque ſcriptis plurimùm fuiſſe uſum. Iſta indicantne Perſarum Religionem fuiſſe antiquiſſimam, Judaicæque matrem, ut tradit Volterius, qui pro ſuo ſcurrili modo ac more Abrahamum figuli dicit natum?

A vero non minùs aberrant increduli, cùm ajunt

ajunt Moyſen Leges ſuas ab Ægyptiis mutuatum fuiſſe. Moyſes à Deo accepit Præcepta, Judicia, & Cæremonias. Moyſes juſſu divino Leges promulgavit ſuperſtitionibus Ægyptiacis prorsùs adverſantes: *quis neſcit*, inquit Juvenalis, *qualia demens Ægyptus portenta colat?*

Obſervandum denique 4. Legem veterem etſi opus Altiſſimi, etſi mera non effecerit mancipia, nec bona promiſerit ſolùm temporalia, abrogandam nihilominùs, & reverà fuiſſe abrogatam. Legis hujus abrogationem annuntiaverant Prophetæ cùm polliciti ſunt fœdus antiquum reſciſſum iri, & Sacrificium novum, veteribus abjectis, eſſe inſtituendum. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & faciam Domui Iſrael & domui Juda fœdus novum, non ſecundùm pactum, quod pepigi cum Patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti .... ſed hoc erit pactum, quod faciam cum domo Iſrael poſt dies illos, dicit Dominus; dabo legem meam in viſceribus eorum* Jerem. 31. *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra: ab ortu enim ſolis, uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Malach. 1.

Accedit: quod Danielis cap. 9. dicitur: *in medio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium*, & ideò Apoſtolus ait ad Hebræ. 7. *translato Sacerdotio, neceſſe eſt, ut & Legis translatio fiat*. Idem docet Cap. 8. Ad Galat. autem 4. *quomodo convertimini ad infirma & egena elementa?* & ibid. Cap. 5. *nolite iterum jugo ſervitutis contineri ... quoniam ſi circumcidamini, Chriſtus nihil vobis proderit.*

Quamquam autem Lex illa non deſierit obligare

gare ante Chriſti mortem; neque enim Chriſtus venerat illam ſolvere, ſed adimplere; neceſſe quippe erat, ut mors intercederet Teſtatoris ad hoc ut teſtamentum confirmatum eſſet; tamen in ipsâ Chriſti morte ceſſavit in ſe, quia *translato ſacerdotio neceſſe eſt, ut & Legis translatio fiat*: dicimus in ſe, quia obligatio ejus non ceſſavit niſi poſt ſufficientem Evangelij promulgationem. Càm autem apud Judæos triplex fuerit præceptorum genus, alia moralia, alia cæremonialia, alia demum judicialia, ceſſante veteri Lege, ceſſarunt quidem præcepta cæremonialia & judicialia, ſolos obligantia Judæos, at non moralia, utpote Legis naturalis præcepta.

Licèt autem ratio peremptoria abrogationis Legis Moſaicæ ſit ſuprema Dei voluntas, ratione nihilominùs etiam ſuaderi poteſt. Nam I. accedente realitate evaneſcit figura; ſicut fulgente ſolis radio diſſipantur umbræ: *umbram habet Lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum*. ad Hebræ. 10.

II. Etſi Lex hæc ſancta ratione auctoris ſui, ratione præceptorum ſuorum, imo æterna ratione præceptorum moralium, quorum obligatio ſemper viget, ſemper viguit, & vigebit; nihilominus quia Judæis quoad cætera à Lege naturali non præſcripta peculiaris erat, Lex omnibus communis deſiderabatur: *in veritate*, ait Apoſtolorum Princeps, *comperi quia non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente qui timet eum .... acceptus eſt illi*. Actor. 10. *etſi Patrem invocatis eum, qui ſine acceptione perſonarum judicat ... ſcientes, quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis, ſed pretioſo Sanguine, quaſi agni immaculati Chriſti*. I. Petr. I. *Sicut modo geniti infantes rationabile, ſine dolo, lac concupiſcite, ut in eo creſcatis in ſalutem*. Ibid. cap. 2. 3.

2. 3. quia Dominus Iſraëlitis minitans dixerat: *ſi autem averſione averſi fueritis vos, & Filij veſtri non ſequentes me, nec cuſtodientes mandata mea ... ſed abieritis, & colueritis Deos alienos, & adoraveritis eos, auferam Iſrael de ſuperficie terræ, quam dedi eis.* 3. Reg. 9. Inter Judæos porrò duræ cervicis & prævaricatores factos ac rebelles, & ſicut oves non habentes paſtorem, non ceſſarunt divinitùs inſpirati vates exprobrare ingrati animi vitia, non ceſſarunt clamare cum Iſai. 45. *Rorate Cœli deſuper, & nubes pluant Juſtum; aperiatur terra, & germinet Salvatorem.*

SUP-

# SUPPLEMENTUM

*Ne varios adhuc ſacrarum paginarum textus à recentioribus incredulis objectos prætermitteremus tanquam inenodabiles ; ne impia illorum quædam adhuc in ſanctam Religionem molimina relinqueremus intacta , utile duximus , imò & neceſſarium ſequentia attexere ſupplementa , in quibus novæ quædam horum impiorum cavillationes , & novæ quædam verſutiæ ac exitioſiſſimæ deteguntur .* Itaque ſit .

## SUPPLEMENTUM.

### QUOAD VETUS TESTAMENTUM.

OBſervandum 1. Scripturæ ſacræ duplicem eſſe ſenſum , litteralem ſcilicet & myſticum .

Senſus litteralis is eſt , quem verba primò , & immediatè ſignificant. Sic Deut. cap. 25. habetur non ligandum eſſe os bovis terentis in areâ fruges.

Senſus verò myſticus is eſt , qui mediatè ſolùm per verba , vel etiam mediantibus quibuſdam rebus per verba ſignificatis indicatur , ut cùm ex textu mox citato infertur denegandam non eſſe Operariis mercedem .

Obſervandum 2. ſenſum myſticum triplicem diſtingui , nempe allegoricum , tropologicum , ſeu moralem , & anagogicum .

Senſus allegoricus dicitur , cùm res geſtæ in veteri Lege accipiuntur ut figura eorum , quæ adimplenda erant in Lege novâ .

Senſus verò tropologicus is eſt , qui mores ſub figuris ſpectat dirigendos . Sen-

Senſus demum anagogicus, dum ſub rebus geſtis adumbrantur res ſperandæ.

Datur item & ſenſus accomodatitius, cùm ſcilicet ea, quæ ſive ſenſu naturali, ſive myſtico de aliquo dicta ſunt, alteri accommodantur, ut cùm hæc de Noè dicta Eccl. cap. 44. *Inventus eſt juſtus, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio*, Eccleſia Confeſſoribus accommodat.

Ne tamen aliquis abutatur ſenſu accommodatitio, extat Concilij Tridentini decretum, illudque graviſſimum, contra eos, qui Scripturæ verba ad res profanas traducunt.

## De Genesi.

Auctor Lexici Philoſophici iſta Geneſcos verba *in principio creavit Deus Cœlum & Terram*, ſic cenſoriè vertit: *in principio creaverunt Dij Cœlum & Terram*. Ratio ipſi eſt, quia vox *Elohim* ſignificat *Deos* & non *Deum*, utpote in plurali numero poſita.

Verùm hujuſmodi verſio probat Criticum linguæ Hebraicæ prorſùs eſſe imperitum. Equidem vox *Elohim* pluralis eſt numeri, quia in ſingulari dicitur *Eloah*; ſed Hebræi honoris causâ ſolent res magnas, ſicut & magnates compellare in numero plurali. Hoc ita certum eſt, ut in omnibus veteris Teſtamenti locis, in quibus Deus dicitur unicus, ſolus &c. ſemper reperiatur vox *Elohim*. Imò Deus ipſe legitur voce eâdem uſus, cùm Moyſi dixit: *conſtitui te Deum Pharaonis*.

Æquè imperitum ſe criticus oſtendit, cùm aſſerit Judæos immortalitatis Animæ dogma à Babilonijs accepiſſe. Nam Judæorum majores Chaldæi nati Syriam habitarunt, Arabiæ & Phœniciæ vicini fuere

& an-

& annis ducentis in Ægypto manſerunt. Fatetur porrò Criticus dogma iſtud notum fuiſſe Chaldæis, Perſis, Syriis, Phœniciis, Ægyptiis, Arabibus, Cretenſibus. Quâ igitur ratione ductus aſſerit Judæos à Babiloniis immortalitatis Animæ dogma accepiſſe, non autem à Chaldæis, vel Syriis, aut Ægyptiis, aut Arabibus?

Hebræi ab ipſo Moyſe dogma iſtud acceperant: *Deus creavit hominem ad imaginem ſuam*, ſcripſit ſacer hiſtoricus ille. Non creavit ſanè Deus ad imaginem ſuam quoad corpus, cùm Deus ſpiritus ſit, iſque puriſſimus; ergo quoad animam; ergo cùm Deus immortalis ſit, immortalis & hominis eſt Anima.

Audiat hìc Volterius Clericum, quem eximiis laudum præconiis extollit. Deiſta ille ſenſerat quidem olim animas non eſſe corporibus ſuperſtites; ſed rem ſubinde diligenter conſiderans dixit: *ex hac hiſtoria* ( *Saülis* ) *manifeſtum fit Hebræos vulgò credidiſſe poſt corporum mortem animas hominum ſupereſſe; neque enim potuit Saul optare ſibi animam Samuelis, niſi ſuperſtitem eſſe crederet. Idem colligere licet ex loco Moyſis, ubi vetat conſuli mortuos.*

Criticus idem ad iſta Geneſeos verba: *in quocumque die comederis ex eo, morte morieris* Gen. 2. ait: *Adam ex eo comedit, nec tamen die eadem mortuus eſt*. Verùm, ſi, ut jam obſervavimus, linguæ Hebraicæ eſſet peritus, ſciret utique Hebraiſmum ibi latere, idemque ſignificare, ac: *in pœnam inobedientiæ tuæ die eadem morti ſubjectus eris*. Dixerat etiam Salomon Semei: quocumque die egreſſus ieris huc & illuc, ſcito te eſſe moriturum. III. Reg. 2. Egreſſus eſt Semei, nec tamen die eâdem à Banajâ occiſus fuit.

Scriptor idem ſuper hæc Abrahami verba Gen. 12. *die*

12. *dic ergo, obſecro te, quod Soror mea ſis*, eò impudentiæ progreſſus eſt, ut de Patriarchâ illo ſcribere non erubuerit, eum venalem voluiſſe Saræ venuſtatem, turpiſſimi mercatûs ſpe ductum. At perverſum ſcriptoris animum facit manifeſtum textus ipſe: *cùmque prope eſſet* (Abrahamus) *ut ingrederetur Ægyptum, dixit Saræ uxori ſuæ: novi, quod pulchra ſis mulier, & quod cùm viderint te Ægyptij dicturi ſint: uxor ipſius eſt, & interficient me.* Si corde recto, & non inſidioſo iſta enucleaſſet ſcriptor, non turpiſſimi mercatûs ſtudioſum incuſaſſet Abrahamum; ſed mortis declinandæ ſollicitum dixiſſet.

## De Exodo.

Auctor hiſtoriæ Philoſophicæ, ut veritatem hiſtoriæ à Moyſe contextæ infringat, ait, ſe haud intelligere poſſe, quî fieri potuerit, ut Pharao Iſraëlitas equitibus numeroſis inſecutus fuerit, cùm plagis duabus perierint in Ægypto equi omnes, Ægyptuſque tunc temporis fuerit maximè foſſis interciſa atque munita.

At cenſor ille integram legat relationem. Intelliget profectò plagâ primâ non omnes Ægypti equos periiſſe, cùm multi perierint etiam plagâ ſecundâ, nec tamen omnes, ſed ſolùm qui foris erant: *homines, & jumenta, & univerſa, quæ inventa fuerunt foris, nec congregata de agris, cecideritque ſuper ea grando, morientur*. Exod. 9. Inſuper ſacer Textus fert quidem *cum omni equitatu*, at minimè cum equitatu numeroſo.

Quantùm ad Ægypti incilia, criticus nulla profert momenta. Referente Diodoro Siculo lib. 1. elapſis

pſis à Moyſe quingentis annis, Seſoſtris Ægypti ſceptra tenens tunc ſolùm incilibus, ſeu canalibus munivit Ægyptum, ut hoſtibus in poſterum omnes intercluderet incurſiones.

Cenſor idem opere, cui titulus: *Dieu & les hommes*, referens iſta Moyſis verba: *Hoc autem dabit omnis qui tranſit ad nomen, dimidium ſicli, juxta menſuram Templi*. Exod. 30. 13. ait: tunc temporis nulla adhuc erant Templa; ergo fraus hic inſignis.

Verùm Cenſor etiam inſigniter impudens. Si enim cor ejus eſſet rectum, intelligeret ſanè per *Templum* in textu allato innui Sanctuarium. Verba præcedentia id indicant, & ſequentia confirmant. *Caſiæ autem quingentos Siclos in pondere Sanctuarii*. Ibid. ℣. 24. Nec aliter etiam intellexere Interpretes.

## De Levitico.

Scriptor memoratus Judæos accuſat tamquam immolati ſanguinis humani reos, atque idcirco eos appellat execrandos & abominabiles. (1)

Quid de Scriptore illo ſentiant Judæi, noſtrum non eſt inveſtigare. Interim fatendum Judæos ingreſſos regiones extranearum nationum, earum ritus & Sacrificia fuiſſe imitatos: *commiſti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & ſervierunt ſculptilibus eorum: & factum eſt illis in ſcandalum, & immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas Dæmoniis*. Pſalm. 105.



(1) *Philoſophie de l' hiſtoire.*
*Dictionnaire Philoſophique.*
*Premiers & ſeconds melanges.*

At falſum prorſus eſt Judæos fideles ſanguinem humanum immolaſſe Altiſſimo in Sacrificium, ut calumnians aſſerit Scriptor; *cave ne imiteris eas* (gentes) *poſtquam te fuerint introeunte ſubverſæ, & requiras cæremonias harum . . . omnes enim abominationes, quas averſatur Dominus fecerunt, offerentes filios & filias*. Deuter. 12.

An exprobrationes illæ indicant Judæos fideles filios & filias immolaſſe Altiſſimo, eumque talibus Sacrificiis delectatum fuiſſe?

Equidem dixit Altiſſimus Abrahamo: *tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Iſaac, & vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in holocauſtum*. Gen. 22. At fidei Abrahæ mera fuit probatio, non victimæ cruenta exactio. *Deus tentavit Abraham*.

Verùm, inquit Scriptor, evidens eſt Jephte ſpiritu Domini repletum immolaſſe Domino filiam ſuam, & ab Apoſtolo laudatum fuiſſe, ac inter Samuelem & Davidem collocatum.

Verùm etiam Scriptor nunquam demonſtrabit factum fuiſſe ſpiritum Domini ſuper Jephte, ut immolaret filiam ſuam, ſed ut debellaret filios Ammon: *Factus eſt ergo ſuper Jephte ſpiritus Domini, & circuiens Galaad, & Manaſſe, Maſpha quoque Galaad, & inde tranſiens ad Filios Ammon*. Judic. 11.

Igitur ſi Jephte ſuam reverâ immolavit filiam, non à Deo inſpiratus tale obtulit Sacrificium, ſed inconſideratus, & victoriæ nimiùm cupidus; neque etiam aliter ſentiunt qui putant Jephte reverâ ſuam immolaſſe filiam.

Diximus, ſi reverâ Jephte ſuam immolavit filiam, nam plures Interpretes, & quidem probabiliùs, tenent Jephte non filiæ vitam, ſed virginita-

tem

tem devoviſſe; quod non obſcurè indicat Textus ſacer: *Cùmque abiiſſet* ( filia ) *cum ſodalibus ſuis, flebat virginitatem ſuam, expletiſque duobus menſibus reverſa eſt ad patrem ſuum, & fecit ei ſicut voverat quæ ignorabat virum*. Judic. 11.

Quod ut clariùs pateat obſervandum in Levitico triplex diſtingui votum, nempe votum ſimplex, quod dicitur *Neder*, votum peculiare & voluntarium, quod vocatur *Cherem*, & votum pœnale, quod dicitur etiam *Cherem*; ſed pœnale à poteſtate publicâ fit, & vocatur etiam anathematis votum.

Quæ voto ſimplici, ſeu *Neder* Deo dicabantur redimi poterant: *Sin autem qui voverat voluerit redimere, dabit quintam partem æſtimationis*. Levit. 27.

Quæ Domino conſecrabantur perſonali voto *Cherem*, redimi non poterant, etiamſi fuiſſent homines, quia hæc ſanctiſſima erant Domino: *ſive fuerit homo ſive animal, ſive ager, non vendetur, nec redimi poterit*. Levit. 27.

Itaque ſi erat ager in Sanctuarii uſum tranſibat & miniſtrorum ejus; ſi animal immundum, pretium ejus in Sanctuarii utilitatem referebatur; ſi verò mundum, Domino immolabatur; ſi demum homo, non immolabatur, quia Deus talia prohibuerat Sacrificia; *Cave ne imiteris eas* ( gentes ) *poſtquam te fuerint introeunte ſubverſæ... non facies ſimiliter Domino Deo tuo; omnes enim abominationes, quas averſatur Dominus, fecerunt Diis ſuis, offerentes filios & filias, & comburentes igni*. Deuter. 12.

Homo igitur ſic Domino conſecratus Sanctuario, Sanctuariique miniſtris perpetuò tamquam civiliter mortuus deſerviebat: *Quidquid ſemel fuerit conſecratum, Sanctum Sanctorum erit Domino*. Levit. 27.

Talis porro fuiſſe probabiliùs videtur Jephte fi-

liæ conſecratio; hæc quippe de patrio voto certior facta illud habuit ratum: *Fac mihi quodcumque pollicitus es . . . & non cognoſcebat virum*. Judic. 11.

Quæ demum voto pœnali *Cherem* ab auctoritate publicâ devovebantur, non Sacrificii erant materia, ſed juſtitiæ vindicis objecta punienda: *Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab Altari meo evellas eum, ut moriatur*. Exod. 21. Sic Samuel juſſu Dei ad Agag: *Sicut fecit abſque liberis mulieres gladius tuus; ſic abſque liberis erit inter mulieres mater tua*, & in fruſta concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis 1. Reg. 15. Quare *Cherem* iſtud dictum etiam fuit *Chorma* & Anathema. Omne igitur *Cherem* denuntiabat hominis mortem ſive civilem ſolùm, ſive realem: *Omnis conſecratio* ( per *Cherem* ſcilicet ) *quæ offertur ab homine, non redimetur, ſed morte morietur*, nempe morte civili, ſi occidere non liceat. Ita Judaici Doctores, Volterio ſanè in his peritiores.

Quantùm ad ea, quæ addit Scriptor, Jephte ſcilicet ab Apoſtolo laudatum, ac inter Samuelem & Davidem collocatum fuiſſe, potuit quidem Apoſtolus ob actiones aliunde laudabiles Jephte laudare, nec idcirco votum ejus probare; imò Abrahami referens Apoſtolus Sacrificium, de hoc prorſus ſilet.

## DE NUMERIS.

Inter Criticos, de quibus hìc, Marshamus Anglus excogitavit ſerpentium ignitorum, de quibus Cap. 21. morſus minimè fuiſſe venenatos, Moyſenque nonniſi ludificandi cauſâ, donec ſcilicet Iſraelitæ à morſibus ſanarentur, ſerpentem feciſſe æneum.

Verùm quia Marshamo non deficiunt commenta,

ta , ſed probationes & argumenta , ſacra audiat eloquia , ut diſcat fabulator rectè ſapere : *Quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes , ad quorum plagas , & mortes plurimorum venerunt ad Moyſen , atque dixerunt : peccavimus , quia locuti ſumus contra Dominum , & te* . Num. 21. *Neque tentemus Chriſtum ; ſicut quidam tentaverunt , & à Serpentibus perierunt* . 1. ad Cor. Cap. 10. Serpentium ergo morſus venenati erant & mortiferi . *Et erit in deriſum etiam ipſe* . Iſai. 48.

Scriptor idem in cap. 31. ait credibile non eſſe triginta duo filiarum millia fuiſſe in Madianitarum caſtris reperta , cùm regio ipſa ne ultra quidem óćto leucas in longum & latum pateat .

Sed inſcitiæ ſuæ argumentum hìc etiam profert Volterius . Falſum enim eſt prorſus triginta & duo filiarum millia fuiſſe in Madianitarum caſtris reperta . Textus ſacer refert Hebræos , partâ vitoriâ , excurſione regionem vaſtaſſe , & ad Moyſen adduxiſſe tot milla ſive filiarum , ſive pecorum : *Cumque pugnaſſent contra Madianitas , atque viciſſent , omnes mares occiderunt , & Reges eorum Evi , & Recem , & Sur , & Hur , & Rebe , quinque Principes gentis . . . . quidquid habere poterant depopulati ſunt . . . . & tulerunt prædam , & univerſa , quæ cæperant tam ex hominibus quàm ex jumentis , & adduxerunt ad Moyſen* .

Scriptor igitur iſta nonniſi improbè , inſidioſèque ſcripſit , ut ſcilicet Moyſen , & Moyſis hiſtoriam ridiculam redderet . Quàm longè latèque pateret , tunc temporis Madianitarum regio , ſilet Textus ſacer ; Evi nihilominus , & Recem , & Sur , & Hur , & Rebe , totidem diverſi Principes indicant attendenti Volterianam perticam nimiùm curtam fuiſſe . Quorſum enim in parvulâ Regione tot Dominationes?

Volterius ſecum diſcors tractatu *de Tolerantia* regionem illam non ultra leucas octo patere, eamque montuoſam, petroſam fuiſſe & miſerrimam; in opere autem, cui titulus *Hiſtoriæ Philoſophia* dicit regionem eamdem non ultra novem leucas patuiſſe, Moyſenque tamquam ingratiſſimi animi hominem accuſat, quatenus Jethro ſummum Sacerdotem in Madian ſocerum ſimul & ſibi beneficum, unà cum Madianitis devoverit anathemati.

An regio Madianitarum ultra leucas octo patuerit, tacet Textus Sacer, ut jam obſervavimus; an verò non ultra leucas novem, ſilentium pariter in ſacris paginis.

Interim quam incolebat regionem Jethro ſummus Sacerdos (vox quippe *Cohen* ſignificat tum Sacerdotem, tum Principem) eadem vel una et eadem erat cum Madianitarum regione, vel diverſa. Si regio eadem; ergo Madianitarum regio ultra leucas octo, vel etiam novem longè latèque patebat.

Quam enim partem incolebat Jethro, ea vicina erat mari Rubro; quam verò incolebant Madianitæ, ea vicina erat mari Mortuo; itaque Jethro & Madianitæ ultra Leucas octo, vel etiam novem patuit tunc temporis. Præterea Jethro inter Principes occiſos minimè recenſetur.

Si verò regiones diverſæ erant prorſus ac diſtinctæ, quo caſu fortuito Sacerdos ſummus Jethro inter Madianitas repertus fuit, ac unà cum Madianitis à Moyſe anathemati devotùs? Hæret mutus hic Volterius.

Etiamſi porrò montuoſa, petroſa, atque exiguis incluſa terminis foret Madianitarum regio, non rectè concludit Volterius, eam haud potuiſſe ſufficiere tot alendis ſive hominibus, ſive pecoribus. Nonne Atticæ regio,

gio, etſi parvis circumſcripta terminis, & montuoſa atque petroſa, ut referunt hiſtorici; maximâ nihilominus populi multitudine celebris erat? Romanum ſub Servio territorium ne ultra quidem octo leucas patens, alebat ducenta hominum millia. Concinunt hâc in re tam calculatores, quàm hiſtoria. Conſulantur opera Equitis John.

Subdit Volterius Madianitarum regionem fuiſſe miſerrimam. An nullo in pretio habet Madianitarum cum exteris mercaturam? Prætereuntibus Madianitis venditus fuit Joſeph, & ab iiſdem negotiatoribus in Ægyptum ductus. Aurum, aureæ armillæ, annuli, dextralia, muraenulæ, pecorum copia, & hominum multitudo denotantne regionem fuiſſe miſerrimam? His tamen omnibus Madianitarum regio locuples erat.

Increduli iiſdem ſemper inſiſtentes veſtigiis contendunt nec concipi, nec demonſtrari poſſe, admiſſo univerſali diluvio, quomodo fieri potuerit, ut homines à quieſcentibus poſt diluvium aquis uſque ad Turris Babel ædificationem ita multiplicari potuerint, cùm à tribus ſolùm Noë filiis orti fuerint, ut terram repleverint, & regiones non ſolùm diverſas, ſed & Inſulas, eaſque maximè diſſitas incoluerint.

Verùm ſi increduli ad annos à diluvii ceſſatione elapſos animum intendiſſent, ſi ad *Phaleg* nativitatem, quo tempore legitur primò deſignata terræ partitio: ***nomen uni Phaleg, eo quòd in diebus ejus diviſa eſt terra***. Gen. 10. Si ad annos ſubinde elapſos uſque ad linguarum confuſionem, cùm ſcilicet homines ***diviſit Dominus ex illo loco in univerſas terras***. Gen. 11. neque enim diviſio hæc, prioris executio, cum eâ confundenda eſt, ut tamen putarunt aliqui; ſi ad omnia hæc animum appuliſſent increduli, non

paucos annos à fine diluvii uſque ad Turrim Babylonicam, ſed ultrà ducentos numeraſſent elapſos.

Obſervandum hic inſuper Cainan Arphaxad filii generationem in Hebræo omiſſam ſicut & in Vulgatâ, eam tamen inter cæteras generationes eſſe recenſendam, prout reverâ ſeptuaginta Interpretes eam in ſuâ recenſuere Chronologiâ, illiuſque meminit, S. Lucas Cap. 3. *Qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad.* Quare nemo miretur, ſi aliqui Patres textum ſecuti hebraicum generationis hujus mentionem non fecerint. Quod porrò hæc deſideretur in textu hebraico arbitrantur non pauci eruditiſſimi viri iſtud ſcribarum vitio eſſe tribuendum.

Haud abs re fuerit ſubtexere hic tamquam adminiculans factum quod ſequitur. Thomas Cornelius in ſuo Lexico Geographico ait ad verbum *Pinés*: cùm Claſſis quædam Anglica ex quatuor navibus conſtans prope Inſulam Madgaſcariam an. 1589. naufragium feciſſet. Pinès vector unà cum filiabus quatuor in Inſulam, quæ ex ſuo nomine appellata fuit Pinea, appuliſſet, eamque reperiſſet prorſus vacuam hominibus, pecore, & feris; inibi filias quatuor eaſdem ſibi tamquam ſponſas copulavit, ex quibus continuatâ ſobolis generatione, ita incolarum numerus auctus eſt, ut an. 1668. ad duodena excreverint millia. Factum retulerunt nautæ Batavi & Belgii ad memoratam appulſi Inſulam, idemque refert Dominus Peyoo Benedictinus Hiſpanus, & D. La Martiniere in ſuâ Introductione ad Hiſtoriam Aſiæ &c. Tom. 2. Amſtel. 1735. pag. 100.

Si ad omnia hæc Increduli mentem defixiſſent, objectionem ſuam ſanè haud venditaſſent ut Achillæam, imò imitati fortaſſe Hiſtoriæ univerſalis auctores Britannos, qui geometricè probarunt Jacobi fami-

miliæ multiplicationem ſacris in paginis commemoratam fuiſſe poſſibilem, geometricè & ipſi demonſtraſſent tantam hominum multitudinem ab egreſſu Arcæ uſque ad Babelicæ Turris conſtructionem exiſtere potuiſſe, ac ſubinde temporis etiam decurſu non longo varias conſtituere potuiſſe Dynaſtias.

## De Deuteronomio.

Lexici Philoſophici auctor aſſerit hæc Dei promiſſa Iſraëlitis facta: *A deſerto & Libano, & à flumine magno Euphrate, uſque ad mare occidentale erunt termini veſtri*. Deuter. 11. vana prorſus fuiſſe, cùm minimè fuerint adimpleta.

Verùm dolus in corde cogitantium mala. Nam ſi auctor ille mente eſſet rectâ, animadvertiſſet promiſſa divina conditionatè Iſraëlitis facta fuiſſe: *Si ergo obedieritis mandatis meis, & quæ ego hodie præcipio vobis, ut diligatis Dominum veſtrum, & ſervieritis ei in toto corde, & in tota anima veſtra.... benedictionem ſi obedieritis, maledictionem ſi non obedieritis*. Ibid.

Criticus ille, qui tot tantaque contumelioſa in Iſraëlitas evomuit, juſtam modò ſententiam pronuntiet, & judicet, an Iſraëlitarum pars, & quidem major libans Diis alienis, & ædificans excelſa, an gentium extranearum cæremonias imitata; an Dæmoniis immolans filios & filias mandatis obediverit, & Dominum Deum in toto corde, & in totâ animâ dilexerit?

Neque tamen ſemper iratus Dominus. Attendat enim Criticus, quod Moab Davidi factus fuerit obediens; ſimiliter Syria, univerſaque Idumæa. 2. Reg. Cap. 18. Salomonis autem Iſraël univerſus,

Ben-

Benhur in monte Ephraim ; & omnis terra Ægypti &c. 3. Reg. 4.

## DE JOSUE.

Volterius intelligere non poteſt cur juſſu Dei opus fuerit ad hoc ut Iſraëlitæ Jordanis flumen trajicerent, cúm vadolum ſit, nec pontem etiam ligneum dedignetur.

Dolendum ſanè Philoſophum iſtum Iſraëlitam tunc non fuiſſe, aut ſaltem non adfuiſſe. Nam hæc omnia Joſue ducem edocens, Deum à patrando miraculo exemiſſet. O Philoſophiam inſolenter arrogantem!

Qui uno verbo Cœlum & Terram de nihilo eduxit, qui mare Rubrum exſiccavit, ut per arenas tranſirent Iſraëlitæ, is quoque fecit, ut Jordanis aquæ converterentur retrorſum. Quo autem tempore? Advertat Criticus. *Jordanus autem rivas alvei ſui tempore meſſis impleverat; ſteterunt aquæ deſcendentes in loco ſuo, & ad inſtar montis intumeſcentes apparebant procul.... quæ autem inferiores erant, in mare ſolitudinis .... deſcenderunt*. Joſue 3.

An ſic exundans Jordanis vadoſus erat? An pontem ligneum non dedignans? enarret Volterius, ſed caveat ruinam.

Interim qui imperavit, ut Jordanis ſtarent aquæ, is dixerat Joſue: *Hodie incipiam exaltare te coram omni Iſrael, ut ſciant quòd ſicut cum Moyſe fui, ita & tecum ſim*. Ibid.

Is Iſraëlitis dixerat: *Ut diſcant omnes Terrarum populi fortiſſimam Domini manum, ut vos timeatis Dominum Deum veſtrum omni tempore*. Joſue 4.

DE.

## DE JUDICUM LIBRO.

Deiſtæ hiſtoriam de Vulpibus à Samſone captis ad meram revocant fabulam.

At varios inter viatores, qui Judæam luſtrarunt audiatur Moriſon. *Si* ( inquit viator ille Itinerarii pag. 537. *Critici increduli ſcirent, ſicut compertum habeo Philiſtiim maxima vulpium multitudine affluere, haud ulteriùs in incredulitate ſubridentes inquirerent quomodo, & quo in loco Samſon tot vulpes potuerit reperire.*

Inſuper Philiſtini dominabantur Iſraëlitis tanquam inimici.

Samſon ſuſcitatus à Deo in favorem Iſraëlitarum uxorem duxerat, diſpenſante Cœlo, de mulieribus Philiſtæorum, illicò quidem renuentibus Patre & Matre, quia *neſciebant, quod res à Deo fieret*. Abſente Samſone, ſocer ejus uxorem tradit alteri. Reverſus Samſon, atque hinc valde iratus, in vindictam ſegetes Philiſtæorum facto memorato ſuccendit.

His omnibus ponderatis; doctiores Interpretes tenent Dominum Deum, qui creatis cunctis animantibus adduxit ea ad Adam, quippe flante vento ex ſuo imperio coturnices detulit in caſtra Iſraëlitarum, vulpes etiam in Samſonis caſſes poteſtate eâdem impuliſſe in ultionem quoque divinam.

Et verò Philoſophi, quibuſcum hîc agimus, ab Atheiſmo ſe profitentur alienos, atque Ens agnoſcunt ſupremum; ergo & omnipotens agnoſcant neceſſe eſt, quoad ea ſcilicet, quæ poſſibilia ſunt, nec involvunt ex parte Dei repugnantiam: alioquin enim Ens non foret perfectiſſimum, nec proinde Deus verus. Demonſtrent modò factum Samſonis poſſibile haud fuiſ-

fuiſſe, atque ex parte Dei repugnantiam involviſſe. An quia factum iſtud philoſophicis eorum oculis impoſſibile videtur, idcirco ad meram fabulam revocandum erit?

## De Libro Regum Primo.

Quærunt hic Increduli quomodo fieri potuerit, ut David aſſumeret gladium gigantis Goliath, cùm eſſet ponderis immenſi?

At mirum videtur præſumptos litteratos illos ignorare omne armorum genus anteactis non multis ſeculis permagno fuiſſe pondere. Nonne Davidicum brachium leonem, & urſum interfecerat? Si Saülis veſtimenta militaria, galeam æream nempe & loricam depoſuit, non depoſuit ex eo quod vires deficerent, ſed quia *uſum non habebat*. Cùm autem, dixit ad Achimelech Sacerdotem, petens haſtam, aut gladium: *Non eſt huic* (gladio Goliath) *alter ſimilis, da mihi eum*, ætate adhuc validior erat.

## De Libro Regum Secundo.

Philoſophi recentiores nihil reprehenſione dignum reperiunt in Davidicâ populi dinumeratione; cur ergo, inquiunt, in Davidem animadvertit Deus?

Dinumeratio equidem talis in ſe conſiderata haud digna fuit reprehenſione; aſt dinumeratio talis ſolius vanitatis causâ facta, in oculis Domini criminoſa fuit.

David pace fruebatur, fidelis ei omnis parebat populus: *Omnes ſervi tui ſunt*. Paral. 1. Cap. 21. Davidis hoſtes devicti, ac confuſione confuſi arcus porrexerant. Joab Davidi ſubmiſsè dixerat: *Quare hoc quærit Dominus meus, quod in peccatum reputetur Iſrae-*

*Iſraeli? Sed ſermo Regis magis prævaluit. Satan.... concitavit David, ut numeraret Iſrael.* Ibid.

## DE LIBRO REGUM TERTIO.

Critici quidem contendunt per vocem hebraicam *hhorebin* corvos non eſſe intelligendos, ſed vel Arabes, vel habitatores urbis Arab, aut mercatores.

Verùm ineptè. Nam Deus ipſe habitationem in torrente, ſeu juxta torrentem Arith aſſignaverat Eliæ, ut ſic à furore Achab tutus eſſet. An porrò ſic Arabibus, vel habitatoribus Arab, vel mercatoribus expoſitus, tutus fuiſſet? 3. Reg. cap. 18.

## DE LIBRO REGUM QUARTO.

Increduli ratione hujuſce facti Cap. 2. relati, nempe: *Aſcendit autem* ( Eliſæus ) *in Bethel, cumque aſcenderet per viam, pueri parvi egreſſi ſunt de Civitate, & illudebant ei, dicentes: aſcende calve, aſcende calve. qui cùm reſpexiſſet vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini: egreſſique ſunt duo urſi de ſaltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos;* Increduli, inquam, non erubeſcunt Deum ipſum crudelitatis inſimulare. At ſi animadvertiſſent vocem *puer*, quæ vulgò ſignificat puerum ætatis decurrentis à ſeptimo ad quartum & decimum uſque annum, variis tamen in Scripturæ locis ſignificare etiam puerum grandioris ætatis, ut cùm Gen. 41. Joſephus dicitur Puer Hebræus, licet annos natus viginti quinque ad minus; Joſue verò Exod. 23. etiam puer, licèt jam Moyſis Miniſter, fortaſſe manus ori ſuo admoviſſent. Interim pueri illi fuerint ætate minores, fuerint parvi, ſaltem qui lacerati fuere, doli erant

capa-

capaces: iſtud demonſtrat punitio, quia juſtus Dominus; neque etiam omnes perierunt, ſed ex eis quadraginta duo, quia fortaſſe cæteri inſontes ex defectu rationis ſufficientis.

## De Paralipomenis Libro.

Scriptor Philoſophicæ hiſtoriæ aſſerit ante hiſtoriam Tobiæ altum de Angelis eſſe in Scripturis ſilentium, Judæoſque ab Ægyptiis mutuatos eſſe nomen *Jehovah* juxta eruditorum ſententiam.

Verùm primò aſſerit ante hiſtoriam Tobiæ de Angelis altum eſſe in Scripturis ſilentium; aſſerit, ſed imperitè. Nam Gen. 18. tres Angeli referuntur ab Abrahamo excepti hoſpitio. Exod. verò 23. dicitur: *Ecce ego mittam Angelum meum*; ita etiam in omnibus Regum Libris, atque hic Paralip. Lib. 2. *Miſit Dominus Angelum ſuum, qui percuſſit* &c. Cap. 32.

Verùm ſecundò non minùs imperitè ſcriptor ille aſſerit Judæos ab Ægyptiis accepiſſe nomen *Jehovah*. Nonne Gen. cap. 18. habetur: apparuit *Jehovah ei* (Abrahamo) *in convalle Mambre?* &c. Inſuper nomen Dei apud Ægyptios eſt *Toud*. Quare cùm Moyſes dixit Pharaoni: hæc dixit *Jehovah*, Pharao reſpondit: *quis eſt* Jehovah, *ut audiam vocem ejus?* Exod. 5.

Quantùm ad eruditos, quorum aſſerit hanc eſse ſententiam, reticet illorum nomina, ne procul dubio videatur ab ipſis omnia fere ſua mutuatus perverſa dogmata, ac fortaſſe deprehendatur ea excripſiſse ex operibus Baylii Juræi, Wolaſtanii, Bolingbrokii, Colini, Tindallii, Schaftesburii &c. Interim à ſe ipſo diſsentit, & à ſuppoſitis ipſis eru-

di-

ditis. Nam modò aſserit Judæos nomen *Jehovah* accepiſse ab Ægyptiis, modò à Phoeniciis, modò demum à Syriis, apud quos tamen nomen Dei eſt *Aloha*.

## De Libro Esdræ.

Increduli, ut probent Eſdram novos præcisè Scripturæ libros confeciſse, citant hunc textum ex Lib. 4. Reg. Cap. 14. *quoniam lex tua incenſa eſt*, in incendio ſcilicèt Hieroſolymitano. Addunt S. Hieronymi auctoritatem aſserentis, Eſdram litteras, & characteres mutaſse.

Aſt jam obſervavimus Librum illum apocryphum eſse, & proinde nullius eſse auctoritatis & ponderis. Equidem ſacrorum Codicum accuratiorem confecit Eſdras editionem, ſparſos codices colligendo, & quaſi in unum corpus redigendo, imò, ut reverà tradit D. Hieronymus, relinquendo Samaritanis antiquos characteres, & novos adhibendo hebraicos; ſed inde minimè ſequitur omnes ſacræ Scripturæ Libros incendio Hieroſolymitano concrematos fuiſse, & ab Eſdrâ penitùs reſtauratos. Nam quis indicavit Incredulis omnes ſacræ Scripturæ codices fuiſse Hieroſolymis?

Sanè Eſdras Scripturæ exemplar præ manibus habebat cùm conſcribebat, quod invictè patet ex libris Judæorum Eſdra antiquioribus: neque etiam Samaritani unquam exprobrarunt Judæis, licèt eiſdem infenſiſſimi, Eſdram Scripturæ eſse præcisè reſtauratorem, eamque penitùs incendio periiſse Hieroſolymitano.

Auctor Synopſis hiſtoricæ Teſtamenti veteris ad hæc Capitis primi verba: *Cùmque implerentur dies con-*

*convivii*, *invitavit omnem populum*, *qui inventus eſt in Suſan à maximo uſque ad minimum*, *& juſſit ſeptem diebus convivium præparari in veſtibulo horti*, *& nemoris*, *quod regio cultu*, *& manu conſitum erat*, Auctor, inquam, ille haud intelligere poteſt veſtibulum illud tantam hominum multitudinem continere valuiſſe.

Verùm Aſſuerus qui, *ut oſtenderet divitias regni ſui*, *& magnitudinem*, *atque jactantiam potentiæ ſuæ*, *multo tempore*, *centum videlicet & octoginta diebus*, dubio procul præviderat, an regium veſtibulum, & nemus continere poſſent invitatos. His addendum, ex ſacro Textu erui, convivium iſtud paratum pro omni populo, qui inventus eſt in Suſan, non referri adimpletum unâ die, ſed hebdomadis unius ſpatio, ac proinde convivas potuiſſe dividi in Claſſes ac turmas diverſas ſibi ſuccedentes pro quâlibet hebdomadis die. Si plura deſiderat Auctor, legat Athenæi Libros 4. & 6. In iis quippe refertur quoddam ſimile convivium.

## DE LIBRO JOB.

Deus, inquiunt hìc Increduli, alloquens Job. ait: *Quando derelinquit* (Struthio) *ova ſua in terra tu forſitan in pulvere calefacies ea*? Cap. 39. & Cap. 40.: *An extrahere poteris Leviathan hamo*, *& fune ligabis linguam ejus*? Ova porrò non derelinquit Struthio, ſed iis incubat, & fovet; Leviathan autem non capitur hamo, & proinde ſermo divinus à veritate, ſecundùm ipſos, alienus eſt.

Verùm Increduli nolunt hìc benè intelligere, ut benè ſentiant. Deus mirabilia potentiæ ſuæ enarrat Jobo, quærens arguendo, an ſimilia præſtare

va-

valeat, an virtutem ſoli elargiri poſſit ad calefacienda Struthionis ova, quemadmodum ipſe facit (quando ea Struthio derelinquit in pulvere, & obliviſcitur) ne pes ea conculcet, aut beſtiæ agri conterant: ubi obſervandum, quod Deus non dicit Struthionem ſemper, ac etiam tempore noctis derelinquere ova ſua in pulvere, & ſemper ſe Solis calore ea calefacere, quod nihilominus hic perſuadere meditantur increduli, ſed ſolùm quando Struthio ea derelinquit; ſic quoque Providentia ſua & Struthionis natos nutrit, cùm Struthio eorum obliviſcitur.

Quoad Textum alterum, Deus pariter Jobum arguens quærit ab ipſo, non an piſcatu capi poſſint Balænæ, ſed an hamatâ arundine captare valeat Cete, quemadmodum capiuntur plerumque piſces. Capiant ſic Cete increduli, virtutem calefaciendi ova Struthionis in pulvere derelicta tribuant Soli, & tunc probabunt ſermonem divinum à veritate alienum eſſe; alioquin fateantur ſe ſtultè locutos fuiſſe. Summâ animi demiſſione ſacras litteras venerentur.

## De Libro Psalmorum.

Increduli ad hæc Davidis verba pſal. 131. *ſicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob* &c. dicunt Prophetam Regium juraſſe, ac voviſſe id, quod fieri non poterat.

Sed ſi animus ipſis eſſet loquendi vera, intelligerent Davidis tam vehementia Tabernaculi Deo ædificandi fuiſſe deſideria, ut ea etiam juramento, & voto firmaverit; imo iiſdem impulſus deſideriis, ac inflammatus dixerit: *ſi dedero ſomnum oculis meis*, .. *& requiem temporibus meis, donec inveniam locum*

*Domino*, *tabernaculum Deo Jacob*, quæ verba ſcilicet *ſi dedero ſomnum oculis meis*, *& requiem temporibus meis*, hyperbolicè accepta, ſicut in pluribus aliis Scripturæ locis, vehementiora exprimunt Davidis deſideria: nec verò hyperboles uſurpatio cæteris in linguis rara, ac infrequens eſt.

## DE PROVERBIORUM SEU PARABOLARUM LIBRO.

Religio, inquit hic incredulus quidam, (1) ita humanitati diſſentanea eſt, ut ſepties in die cadat etiam juſtus contra Deum.

At cujus infidelitatis ſit reus incredulus, dijudicet lector ex contextu: *ſepties enim cadet juſtus*, *& reſurget*: *impij autem corruent in malum*. Prov. cap. 24. An ibi juſtus dicitur cadere ſepties in die? Sed non ſemper per caſus intelligenda ſunt peccata, ſed ſæpe, ac ſæpius incommoda, afflictiones, miſeriæ & anguſtiæ, quibus juſti non raró preſſi, tandem à Deo liberantur. *Ipſe vulnerat*, *& medetur*, *percutit*, *& manus ejus ſanabunt*: *in ſex tribulationibus liberabit te*, *& in ſeptima non tanget te malum*. Job. cap. 5.

Id ipſum indicant Prov. cap. 24. hæc verba: *Ne inſidieris*, *& quæras impietatem in domo Juſti*... *ſepties enim cadet & reſurget*.

## DE LIBRO SAPIENTIÆ.

Auctor Lexici Philoſophici, quem aut ſeipſum errore duci, aut alios in errorem inducere parùm pudet, aſſerit Librum Sapientiæ videri Pentateucho antiquiorem, quia, inquit, auctor hujus Libri refert Abrahamum diluvij tempore Filium ſuum voluiſſe immolare. Ve-

(1) *Nouvelles Libertés des penſées*.

Verùm, ut veritatem agnoſcat, audiat hìc ipſum, quem citat, auctorem Sapientiæ cap. 10. *Hæc illum, qui primus formatus eſt à Deo, Pater Orbis terrarum, cùm ſolus eſſet creatus cuſtodivit, & eduxit illum à delicto ſuo, & dedit illi virtutem continendi omnia. Ab hac ut receſſit injuſtus in ira ſua, per iram homicidij fraterni deperiit, propter quem cùm aqua deleret terram, ſanavit iterum ſapientia, per contemptibile lignum Juſtum gubernans. Hæc eſt in conſenſu nequitiæ, cùm ſe nationes contuliſſent, ſcivit Juſtum, & conſervavit ſine querela Deo, & in filij miſericordia fortem cuſtodivit.*

An in his omnibus, ſicut & in cæteris verſibus vel minima de Abrahami ſacrificio habetur mentio? Volterius ſtylo ſuo, tamquam lenocinio, lectores allicit & circumvenit, deinde venenum propinat.

## De Isaia.

Volterius gravia maximè & Religionem ſpectantia in jocum vertere aſſuetus, Iſaiam exhibet per vicos & plateas Jeruſalem nudum penitùs incedentem, miraturque à judiciariâ poteſtate non fuiſſe reprehenſum.

Verùm ſcriptor ille, qui ut plurímùm non propria, ſed excerpta ab aliis ſui ſimilibus auctoribus, ſtylo ſuo venenata reddit, in textu legendo nullam ſanè operam adhibuit. Ut veritas eluceſcat, audiatur textus: *vade, & ſolve ſaccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit ſic, vadens nudus & diſcalceatus. Et dixit Dominus: ſicut ambulavit ſervus meus Iſaias nudus & diſcalceatus .... ſic minabit Rex Aſſyriorum captivitatem Aegypti.* Cap. 20.

Demoſtret nunc fraudibus & mendaciis circum-

venientium ductus Scriptor ille, Iſaiam prorſus veſtimentis nudatum, per vicos & plateas Jeruſalem ambulaſſe. Sine ſacculo equidem, & ſine calceamentis ambulavit; at non ſine omni prorſus veſtimento. Mirentur hìc ſanè omnes ſapientes, atque amatores veritatis Religioniſque, nondum in Volterium ejuſque duces, aſſeclas & ſequaces judiciariam ſæviiſſe poteſtatem.

## De Jeremia.

Volterius volens, ut ipſe ait, erudire inſcios in typis, in allegoriis & parabolis in oriente vigentibus, ſubridens, ac Religioni illudens Jeremiam exhibet dorſo clitellas ferentem, ſicque duram captivitatem Judæis repræſentantem, atque annuntiantem.

At Volterius, qui profana inter & ſancta nullum diſcrimen admittit, nunquam demonſtrabit jugum, de quo in allato textu fit mentio, ſignificare clitellas. Equidem tamquam typos duræ captivitatis geſſit Jeremias juſſu divino ſupra collum ſuum vincula, catenas, & jugum, non verò clitellas ſupra dorſum.

## De Ezechiele.

Quomodo Prophetæ, inquiunt hìc increduli, dici poſſunt à Deo miſſi, cùm eorum nonnulli ſermonibus ſuis pudicas offendant aures? Legatur Ezechiel cap. 23. &c.

Dolendum ſanè Prophetarum quoſdam, recentiorum Philoſophorum ſermonibus ſuis offendiſſe aures. Philoſophos illos, vitâ, moribus, ne excluſis quidem auribus, maximè pudicos eſſe probant nefanda illorum opera. Pro-

Prophetæ ſive ſermonibus tunc convenientibus & uſitatis, ſive typicis elocutionibus idoneis exprobrarunt ſcelera populis, nec ultrices pœnas tacuerunt, ut ab Idololatriâ cæteriſque vitiis eos avocarent, & deterrerent: *quaſi tuba exalta vocem tuam & annuntia populo meo ſcelera eorum*. Iſai. 58. *Ponam zelum meum in te, quem exercent tecum in furore .... ebrietate, & dolore repleberis, calice mæroris, & triſtitiæ, calice ſororis tuæ Samariæ*. Ezech. Cap. 23.

Recentiores Philoſophi, ut regnum effrenatarum adſtruant cupiditatum, ut omnia præter Dei cultum reddant tutè licita ſermonibus blandis, ſcriptiſque impiis & obſcenis ad omnem corruptelam, ad omnia alliciunt, pertrahuntque vitia: *corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt*. Pſal. 13.

## DE JONA.

Philoſophi recentiores obijciunt hîc, Jonam non potuiſſe deglutiri à Ceto, cujus guttur non ſatis eſt latum; nec etiam eijci in terram, cùm Cetus prægrandis ad terram propiùs accedere nequeat.

Sed notandum hîc eſt, textum hebraicum ſignificare tantùm Piſcem magnum *Dag gaddol*; quare non pauci auctores per piſcem iſtum intelligunt Lamiam, cujus guttur maximè latum, & quamquam ſit bellua monſtroſa, ad terram tamen accedit; ſicque evaneſcit difficultas.

Verùm concedamus piſcem illum fuiſſe Cetum. Obiicientes Philoſophi non ſunt profectò Athei, quo poſito, Deum ſanè admittunt omnipotentem, alioquin non foret Deus. Porro ſive eum dicant otioſum, cujus oculis virtus & vitium idem omnino

ſint , ſive eum admittant virtutis remuneratorem , & vitij vindicem , fateantur neceſſe eſt manum illam omnipotentem , quæ in ventre Ceti vivum tutata eſt Prophetam , & Ceti ita valuiſſe aperire guttur , ut Prophetam eumdem illæſum deglutiret , ac ita ad terram accedere , ut ejiceret eum in ſiccum , prout fert textus hebraicus .

## DE MALACHIA.

Auctor Lexici Philoſophici ait ſubſannans . Ars Prophetica , ars ſanè miſera erat ; deſpectui habiti fuerunt Prophetæ , perſecutionem paſſi , ſecti , & morti etiam quandoque addicti .

Equidem Prophetæ perſecutiones paſſi ſunt , at non tamquam impij & nefariis operibus dediti . Prophetæ Idololatriam , ſcelera , & morum depravationem populis & Regibus exprobrabant , damnabantque , minas intentabant , atque dicebant : *in die illa dicit Dominus exercituum , diſperdam nomina Idolorum de Terra , & non memorabuntur ultrà , & Pſeudo-Prophetas , & Spiritum immundum auferam de Terra* . Zach. 13.

Vates Domini ad pœnitentiam invitabant ; quod firmum erat ſolidabant , quod ægrotum erat ſanare nitebantur , quod confractum erat in priſtinum reducere curabant : à falſis Prophetis , & hominibus perverſorum dogmatum opinione imbutis avertebant ; idcirco ars eorum miſera ; idcirco ſubſannantes audiuntur adhuc hodie recentiores Philoſophi voce quaſi unâ & eâdem cum antiquis impijs : *circumveniamus Juſtum , quoniam inutilis eſt nobis , & contrarius eſt operibus noſtris* . Sap. cap. 2.

DE

## De Machabæis.

Putant Increduli exaggeratam, & ad hyperbolem detorquent narrationem hanc lib. 1. cap. 6. *Elephanti triginta duo, docti ad prælium .... aſtiterunt ſingulis Elephantis mille viri.*

Verùm imperitè, ſive doloſè. Interim ne teratur hic tempus inutiliter, fraudibuſque finem faciant adverſarij, inter facta hiſtorica legant Plinium lib. 8. ubi de Iulio Cæſare ſic loquitur: *pugnavere & Cæſari dictatori tertio Conſulatu ejus viginti Elephantes contra pedites quinquagenos, itidemque totidem turriti cum ſexagenis propugnatoribus eodem, quo priores, numero, & pari equitum ex adverſo dimicante.* Cenſoriâ virgulâ Plinium, & plures alios hiſtoricos notent.

FINIS.

# PARS TERTIA

## *De Lege Evangelica.*

M*ultifariam multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio.* ad Hebræ. 1.

*In hoc apparuit Charitas Dei in nobis, quoniam Filium ſuum Unigenitum miſit Deus in mundum, ut vivamus per eum.* 1. *Joan.* 4.

*Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Joan. 1.

*Et conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ.* ad Hebræ. 5.

Lex evangelica variis donatur nominibus. Dicitur Lex nova, quia per gratiam hominem renovat, victimaque habetur nova à Deo data, & mandatum novum.

Vocatur Lex Fidei, Lex Spiritûs & Vitæ, Lex Gratiæ, *Lex per Moyſen data eſt, Gratia & Veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.* Joan. 1.

Dicitur libertatis: *non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ, qua libertate Chriſtus nos liberavit* ad Gal. 4.

Vocatur Teſtamentum novum; adveniente enim Chriſto, vetus tranſiit, & facta ſunt omnia nova: *dicendo novum veteravit prius: quod antiquatur, & ſeneſcit, prope interitum eſt.* ad Hebr. 8.

Et verò quæ vates Domini cecineruut, ſive de Arcâ fœderis oblivioni tradendâ à novis Paſtoribus juxta Cor Dei: *dabo vobis Paſtores juxta cor meum . . . non dicent ultra: Arca Teſtamenti Domini.* Jerem.

30. Si-

30. Sive de Sanctuario diſſipando, & deſolatione uſque ad conſummationem duratura, Sacerdotioque deſituro in familiâ Aaron & Levi: *Civitatem & Sanctuarium diſſipabit populus cum Duce venturo .... & uſque ad conſummationem perſeverabit deſolatio*. Daniel. 9. *Et aſſumam ex eis* (gentibus) *in Sacerdotes, & Levitas*. Iſai. 66. Sive de Sacrificiis Judaicis à Deo deinceps reſpuendis, quemadmodum & feſtivitatibus abijciendis: *holocautomata non ſunt accepta*. Jerem. 6. *Sacrificium fruſtra*. Iſai. 1. *Munus non ſuſcipiam de manu veſtra; ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum magnum nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*. Malach. 1. *Odi, & projeci feſtivitates veſtras*. Amos 5.

Iſthæc porrò omnia intelligenda non ſunt de renovatione Legis Moſaicæ, factâ poſt captivitatem ſub Nehemiâ, ut perperàm interpretantur Rabbini quidam; ſed intelligi debent de novo Fœdere prorſus diverſo ab eo, quod Deus pepigerat cum Moyſe, alioquin pactum iſtud non fuiſſet novum, cùm renovatio facta ſub Nehemiâ non fuerit renovatio Legis diverſæ à Moſaicâ Lege, quæ in æternum erat duratura, duratura ſcilicet, quandiu duratura erat Judæorum Reſpublica; voces enim *in æternum, in ſempiternum* in veteri Teſtamento, & in Prophetis non ſemper ſignificant æternitatem propriè dictam, ſed ſæpè durationem longam ſolùm, ut cùm colles dicuntur æterni; atque ideo Joſephus per vocem hebraicam *Olam*, quæ prædictis reſpondet vocibus, intelligendum dicit tempus indefinitum, aliquando longum, aliquando breve. His addendum, Legem Moſaicam dici etiam potuiſſe in æternum duraturam & ad eam gentes quoque vocandas eſſe, ratione ſcilicèt

cet præceptorum moralium, quorum à mundi exordio viguit obligatio, viget etiamnum, & ſemper vigebit; at non ita de præceptis ſive cæremonialibus, ſive judicariis ſolos Judæos ſpectantibus, prout invictè patet ex textibus ſuprà relatis, quibus præcepta hæc deſitura aſſeruntur.

Enimverò ex oraculis Prophetarum perſpicuè demonſtratur, novum fœdus cum omnibus gentibus eſſe ineundum, & inſtituendum miniſterio Mediatoris Meſſiæ. Mediatorem autem jamdiu adveniſſe non minùs perſpicuè conſtat. Judæi liberatorem Meſſiam ſemper expectarunt, *qui loquetur pacem gentibus, & poteſtas ejus à mari uſque ad mare*. Zachar. 9. Sed non modò errarunt, & errant, exiſtimantes illum præpotentis inſtar eſſe venturum reſtituendæ procumbentis Reipublicæ, ac Orbis totius debellandi causâ, ſed & putantes hujuſce Mediatoris adventum quoad tempus & circumſtantias minimè revelatum fuiſſe, Deumque arcanum iſtud ſibi reſervaſſe. Ne autem oculi aperiantur, & videant recentiores Judæi, de causâ deſperatâ ſermonem inferre timentes, ſub graviſſimâ poenâ ſanciunt, ne quis adventûs Meſſiæ tempus & periodos computare præſumat. Talm. cod. 11.

Meſſias venturus denuntiatur, ſed ut Agnus, ut Salvator, ut Lux mundi. *Emitte Agnum Domine, dominatorem Terræ*. Iſai. 26. *Clamabunt enim ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Salvatorem*. Ibid. 19. *Legem ejus Inſulæ expectabunt .... dedi te in fœdus populi, & in lucem gentium*. Ibid. 42. *Exulta ſatis Filia Sion, jubila Filia Jeruſalem: ecce Rex tuus veniet tibi; juſtus & Salvator ipſe, pauper, & aſcendens ſuper Aſinam, & ſuper pullum filium Aſinæ ... & loquetur pacem in gentibus*. Zachar. 9.

SE-

# SECTIO I.

## *De Veritate Incarnationis*

SEU

## AN INCARNATIONIS MYSTERIUM IN CHRISTO FUERIT ADIMPLETUM.

DUM adverſus Iudæos Chriſtum Meſſiam jam diu advenifſe demonſtrandum ſit, ac adimpleta eſſe de futuro Meſſiæ adventu Prophetarum oracula, obſervandum 1. Oraculum Iacobi annuntiantis Filiis ſuis, quæ ipſis temporibus noviſſimis eventura erant & Iudam ſic alloquentis: *non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Gen. 49. ita verſum fuiſſe in Vulgatâ; in textu autem hebræo legi: *non recedet virga, vel ſceptrum de Juda, & Legislator de inter pedes ejus, uſquequò veniat qui mittendus eſt, vel pacificus, vel Filius ejus .... & ei erit obedientia, ſive congregatio populorum.*

In Samaritano autem textu: *non auferetur virga, vel ſceptrum de Juda, & dux de vexillis ejus, donec veniat pacificus, & ad ipſum congregabuntur populi.*

In ſeptuaginta Interpretibus: *non deficiet Princeps Juda, & dux de femoribus ejus, donec veniat quæ repoſita, vel quæ reſervata ſunt ei*, ideſt, donec veniat, cui repoſitum eſt ſceptrum.

In paraphraſi Onkelli Iudæi Chaldaicâ, primo Eccleſiæ ſeculo editâ: *non auferetur habens principatum*

*tum à Domo Juda, neque ſcriba à filiis filiorum ejus uſque in ſeculum, donec veniat Meſſias, cujus eſt regnum, & ei obedient populi.*

Concinunt verſiones omnes ſive Syriaca, ſive Perſica &c. & textus in ſenſum eundem conſpirant omnes.

Obſervandum 2. mentem noſtram non eſſe hic inquirere, an in Jacobi vaticinio per ſceptrum intelligenda ſit tantum monarchica, an verò quælibet alia, etiam ſuprema Reipublicæ adminiſtrandæ poteſtas. Neque pariter inquirere volumus, an ſceptrum, ſeu ſuprema illa poteſtas ita Tribui Juda annexa propriaque fuerit, ut cæteras omnes excluderet Tribus; an verò Tribubus communis omnibus, ita ut ſolos excluderet alienigenas. Quidquid enim ſit de quæſtionibus illis plerumque à Theologis, variiſque eruditis agitari ſolitis, nos eas omnes in præſentiarum omittimus, dummodò invictè conſtet à gente Iſraelitica quamcumque Regiminis ablatam fuiſſe poteſtatem.

Neque etiam mens eſt terere tempus in confutandis variis Judæorum adinventionibus fabuliſque, quas cudunt, ut gens Iudaica videns non videat, nec convertatur, nec ſanetur. Quæ etenim jactant ſive Talmudici, ſcilicet temporibus ſuis in Babyloniâ ſuperſtites fuiſſe Principes, qui dominabantur Iſraëli, ſive Judæi chronica ſua an. 1124. tanquam Principum illorum Genealogiam referentia, ea omnia fabuloſa ſunt, commentitiumque prorſus Babylonicum iſtud imperium eſt.

Joſephus quidem refert decem Tribus trans Euphratem deportatas, in immenſam excreviſſe multitudinem; at ſilet præciſè de ſupremâ regiminis poteſtate. Imo Sulpitius Severus obſervat Judæos illos

bar-

barbaris fuiſſe ſuſpectos; & ipſi Rabbini fatentur præſumptum illud Regnum à Sultano Bagdadi fuiſſe confractum. & nunquam reparatum. Has autem, & quas alias ſimiles jam tunc Judæi fabulas jactabant, eas S. Epiphanius, & Origenes convellebant, ac irridebant, de hæres. Ebionit. & lib. 4. de princip. Si igitur aliquando penès Judæos aliqua Poteſtatis fuit vel umbra, ea fuit etiam utique precaria, atque hinc diverſa à Poteſtate ſupremâ. quam à Chriſto nato nunquam Babylone obtinuerunt, ſed juxta vel ipſoſmet Rabbinos graviſſima ibi mala perpeſſi ſunt. Annales igitur mox citati tanquam merè fabuloſi habendi ſunt.

Decipiuntur pariter, cùm inquiunt Regem potentiſſimum Choſarem verſùs mare Garganum unà cùm ſubjectis ſuis ad Religionem Judaicam tranſiiſſe; decem Tribus in deſertum Chabor olim translatas, ibi modò florentiſſimum occupare regnum; Benjamin Judæum inſignem, orbe peragrato, ſuos inviſendi causâ, teſtari ſuâ in hiſtoria Bagdadi etiamnum florere Judæorum Principem; Rabbi quoque Manaſſe in opere inſcripto: *Spes Iſraelis*, aſſerere, Judæos in Americâ Regium obtinere Principatum.

Eninverò hâc ætate permirum foret, ſi poſt tot mercatorum itinera per longinquas ac diverſas Mundi regiones peracta, ſi poſt tot viatorum peregrinationes, tanta hominum multitudo delituiſſet, ſi illa Judæorum florentia regna ad hanc uſque diem ignota fuiſſent. Nullum ſanè veſtigium conſpicitur nec in Abyſſiniâ, nec in Andibus, nec in Æthiopiâ, nec in Americâ &c. quoad ſomniata illa imperia: unum hinc pro certo exploratoqne habeatur, gentem ſcilicèt Judaicam quaquaverſum ita diſſipatam eſſe, ita con-

fuſas

fuſas eſſe Tribus, ita populum hunc alienis legibus parentem, ac omni Reipublicæ formâ deſtitutum, ut ſub Herode Herodis magni filio coactus fuerit fateri: *nobis non licet interficere quemquam. Non habemus Regem, niſi Cæſarem*. Joan. 18. & 19.

Triſti ſanè ſeptemdecim ſeculorum experientiâ vagus profugusſque populus ille aſpicit, & ſentit adimpletum Oſee vaticinium: *dies multos ſedebunt Filii Iſrael ſine Rege, & ſine Principe, & ſine Sacrificio. & ſine Altari, & ſine Ephod, & ſine Theraphim*,

## JACOBI ORACULUM.

*Non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium*. Gen. 49.

Hoc vaticinio promittitur Meſſias venturus, cùm ſceptrum, ſeu ſuprema poteſtas ex Judâ defecerit.

Judæis in ipsâ luce meridianâ tenebras quærentibus, in dubium venit hujuſce Oraculi veritas. Nituntur autem tribus potiſſimum vocibus, nempe, *Schebet*, ideſt Sceptrum, ſeu quælibet ſuprema poteſtas; *adki*, ideſt donec, ſeu uſquequo, & *Schiloh* ideſt Meſſias. 1. Quidam contendunt vocem *Schebet* Sacris in Scripturis plura ſignificare, eaque prorſus diverſa, inter quæ *tribulationis virgam*, ſeu *tribulationem*; unde, inquiunt, ſenſus Prophetiæ Jacobi is eſt. *Non auferetur tribulatio de Juda, donec veniat Meſſias*. Cùm porrò etiamnum miſerrimâ mœrentes premantur ſervitute, nondum proinde venit Meſſias.

2. Vox *adki* in vaticinio non ſignificat *donec*, ſed *in æternum*, ſed *perpetuò*; ſicque vaticinij ſenſus hic

hic eſt: *non recedet ſceptrum de domo Juda in æternum, ſeu perpetuò,* quia veniet Meſſias, qui ſceptrum reſtaurabit perpetuò duraturum.

3. Vox *Schiloh* Reges diverſos ſignificare poteſt, ut Moyſen à Deo reverà miſſum, ut liberaret à ſervitute Ægyptiacâ populum Iſraëliticum, vel Davidem; quo in caſu Prophetiæ ſenſus erit: non accedet ſceptrum ad Judam, donec veniat Judæ filius, nempe David; & ſic de cæteris Regibus.

Verùm quia hujuſmodi interpretationes à recentioribus Judæis inventæ repugnant prorſus veterum Judæorum interpretationibus, quas hâc in parte immeritò deſerunt recentiores illi; eas hîc iterum recenſere non erit abs re. In textu Hebræo legitur. *Non recedet virga, vel ſceptrum ex Juda, & Legislator de inter pedes ejus, uſquequò veniat qui mittendus eſt, vel pacificus, vel filius ejus; & erit obedientia, ſive congregatio populorum.*

In textu Samaritano. *Non auferetur virga, vel ſceptrum de Juda, & dux de vexillis ejus, donec veniat pacificus, & ad ipſum congregabuntur populi.*

Septuaginta Interpretes, & antiqui Judæi omnes ſic ſub Ptolomæo Ægypti Rege. *Non deficiet Princeps ex Juda, & dux de femoribus ejus, donec veniant quæ repoſita ſunt ei,* aut, ut alij vertunt, *donec veniat cui repoſitum eſt,* ſcilicet regnum pacificum, promiſſum à Deo, & Vaticiniis Prophetarum toties annuntiatum, quod non corrumpetur, & cujus poteſtas erit æterna.

In Syriacâ, & Arabicâ interpretatione habetur. *Non deficiet ſceptrum de Juda,* & interpres, *de inter pedes ejus, donec veniat is, cujus illud eſt,* nempe regnum, *& ipſum expectabunt gentes.*

Arabica verò. *Non præteribit virga de Juda,*

*& Le-*

*& Legiſlator de ſub imperio ejus, donec veniat is, cujus ipſe eſt, & ad quem congregabuntur populi.*

Rabbi Kimchi vertit. *Donec veniat Secundina* ideſt *Filius in Secundina contentus*. Quæ verba indicant Meſſiam de Matre abſque Patre naſciturum: *propter hoc*, inquit Iſaias, *dabit Dominus vobis ſignum. Ecce virgo concipiet.* 7. Propheta autem ſtupendum aliquid hìc prænuntiat, quod tamen minimè eſſet, ſi, ut perperàm textum detorquentes volunt Judæi, ſignificarent verba Prophetæ *ecce Puella concipiet*. Neque enim res eſt ſingularis, & ſtupenda, ſi Puella juncta viro concipiat, filiumque pariat.

Aquila Judæus factus ſic vertit Jacobi Oraculum. *Non exſurget ſceptrum à Juda, & Legiſlator ſive peritus doctor de inter pedes ejus, donec veniat cui repoſitum eſt, & ipſe erit congregatio populorum*. Ita ejus verſio in græco Idiomate.

Aquilæ concinit Theodotion Judaiſmum etiam amplexus, & verſione ſimili in græcum.

Accedunt Paraphraſtæ Judæi; ſcilicet Targum Onkeloſi Hieroſolymitanum, & Jonathanis. Targum Onkeloſi: *non auferetur Principatum à Domo Juda, neque Scriba à filiis filiorum ejus uſque in ſeculum, donec veniat Meſſias, cujus eſt regnum, & ei obedient populi*.

Quis non videt omnes iſtas verſiones apertiſſimè demonſtrare, & probare per voces *Schebet*, *adki*, *& Schiloh* reverà intelligi ſceptrum, ſeu ſupremam poteſtatem, ſenſumque omnium verſionum iſtarum, quantùm ad ſubſtantiam, hunc reverà eſſe: *non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium*, ac proinde Meſſiam jamdudum advenisse?

Et verò in ſolo Meſſià *benedicendæ* erant *omnes* na-

*nationes terræ*. Gen. 18. Solus Meſſias venturus erat *deſideratus cunctis gentibus*. Mich. 4. Solus *Dei Filius*: *Dominus dixit ad me*: *Filius meus es tu*; *ego hodie genui te*. Pſal. 2.

Abſurda igitur eſt, & fictitia prorſus Judæorum interpretatio, cùm ajunt *Schiloh* in Jacobi vaticinio referri ad urbem Schiloh in Tribu Ephraim; neque interpretatio hæc ſive Jacobi verbis, ſive hiſtoricæ veritati convenire ullo modo poteſt, ut attendenti invictè patet. Plura alia prætermittimus à Judæis objecta, utpote ita levia & abſurda, ut referri non mereántur.

Obſervandum præterea, non omnia Scripturæ veteris teſtimonia Chriſtum ſpectantia aut ab ipſo Chriſto, aut ab Apoſtolis fuiſſe laudata, quia ſatis erat Judæos remittere ad Scripturas ſcrutandas *ſcrutamini Scripturas*, dicebat illis Chriſtus; *illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me*. Joan. 5.

Obſervandum denique quaſdam promiſſiones divinas fuiſſe ſub conditione factas, ut cum 3. Reg. 9. dicitur: *tu quoque*, *ſi ambulaveris coram me*; at iſtud dici non poſſe de Jacobi vaticinio. Nullibi quippè ex Scripturis ſacris colligi poteſt Prophetiæ hujus eventum fuiſſe quadam conditione ſuſpenſum. Quare haud rectè quidam deducunt ex ejuſdem Prophetiæ cap. 49. his verbis: *benedictiones patris tui confortatæ ſunt benedictionibus patrum ejus*, *donec veniret deſiderium collium æternorum*, ſeu Meſſias.

Nam licèt Interpretes aliqui per deſiderium collium æternorum intellexerint Meſſiam, non tamen textûs hebraici is eſt ſenſus; nam ſic fert: *benedictiones patris tui prævaluerunt ſuper benedictiones genitorum meorum uſque ad deſiderium Collium*, ideſt: benedictiones tuæ tot ac tantæ erunt, ut iis etiam

ſatiari valeant *deſideria* ipſorum Terræ Principum; colles enim in Scripturis ſæpe deſignant Terræ Optimates; neque etiam vox *venire* reperitur ſive in textu, ſive in aliis verſionibus.

Septuaginta Interpretes ſic textum reddunt: *benedictio tua prævaluit ſuper benedictiones montium ſtabilium, & in benedictionibus collium æternorum.* Onkeloſi targum: *benedictiones patris tui addentur ſuper benedictiones . . . . quas optaverint qui à ſeculo fuerunt*. Convenit verſio Arabica.

Meſſiam à Iacobo prænuntiatum certò certiùs adveniſſe confirmat quoque Danielis Prophetia.

## DANIELIS VATICINIUM.

Cùm Daniel ſub finem captivitatis Babylonicæ, fuſis ad Deum precibus ſupplex expoſtularet populi à duriſſimâ captivitate liberationem, exauditus tandem fuit, & Gabrielis à Deo directi miniſterio cognovit non ſolùm liberationis à Babylonicâ captivitate tempus, ſed etiam tempus adventûs Meſſiæ venturi ad liberandum populum à captivitate ſpirituali Dæmonis, notatis ferè ſingulis circumſtantiis ſive adventûs, ſive paſſionis, & mortis Meſſiæ ejuſdem. Hæc ſunt vaticinii verba cap. 9.

*Ego veni*, inquit Archangelus, *ut indicarem tibi, quia vir deſideriorum es. Tu ergo animadverte ſermonem, & intellige viſionem. Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper Urbem ſanctam tuam, ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio & Prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, & animadverte. Ab exitu ſermo-*

*nis*

*nis ut iterum ædificetur Jeruſalem uſque ad Chriſtum ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt, & rursùm ædificabitur platea & muri in anguſtia temporum, & poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus; & non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt, & Civitatem, & Sanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo; & finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: & in medio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium, & erit in Templo abominatio deſolationis, & uſque ad conſummationem, & finem perſeverabit deſolatio.*

Obſervandum 1. Textum juxta Vulgatam hic exſcribi, vocemque *nechtach abbreviatæ ſunt* ab interpretibus quibuſdam verti per voces *conciſæ ſunt*; ab aliis verò *diviſæ ſunt*, vel etiam *definitæ ſunt*, quæ verſiones idem prorsùs ſignificant.

In textu autem hebraico obſervandum itidem pro verbis iſtis *ungatur ſanctus ſanctorum* legi, *ungatur ſanctitas ſanctitatum*; pro iſtis verò *ut iterum ædificetur Jeruſalem*, legi, *ad reverti faciendum, & ædificandam Jeruſalem*; pro iſtis autem *rurſum ædificabitur platea & muri in anguſtia temporum*, legi, *redibit, & ædificabitur*; pro his verò *occidetur Chriſtus; & non erit ejus populus, qui eum negaturus*, legi, *excindetur Chriſtus*: cæteræ autem voces ſignificare etiam poſſunt *non ſibi, ſed propter aliorum utilitatem exſcindetur*, vel tandem, *& non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt*. Hinc immeritò Vulgata legitur a quibuſdam reprehenſa, cùm hebrææ voces reverâ idem ſignificent ac verba Vulgatæ.

Obſervandum 2. quamquam Chriſtianos inter aliqui fortaſſis Prophetiam Danielis de Meſſiâ non intellexerint, ac proinde tamquam temerarij haben-

di ſint ; cùm tamen Patres aliqui videntur quibuſdam in circumſtantiis, hìc explanandis, hærere, aut non convenire, cavendum, ne vel de temeritatis umbra ſuſpecti habeantur. Verbis enim dilucidis Propetiam Danielis de Chriſto intelligendam eſſe, & in Chriſto adimpletam fuiſſe docuerunt ac demonſtrarunt, ponderatis omnibus Vaticinij verbis, ac unà cum eventu còmparatis.

Obſervandum 3. hebdomadas, de quibus hìc Daniel, ſive hebdomades illæ fuerint dierum tantum ſive annorum à ſolutà captivitate, jamdudum effluxiſſe. Quælibet enim hebdomada ſeptem continebat dies, vel annos ſeptem. Calculo autem facto hebdomades illæ omnes continebant, ſi dierum, dies 490. Si annorum, annos 490. Porro ab anno poſt ſolutam captivitatem Babylonicam centeſimo, quo ſanè tardiùs collocari nequit Templi & Urbis Hieroſolymitanæ inſtauratio, non ſolùm dies aut anni 490. ſed ultra duo millia effluxerunt ;ac proinde Meſſias à Daniele prænuntiatus jam pridem advenit.

Et verò Daniel ad ſolatium & ſpem populi Iſraelitici iſta juſſu divino prænuntiavit : quid porrò ſolatij percipere Judæi potuiſſent ſi vates locutus fuiſſet de hebdomadibus conſtituentibus vel decades vel centurias annorum, ut ſomniarunt Rabbini quidam? qui etſi Danielis vaticinium detorquere conati fuerint, fatentur tamen hebdomadas illas temporibus ultimi excidij Hieroſolymitani ſub Tito finem attigiſſe. Nec mirum, prout jam fuit obſervatum, ſi ſub imprecatione eàque graviſſimà vetarint ne quis Meſſiæ adventûs tempus, & periodos computare auderet : *rumpantur oſſa eorum, qui periodos temporum computant*. Cod. Sanhedr.

Danielis vaticinium de ſolo Meſſiâ, ſeu Chri-

ſto

ſto venturo intelligendum abſolutè eſt, cùm ei ſoli aptari, ei ſoli convenire poſſint characteres, circumſtantiæque omnes in Vaticinio notatæ.

Nam Meſſias prænuntiatus à Daniele venturus per excellentiam, & ſine addito dicitur *Chriſtus*, *Dux*, *ſeu Princeps*, *Sanctus Sanctorum*, peccatum expiaturus; dicitur *Juſtitia ſempiterna*, *auctor fœderis novi*, ſub quo vetera ſacrificia ſunt abroganda, quo occiſo, Civitas Jeruſalem & Sanctuarium ſunt diſſipanda, eritque in templo deſolationis abominatio uſque ad finem duratura, & Prophetarum ceſſatura tunc Oracula.

Ecquis porrò ille niſi ſolus Meſſias? Is quippe ſolus dici poteſt, ac dicitur ſimpliciter, abſolutè, & ſine addito *unctus*, poſt ſeptuaginta *Hebdomades occidendus*: nulli verò ex Principibus in Scripturis conceſſum legitur tale attributum niſi cum addito; ſic Cyrus dicitur quidem *Chriſtus*, at cum addito: *hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro*. Iſai. 45.

Dicitur ille unctus, & poſt ſeptuaginta hebdomadas occidendus; ubi Daniel tam diſertè deſignat hebdomadas illas, ac ſecernit quidquid intra illarum periodos eventurum eſt, nempe intra ſeptem hebdomadarum ſpatium Civitatem ædificandam, poſt hebdomadas verò ſexaginta duas venturum eſſe Meſſiam & occidendum, tandem in dimidio hebdomadæ ultimæ ſacrificiis & hoſtiis finem eſſe imponendum; ut mirum videatur, Iudæos quoſdam excogitaſſe Danielem non determinaſſe adventùs Meſſiæ tempus, ſed indeterminatè locutum fuiſſe.

Mirandum pariter, quoſdam contortè hìc aſſerere in Danielis vaticinio non agi de Meſſiâ, ſed de Templo Hieroſolymitano; quod ut probent hebdomadas in partes dividunt duas: pars prior conti-

net decem priores hebdomadas, quæ inchoantur ab excidio Templi à Nabuchodonoſore peracto, & finem habent in Iſtauratione Templi facta à Zorobabele, annuente Dario Hyſtaſpis filio; poſterior verò hebdomadarum pars inchoatur ab illâ inſtauratione; & terminatur in ſecundo excidio per Titum peracto.

Quaſi verò hebdomades illæ ab Archangelo inducerentur & notarentur, non ad dimetiendum tempus adventûs Meſſiæ, & mortis pro mundi totius ſalute, ſed ad Templi durationem.

Nec minùs infeliciter dicunt alij quidam, in primâ hebdomadarum parte agi de Meſſiâ Iudæis promiſſo, nempe de Cyro, in ſecundâ verò de Rege Agrippâ juniore, qui, elapſis poſt Cyrum duabus & ſexaginta cæteris hebdomadibus, occidendus erat. Mera hæc ſunt figmenta. Nunquam enim demonſtrabunt delirantes illi in Danielis vaticinio agi de Chriſto duplici. Vaticinij pars ſecunda cohæret cum primâ, illiuſque ſenſum ſuſpenſum abſolvit: de Meſſiâ eodem in utrâque parte agitur, cùm particula *ergo* connectat conſequentia cum antecedentibus: *Scito ergo, & animadverte*.

Neque eſt quod dicant Chriſtianos ipſos circa hebdomadas eaſdem non convenire inter ſe. Etenim licèt vates manifeſtum præcisè non faciat annum exitûs ſermonis, ut iterum ædificetur Ieruſalem, ideſt annum, quo Artaxerſes Longimanus Perſarum Rex Iudæis edicto ſuo poteſtatem fecit inſtaurandæ urbis, duplexque legatur hujuſmodi edictum, alterum ſcilicet latum anno Regni ejuſdem Regis ſeptimo, Eſdr. 1. cap. 7. alterum verò regni ejuſdem quoque vigeſimo, Eſdr. 2. cap. 2. mirum non eſt ſi eruditi inter Chriſtianos varient, nec ſtatuant à quo alterutrius ſermonis exitu inchoandæ ſint Danie-

lis

lis hebdomadæ. At certum eſt eruditos illos uno ore convenire, Danielis vaticinium de uno, eoque ſolo Meſſiâ eſſe intelligendum, hebdomadaſque à Prophetâ præfixas jamdudum elapſas eſſe, ac proinde jamdudum reverâ adveniſſe Meſſiam.

Meſſias à Daniele prænuntiatus dicitur. *Dux*, *ſeu Princeps*: *exulta ſatis, Filia Sion, jubila, Filia Jeruſalem, ecce Rex tuus veniet tibi juſtus, & Salvator*. Zachar. 9. *Vocabitur nomen ejus Admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſeculi, Princeps pacis*. Iſai. 9.

Dicitur ſanctus ſanctorum, dicitur peccatum deleturus, juſtitiam ſempiternam adducturus, Prophetiæ finem facturus, novi foederis auctór: *ut deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio & Prophetia*. Dan. 9. *Ecce dies, dicit Dominus, & feriam Iſrael, & domui Juda fœdus novum, non ſecundum pactum, quod pepigi cum Patribus eorum*. Jerem. cap. 31. *Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium*. Iſai. 42. Cap. verò 60. *ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui*.

Dicitur Meſſias naſciturus ex Virgine, & in Urbe Bethleem: *ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*. Iſai. 7. *quod eſt interpretatum nobiſcum Deus*. Matt. 1. *& tu Bethleem Ephrata... ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael, & egreſſus ejus ab initio à diebus æternitatis*. Mich. 5. Sciſcitanti autem Herodi, ubi Chriſtus naſceretur, reſponderunt Judæi: *in Bethleem Juda; ſic enim ſcriptum eſt per Prophetam*. Matth. 2. Imo Judæi ipſi ita confidebant Meſſiam tunc temporis eſſe venturum, ut à Joanne incipiente ſacras conciones habere ſciſcitati fuerint, an foret ipſe Chriſtus. Joan. 1.

Dicitur quoque Meſſias venturus tempore nobiliſſimorum quatuor orbis imperiorum, nempe Aſſyriorum, Perſarum, Macedonum, & Romanorum: *in diebus autem Regnorum illorum ſuſcitabit Deus Cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur*. Dan. 2. quod vates explanat cap. 7.

Dicitur denique Meſſias occidendus; eo autem occiſo prænuntiantur Civitas & Sanctuarium diſſipanda, hoſtia & ſacrificium defectura, abominatio deſolationis in Templo, eaque uſque ad conſummationem & finem duratura; demum non futurum populum ejus, qui eum negaturus eſt. Dan. 9.

Negabitne iſta jam ab elapſis ſeptuaginta præfatis hebdomadibus adimpleta fuiſſe gens Judaica, gens quæ morte turpiſſimâ ſuum affecit Salvatorem, gens quæ in tanti ſceleris pœnam, Templo deſolato, ubique errat diſperſa, inviſa, ſine patriâ, ſine Templo vero, ſine Sacerdote, confuſis Tribubus, & ſine Principe? *Et Civitatem & Sanctuarium diſſipabit populus cum Duce venturo, & finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio.... & erit in Templo abominatio deſolationis; & uſque ad conſummationem & finem perſeverabit deſolatio*.

Rabbini cæci, & duces cæcorum, ac in commentis toti fingunt per Chriſtum, de quo Daniel, intelligendum eſſe modò Cyrum, modò Agrippam Juniorem, modò Jeſum Joſedek, modò Nehemiam, vel Zorobabelem.

Verum quàm putida hæc ſint, facilè patet. Chriſtus, de quo Daniel, venturus erat ſolùm poſt ſexaginta novem hebdomadas, & poſt inſtauratam Civitatem Jeruſalem; Cyrus porrò necdum inchoatis hebdomadibus e vitâ deceſſerat.

Agrippa nunquam à Daniele dictus fuit Chriſtus ne-

neque ſimpliciter, neque cum addito; nunquam datus fuit à Deo in fœdus populi, in lucem gentium, ut Meſſias, falsòque aſſeritur eum in excidio Hieroſolymitano fuiſſe occiſum, cùm fuerit Veſpaſiano amiciſſimè conjunctus: ita Joſephus ipſe lib. 2. de bello Judaico.

Neque etiam Nehemias dici ullo modò poteſt Meſſias à Daniele prænuntiatus. Non enim fuit ſanctus ſanctorum, nec juſtitia ſempiterna, nec fœderis novi auctor, nec egreſſus ejus à diebus æternitatis, vixitque diu ante hebdomadarum vel ipſum initium.

Neque pariter Jeſu Joſedek adaptari poſſunt characteres omnes Meſſiæ proprij, & à Daniele expreſſi. Fuit quidem ille veri Meſſiæ in quibuſdam typus, ſed minimè Meſſias, de quo Propheta. Joſedek ſacerdos ille natus non erat eâ ipsâ periodo à Daniele aſſignata. Joſedek ſicut & Zorobabel ejus collega diu ante hebdomadarum initium vixerunt; neque etiam illorum ætate defecerant hoſtia & ſacrificium.

Judæus quidam recentior, dictus Iſaac Orobio contendit, ſub conditione dumtaxat futuræ Judæorum pœnitentiæ promiſſum fuiſſe Meſſiam intra ſpatium ſeptuaginta hebdomadarum.

At quàm contortum ſit hoc effugium, patet ex ipsâ Vaticinij Danielis continuatâ ſerie: inibi quippe nullum eſt appoſitæ conditionis de futurâ Judæorum pœnitentiâ veſtigium.

Judæi nonnulli per hebdomadas à Daniele prædictas dicunt Olympiadum, vel etiam Jubilæorum intelligendas eſſe hebdomadas: ſed abyſſus hic abyſſum invocat.

Etenim Judæi non ſolebant per Olympiadas computare tempus. Uſus ille ſolùm uſurpatus legitur in

Græ-

Græciâ occaſione ludorum Olympicorum, qui quarto quoque anno celebrabantur. Judæi juxta ſcripturam ſacram duobus modis hebdomadam ſumebant, nempe pro ſeptem diebus, prout ſumitur levit. 23. *Sex diebus facietis opus, & die ſeptimo* &c. & pro ſeptem annis, ut ibid. cap. 25. *numerabitis quoque ſeptem hebdomades annorum*, ideſt ſepties ſeptem.

Neque etiam hebdomades erant Jubilæorum, qui quinquageſimo quoque anno tantùm excurrebant.

Et quidem abſurdum videtur hebdomadas illas dici ſive Olympiadum, ſive Jubilæorum hebdomadas. Nam mens Danielis erat, ut populum ſolaretur afflictum, atque in ſpem futuræ brevi liberationis, adveniente Meſſiâ, erigeret. Frigidum porrò fuiſſet ſolatium, cujus complementum nonniſi poſt annos mille nongentos ſeptuaginta & ultra, quos efficiunt hebdomades Olimpiadum, aut poſt annorum quatuor millia, cum quingentis & ultra, quem numerum conficiunt Jubilæorum hebdomades, expectandum fuiſſet.

Inſuper vates figit futurum Meſſiæ adventum ante Templi, & Urbis ruinam; & calamitatem Judæorum tamquam cauſam refundit in Chriſti mortem, cujus ipſi facti ſunt rei.

Neque porrò hebdomades illæ fuere dierum. Nam ſpatium iſtud 490. dierum breve nimis fuiſſet tanto implendo myſterio: & reverâ intervallo illo nihil contigit eorum, quæ à Prophetâ prænuntiata fuere; nòn capta Civitas, non attritus populus, nec Chriſtus occiſus &c. ergo hebdomades fuerunt annorum, cùm ſoleant ſcripturæ ubi de hebdomadis dierum agitur, diſtinctè dies illos enumerare.

Obſervandum hìc 1. momentum, & quidem peculiare probans Meſſiam adveniſſe, & ejus divinam

miſ-

miſſionem, deſumi etiam ex comparatione miraculorum Chriſti unà cum Moyſis miraculis. Judæi enim divinam Moyſis miſſionem comprobant ex miraculis ejus, quæ nos ultro fatemur. Chriſtus porrò Moyſis miraculis longe majora edidit miracula, quibus inſpectis ipſorum Judæorum perplures attoniti dixerunt: *Chriſtus cùm venerit numquid plura ſigna faciet, quam quæ hic facit?* Joan 3. *multi crediderunt in nomine ejus, videntes ſigna ejus, quæ faciebat.* Joan. 2. *Nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.* Ibid. 3.

Et reverâ non ſolùm Deus erat cum Chriſto, ſed etiam Chriſtus erat Deus. Moyſes juſſu divino, aut precibus ad Deum fuſis miracula fecit; Chriſtus verò propriâ virtute ſuâ operatus eſt miracula; imò, quod non potuit Moyſes, Chriſtus aliis etiam poteſtatem hanc communicavit: *ego & Pater unum ſumus* Jo. 10. Chriſtus unico verbo morbos ſanavit cujuſvis generis, cæco nato viſum largitus eſt, mutis loquelam, ſurdis auditum, claudis greſſum, mortuis vitam; leproſos mundavit, paralyticos ſanos fecit, Lazaro mortuo, & jam fœtenti in ſepulchro dixit: *veni foras*, tempeſtates ſedavit, ambulavit ſuper aquas, eas quoque vertit in vinum; poteſtatem ſuam exercuit in mare, in ventos, in dæmones, quin & in mortem ipſam; quin & poteſtatem eamdem aliis communicavit: *infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eijcite.* Matth. 10. Quòd ſi Chriſtus miraculis aliquando preces præmiſit, iſtud evenit, quia homo etiam erat: ut homo oravit, & nos docuit orare. Eò igitur Judæi adigantur neceſſe eſt, ut vel Chriſtum Meſſiam verum agnoſcant, vel Moyſen recuſent. Dicentne fortaſſis hæc omnia pura eſſe commenta? Verùm ſi quis perditus idem de

Moy-

Moyſis miraculis effutire præſumeret, quod reponerent ipſi, & nos quoque hic reponimus. Certa & indubitata hinc & inde ſunt miracula, niſi jure eodem fides deneganda ſit omnibus ſcriptis, ſcriptoribus, ac hiſtoriæ cuicunque.

Obſervandum 2. Luculentiſſimum Joſephi inter hebræos celeberrimi teſtimonium de Chriſto ſic ſe habere lib. antiquit. 18. cap. 4. *Fuit autem hoc tempore Jeſus vir ſapiens, ſi tamen virum illum oportet dicere: erat enim mirabilium operum effector, magiſter hominum, qui vera libenter amplectuntur; & plurimos quidem ex Judæis, plurimos etiam ex gentibus ad ſe pertraxit. Hic erat Chriſtus; cumque eum à primoribus gentis ſuæ accuſatum Pilatus ad Crucem damnaſſet, ab eo diligendo non abſtinuerunt qui primùm cæperant. Nam poſt tertiùm diem redivivus ipſe apparuit, cùm divini vates hæc, aliaque quàm plurima admiranda de eo prædixiſſent; neque ad hanc diem defecit denominatum ab eo Chriſtianorum genus &c.*

Inſigne hoc porrò teſtimonium genuinum Joſephi opus eſſe, conſtans fuit traditio à primis ſeculis uſque ad medium circiter ſeculi decimi ſexti. Giſanius & Oſiander primi fidem hanc Chriſtianis eripere tentarunt, ducti conjecturis & quidem leviſſimis: opponunt enim.

I. Teſtimonium iſtud à Chriſtianis Joſephi hiſtoriæ aſſutum fuiſſe. Verùm ſi hoc factum fuiſſet, an Judæi tunc temporis tacuiſſent? An toto illo tempore iſtud ignoraſſent, nec detexiſſent, nec detectum Chriſtianis exprobraſſent?

Opponunt 2. Styli diſcrepantiam. Verùm hanc ſubodorati non ſunt viri eruditi & ſagaciſſimi, ut Euſebius lib. 3. de demonſtrat. Evang. Hieronymus in catal. Script. Eccleſ. Iſidorus Peluſiota lib. Epiſt.

Sozo-

Sozomenus lib. 1. hiſt. Nicephorus lib. 4. Suidas, & alij, qui omnes iſtud Ioſephi teſtimonium ut genuinum agnoſcunt & laudant, nixi vetuſtiſſimis ac probatis codicibus. Quòd ſi in quibuſdam Joſephi codicibus non legitur, expunctum profectò fuit à Judæis, ut patet ex vetuſto codice latino aſſervato in Bibliothecâ Sorbonenſi, in quo deſideratur folium, in quo agitur de teſtimonio illo, ut conſtat ex capitulorum indice. Quare mirum non eſt, ſi Patres aliqui eo teſtimonio uſi non ſunt contra Judæos, cùm in codices ſic corruptos incidere potuerint.

Quoad id verò, quod aliqui opponunt, nempe Joſephum ſectæ Phariſaicæ addictum nec probabile, nec veriſimile eſſe laudaſſe Jeſum, qui palam Phariſæos inſectatus fuerat, reſpondemus Joſephum laudaſſe, imo & Meſſiam blandè appellaſſe Veſpaſianum, licèt gentis ſuæ hoſtem acerrimum. Quare igitur non potuiſſet laudare etiam Jeſum, quamquàm in ipſum non crederet? Præterea Joſephus non tam laudavit Jeſum, quàm ſimpliciter retulit quæ dicebantur de illo. Quapropter Photius ipſe non preciſè, ſed ſolùm dubitanter negat fidem Joſepho circa ea, quæ narrat de Chriſto: *quæ res ambigendi fortaſſe cuiquam cauſam præbeat, ſitne Joſephi hoc opuſculum*. lib. *de univerſo*.

Obſervandum 3. nomine Judæ, in Iacobi vaticinio probabilius non intelligi ſolam Tribum Juda, ſed univerſam Judæorum gentem; per ſceptrum autem non regiam tantùm, ſed quamlibet ſupremam Reipublicæ adminiſtrandæ poteſtatem. Nam à Moyſe uſque ad Davidem ſceptrum non pervenit ad Tribum Juda, ſed primò tenuit illud David. Davidi ſucceſſit Salomon, & Principes alii deinceps ad Sedeciam uſque, qui Babyloniam unà cum cæteris Judæis captivus ductus,

po-

poſtremus fuit Rex ex Tribu Juda. Factâ autem Judæis à Cyro poteſtate redeundi in patriam, ac Templi ædificandi: nullus propriè Rex ſceptrum tenuit. Zorobabel quippe etſi tunc Dux populi foret, nec imperium habuit, nec ſolus, nec diu Rempublicam adminiſtravit. Porro ſtatim à Templo inſtaurato rerum ſumma fuit penès Sacerdotes uſque ad Chriſti adventum: hæc autem poteſtas eodem in ordine per Machabæos firmata manſit, donec Ariſtobulus ſummus Pontifex Reipublicæ regimen in Regni formam mutavit, diademaque ſibi impoſuit, & penès ejus poſteros ſceptrum perſeveravit cum imperio uſque ad Herodem alienigenam, qui Regnum Machabæis eripuit, eorumque genus extinctum eſt.

Herodes porro ille Religione quidem Judæus fuit, at non genere & proſapiâ. Quamobrem Joſephus lib. 4. antiquit. Antipatrum Herodis patrem dixit Idumæum; Nicolaum verò Damaſcenum tamquam merum traduxit adulatorem eo quòd Antipatrum eumdem Judæum eſſe genere ſcripſiſſet. Quod ut clariùs pateat, notandum Antipatrum hunc Aſcalonitam, ſeu Philiſtæum fuiſſe origine, & avum ſolummodo hujus Herodis. Hinc Herodes, de quo hìc, modò dictus fuit Idumæus à loco nativitatis, modò Aſcalonita à patris avorumque origine.

Obſervandum 4. ſub Herode illo figendum eſſe, & quidem meritò, adventum Meſſiæ, non ante, nec poſt. Nam ſceptrum tunc ad extraneum, ſeu alienigenam verè delatum fuit. Unde licèt gens Judæorum univerſa per annos circiter ſexaginta fuerit diſperſa poſt excidium Hieroſolymitanum, ac penitùs deſtructa ſub Tito, nihilominus jam ſub Pompejo incæperat in ruinam inclinatio; creverat verò ſub Herode, ac tandem ſub Tito ad cumulum pervenit; nulluſque

que relinquitur dubio locus, quin jam diu Meſſias advenerit, & adimpletum fuerit Jacobi Vaticinium. Nec inquieto nimis animo hic inquirendum eſt ſub quâ præcisè cadentis Reipublicæ Judaicæ periodo Meſſias advenire debuerit: nec etiam expetenda hìc mathematica demonſtratio. Venit Chriſtus quando voluit, in plenitudine temporum venit, venit in media periodo illâ, cùm deficeret, ſeu ad ultimam vergeret ruinam Judaica Reſpublica, ſeu ſub Herode, ſeu alio circiter tempore: imò ita tunc invaluerat de elapſo adventûs Meſſiæ tempore ipſos inter Judeos opinio, ut plures extiterint Pſeudo-Meſſiæ, quos inter ipſe Herodes, à pluribus Judæis tamquam Meſſias cultus, indeque Herodiani dicti.

Obſervandum 5. quod etiamſi Vaticinium Jacobi de ſceptro non ſolùm Juda ſpectarit, ſed gentem quoque univerſam, non idcirco tamen Tribus illa privata fuit ſuâ benedictione peculiari, ut obijciunt quidam. Nam 1. benedictio peculiaris erat fertilitas terræ 2. Meſſias ex Tribu illâ oriturus erat. 3. deſtinata erat Regno; quas prærogativas Tribus Judæ Jacob prænoſcens, Judæ nomen genti etiam univerſæ accommodavit.

Obſervandum 6. Cùm Prophetæ loquuntur de variis Regni Meſſiæ prærogativis, eos loqui de prærogativis Regni Cœleſtis, in quo unà cum illo regnaturi ſunt Sancti in perpetuas æternitates; atque hinc fuit deſideratus cunctis gentibus, quia lux vera illuminans omnem hominem, quia omnium Salvator, ſi ſibi ipſis non ſint inimici. Nam: *non omnes, qui ex Iſrael ſunt, hi ſunt Iſraelitæ; neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes Filii* Rom. 9.

*In propria venit, & ſui eum non receperunt.* Joan. 1.

Non-

Nonne vates annnuntiantes gloriam regni Meſſiæ, prænuntiarunt quoque illius adventûs, & mortis tempus; imo adventûs, nativitatis & mortis circumſtantias omnes ita accuratè deſcripſerunt, ut permirum ſit, Judæos miſeros, extorres & profugos ubique gentium vagantes, inani adhuc ſpe paſci, & deludi.

Apud Jeremiam equidem dicit Dominus: *reducam captivitatem veſtram, & congregabo vos de univerſis gentibus, & de cunctis locis, ad quæ expuli vos.... & reverti vos faciam de loco, ad quem tranſmigrare vos feci*. cap. 29. Et Cap. 21. dicit civitatem ſic inſtaurandam, ut: *non evellatur, & non deſtruatur ultra in ſempiternum*.

Verùm Jeremiæ cap. 19. *hæc* (quoque) *dicit, Dominus exercituum: ſic conteram populum iſtum, & civitatem iſtam, ſicut conteritur vas figuli, quod non poteſt ultra inſtaurari*. Jam priùs Iſaias cap. 25. dixerat: *poſuiſti civitatem in tamulum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum, ut non ſit civitas, & in ſempiternum non ædificetur*.

Ieremiæ igitur laudatum vaticinum vel intelligendum eſt de inſtauratione Templi & Urbis ſub Cyro factâ poſt ſolutam captivitatem, vel myſticè intelligendum eſt de novâ Jeruſalem, ſeu Eccleſiâ à Chriſto venturo inſtituendâ. Cùm Deus apud Iſaiam dicat: *& erit menſis ex menſe, & ſabbatum ex ſabbato: veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea* 66. quomodo fieri poſſet, ut omnes gentes per orbem diffuſæ, quolibet menſe, & ſabbato quolibet convenirent in Ieruſalem Dominum adoraturæ? Iſthæc igitur allegoricè, non litteraliter intelligenda ſunt.

Et verò apud vatem eumdem ait Dominus: *Neomeniam & ſabbatum, & feſtivitates alias non*

*ſe-*

*feram: Kalendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odivit anima mea*. Iſai. 1.

Nonne qui hæc verba Prophetæ cap. 11. *habitabit lupus cum agno, & pardus cum hoedo accubabit, vitulus & leo, & ovis ſimul morabuntur, & puer parvulus minabit eos: vitulus & urſus paſcentur ſimul: requieſcent catuli eorum, & leo quaſi bos comedet paleas*, intelligere litteraliter, & non allegoricè vellet, riſum procul dubio moveret? Fateantur ergo Judæi iſta eſſe intelligenda de Meſſiā venturo, ejuſque Eccleſiâ, ad quam tandem venient omnes gentes; alioquin Prophetarum vaticinia eſſent expertia veritatis. Nam ſi ea intelligerentur de inſtauratione Templi & Urbis poſt ſolutam captivitatem, conſtat & Templum & Urbem à Romanis funditùs everſa ac deleta fuiſſe, & ſic evaneſceret perennitas à Prophetis prædicta.

Si verò intelligantur vaticinia de Templi & Urbis reſtauratione per Meſſiam faciendâ, ac in perpetuum duraturâ, contrarium expreſsè habetur in Prophetis, cùm Prophetæ Templum & Urbem à Romanis deſtructa, ac funditùs deleta, nunquam reſtauranda, nec populum uſquam colligendum diſertè prædixerint: *ſic conteram populum iſtum, & Civitatem iſtam, ſicut conteritur vas figuli, quod non poteſt ultra reſtaurari*. Jerem. 19. Priùs jam vaticinatus fuerat Iſaias, dicens cap. 25. *Domus Iſrael cecidit, & non adijciet, ut reſurgat*. Paucis. Daniel 9. *Et civitatem & Sanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo, & finis ejus vaſtitas... & erit in Templo abominatio deſolationis, & uſque ad conſummationem & finem perſeverabit deſolatio*. Priùs dixerat vates: *& non erit populus ejus*, (Chriſti) *qui eum negaturus eſt*.

Et reverâ Meſſias præſumptus, quem venturum falſsò jactant adhuc Judæi, invitis Prophetarum oraculis *non erit expectatio gentium*, ſed Judæorum tantùm, *non erit deſideratus cunctis gentibus*, ſed Judæis ſolis; non veniet, ut congreget ex omnibus gentibus & linguis, ſed ex ſolâ gente & linguâ Judaicâ. *Ad eum* ſic fluentne omnes gentes? Venit tamen Meſſias ſalvaturus omnes, ac docturus ſive primò per ſe, ſive deinde per Apoſtolos, Apoſtolorumque ſucceſſores.

Et dixit eis: *euntes in Mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ*. Marc. 16.

## SECTIO II.

### *De Scriptura Sacra novi Teſtamenti.*

CUM Religionis Chriſtianæ veritas & divinitas ex Sacris Litteris potiſſimùm eluceant, hinc illarum, Evangelij ſcilicet, cæterorumque novi Teſtamenti librorum priùs veritas integritaſque demonſtrandæ ſunt. Quare Sectionem hanc ſecundam Propoſitiones variæ conficient; & primò quidem.

### PROPOSITIO I.

### *An Chriſtus & Apoſtoli verè extiterint.*

FActa, quæ Traditioni univerſali, innumerabilibuſque hiſtoricorum teſtimoniis innixa ſunt, nemo ſanæ mentis negare poteſt, quin nutent omnia hominum teſtimonia etſi univoca; quin Traditio, etiamſi univerſalis, conſtans ac perpetua nullius habeatur momenti; quin tota ruat fides hiſtorica; quin

Pyr-

Pyrrhoniſmus univerſalis admittatur hiſtoricus.

De Chriſti porrò Apoſtolorumque exiſtentiâ traditio habetur univerſalis, conſtans ac perpetua non ſolùm Fidelium, ſed etiam ipſorum Judæorum, Hæreticorum, Ethnicorumque, quorum innumera ferè ſunt Teſtimonia: *tunc acceſſerunt ad eum* (Jeſum) *ab Hieroſolymis Scribæ, & Phariſæi dicentes: quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem Seniorum? & videntes Phariſæi dicebant Diſcipulis ejus: quare cum publicanis* & *peccatoribus manducat Magiſter veſter?* Coætanei erant omnes illi.

Ex Judæis ad Religionem Chriſtianam converſis, ſed errantibus, Cerinthus ſeculo primo, Ebion ſeculo eodem, Elceſæi ineunte ſeculo ſecundo. Carpocras Simonis magi Diſcipulus, Hadriano imperante, Theodotus Severo ſceptrum tenente, Paulus Samoſatenus Valeriano & Gallieno Imperatoribus, & alii, quàmquàm varie aberraverint, Chriſtum nihilominùs verè extitiſſe agnoverunt; nec contrarium unquam demonſtrabit incredulus quiſquis ille ſit.

Ethnicos inter audiatur Porphyrius apud Euſebium lib. 3. *Mirum forſitan videbitur quod dicturi ſumus. Siquidem Chriſtum Dii ſummè religioſum immortalemque fuiſſe prodiderunt, deque illo cum laude mentionem faciunt*. Non Phantaſma profectò religioſum ac immortale prodiderunt; nec Phantaſmatis cum laude mentionem fecerunt Dii illi.

Et reverâ qui poſt momenta indicata, innumeraque alia quæ afferri poſſent, Chriſti diſcipulorumque eius exiſtentiam negaret, inſaniùs ſanè ageret, quàm qui Cæſaris, Pompeii, Auguſti & Tiberii exiſtentiam inficiaretur.

## Propositio II.

### *De Libris Novi Teſtamenti.*

INcredulorum nonnulli audaces effrenatique non intelligentes neque ea de quibus loquuntur, neque ea, de quibus affirmant, Novi Teſtamenti libros garriunt ſolùm poſt tempora Apoſtolica confectos fuiſſe, ac proinde eſſe ſuppoſititios.

Verùm, more ſuo, nec tempora, nec loca, nec auctores, nec demum ulla ſuppoſitionis afferunt momenta, vel etiam indicia. Elati, ſuperbi, mente & moribus corrupti ut nomen habeant, quo philoſophentur, omnia audent.

Obſervandum 1. hic potiſſimùm agi de Libris Evangelicis Apoſtolorum ætate conſcriptis, quos increduli illi ſecundo, vel tertio tantùm ſeculo ſub Apoſtolorum nomine conſcriptos fuiſſe dicunt.

Obſervandum 2. permultos olim, ac præſertim hæreticos, varia ſcripſiſſe Evangelia, illaque Apoſtolicis ſubſtituiſſe, & Apoſtolorum nomine inſigniiſſe, ut ſic illis non genuinis, ſed corruptis ſuæ auctoritatem hæreſi conciliarent, *Quibus* (ait. D. Hieronymus proem. in Matth.) *jure poteſt illud propheticum coaptari: væ qui prophetant in corde ſuo, qui ambulant poſt ſpiritum ſuum, qui dicunt: dicit Dominus & Dominus non miſit eos.*

Immeritò igitur ac inſulsè prorſus ad Pſeudo-Evangelia iſta confugiunt adverſarii, ut libros Evangelicos probent ſpurios, ut libris Evangelicis omnem detrahant auctoritatem. Nonne dari poſſunt opera adulterina ſub nominibus Tullii, & Virgilii? An idcirco conſequitur opera illorum genuina non eſſe, ſed ſpuria? Com-

Commentitia objecta illa Evangelia ſtatim ac in vulgus illis temporibus exiere, ut ſpuria ſtatim rejecta & reprobata fuerunt. Sanè quo ardenti zelo accenſi erant primi Chriſtiani pro tuendis incorruptis Voluminibus ſacris, is zelus idem ea probat intemerata. Fidelium illorum aliquis immaniſſimæ perſecutionis metu perculſus ſacros tradideratne Codices? Pœnitentiâ ductus, & lacrymas effundens Eccleſiæ ſuam confitebatur noxam, & graviſſimis pœnitentiæ ſeſe ſubijciebat laboribus.

Volumina Evangelica temporibus Apoſtolicis fuiſſe conſcripta teſtantur innumeri ferè auctores, ſive Apoſtolis coævi, ut Polycarpus & Papias Joannis auditores, ſive Apoſtolorum ætatem proximè ſequentes, ut Juſtinus Martyr, naſcente ſeculo ſecundo, Athenagoras, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, decurrente eodem ſeculo ſecundo

Evangelium ſecundùm Matthæum Apoſtolo eidem legitur attributum tàm in Latinis, quàm in Græcis, Syris, & Arabicis exemplaribus. *Marcus*, inquit D. Hieronymus in Catal. Script,. Eccles., *rogatus Romæ à fratribus breve ſcripſit Evangelium*. Idem teſtantur inſuper D. Athanaſius in Synopſi, Epiphanius hæreſi 51. & Euthymius. Quare cùm Tertullianus legitur attribuiſſe D. Petro Evangelium hoc, ſic intelligendus eſt Tertullianus, quia nempe, dictante Petro, ſcripſit illud Marcus. Ita D. Hieronymus loco mox citato.

Lucas aſſiduus Pauli comes, juxta ea quæ à Paulo cæteriſque Apoſtolis audierat ſuum ſcripſit Evangelium. Ita Tertullianus, & paſſim Patres: *Lucas medicus*, inquit D. Hieronymus præfat. in Matthæum, *natione Syrus, Antiochenſis, cui laus in Evangelio, qui & ipſe diſcipulus Apoſtoli Pauli in*

*Achajæ Bœotiæque partibus volumen condidit ... audita magis, quàm viſa deſcribens.*

De Joanne verò Evangeliſtâ varios inter Patres idem aſſerentes ſic loquitur Doctor laudatus: *is* (Joannes) *cùm eſſet in Aſia, & tunc jam hæreticorum ſemina pullularent Cerinthi, Ebionis, & cæterorum... coactus eſt ab omnibus penè tunc Aſiæ Epiſcopis, & multarum Eccleſiarum legationibus de divinitate Salvatoris altiùs ſcribere.*

Enimvero Libri Evangelici nihil referunt, quod ſuſpicari liceat contigiſſe temporibus Apoſtolorum ſeculum ſubſequentibus, & mirè cum hiſtoriæ profanæ monumentis conſonant, ad quod animum advertant eruditi: atque inde Conſtitutiones quædam, tamquam non Apoſtolicæ, rejectæ fuerunt, cùm in illis Ritus & Conſuetudines recentioris ævi reperiantur.

Libros Evangelicos ut genuina Apoſtolorum opera ii ipſi agnoverunt, quorum intererat ea negare, nempe hæretici, Judæi, & Ethnici; ut Celſus qui ſeculo ſecundo adversùs Religionem ſcribebat, Trypho Judæus, Porphyrius, & alij, qui profectò auctoribus Chriſtianis illa Apoſtolorum opera obijcientibus illicò repoſuiſſent, iſthæc nonniſi commentitia eſſe opera, quod tamen nullibi leguntur feciſſe; ſed referente D. Irenæo lib. 3. adversùs hæreſes, illi pro omni effugio, atque ut tela hæc declinarent, ſe Apoſtolorum emendatores jactabant.

Qùod ſi ex hæreticis nonnulli Evangelia ſolùm quædam aliquando admiſerunt, illud accidit, quia in Evangelijs, quæ reijciebant, ſuos errores refelli videbant. Sic Cerinthiani, Ebionitæ, Marcionitæ & Cerdoniani, quos Anti-Chriſtos vocat Hieronymus Joannis reijciebant Evangelium, quia quæ Matthæus Marcus & Lucas de Chriſti divinitate omiſerant, ea

ipſe

ipſe ſupplet, rem altiùs repetens: *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum ... & Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*.

Verùm Sancti Patres non minùs adversùs hæreticos Evangeliorum omnium demonſtrarunt auctoritatem, eamque urgentes objecerunt, nec niſi momentis innixi invictis. Etenim omnes, vel ipſi etiam Chiſtianæ Religionis hoſtes conſentiunt fatenturque libros Platonis, Plinij, Cæſaris genuinos auctorum illorum eſſe fœtus. Quid ita? Quia ſcilicèt auctoribus illis ſemper, atque ætatibus omnibus opera iſta fuere adſcripta, nominaque auctorum eorumdem præ ſe ſemper tulerunt.

Codices autem Novi Teſtamenti Apoſtolorum nomina præ ſe ſemper tulerunt, citantur à Scriptoribus ætati Apoſtolicæ coævis, à Clemente Romano & Ignatio, à Policarpo & Papiâ Joannis auditoribus; citati fuerunt ab auctoribus ætatem Apoſtolicam proximè ſubſequentibus, à Juſtino, Athenagorâ, Irenæo, Clemente Alexandrino, Tertulliano, Origene, qui exapla elucubravit, & ab aliis ferè innumeris eccleſiaſticis auctoribus.

Adſtipulantur Traditio conſtans ac perpetua, fideſque ſeculorum omnium. Abſurdum igitur prorſus eſt aſſerere codices illos vera non eſſe Apoſtolorum opera, ſed ſuppoſititia.

Quòd ſi aliquando Patres aliqui ſubſequentibus ſeculis circa Epiſtolas quaſdam animo fuerunt ſuſpenſo, hoc pobat, auctores illos Scripturas non admiſiſſe talibus in circumſtantiis, niſi maturo examine præmiſſo.

## Propositio III.

*Res in ſacris libris recenſitæ habeantur certiſſimæ.*

INcreduli quaſi rationem petituri operum Domini etſi incomprehenſibilia ſint judicia ejus, & viæ inveſtigabiles, terminos nihilominùs, quos poſuit Sapientia æterna, quos venerabundi ſancti Patres agnovere, audacter tranſgreſſi, omnia ad legem & normam rationis exploranda eſſe ac definienda contendunt. Revelationes divinas, Scripturam Sacram, Chriſti Religionem, Religionis ejuſdem Myſteria, Miracula, Martyres aggreſſi, Traditionem, cæteraque argumenta Religionis veritatem invictè probantia evertere conati, tamquam phrenetici in ipſam inſurgunt Religionem, ac in omnia, quæ ad Religionem pertinent.

Itaque ad propagandam irreligionem cuncta criticè adulterant ſacra, vel ſacrum probantia, ut vel ipſe Voſſius diſſertat. de Sybillis dixerit: *vix ullum apud antiquos de Chriſto aut vaticinium, aut teſtimonium invenias, quod non complures etiam viri doctiſſimi labefactare, aut etiam penitùs evertere ſint conati.*

Porrò viri illi, quos increduli doctiſſimos ſibi fingunt, & oſtentant, ſunt inter alios critices venenatæ auctores Baylius, Daniel Clericus, Dodwellius Juriæus, Fletvoodius, Beckerius, Richardus Simon &c. (1)

Nunc

(1) *Dictionaire critique.*
*Penſées ſur la Comète.*

*Par-*

Nunc ad Propoſitionis probationem. Ea facta tamquam certiſſima habenda ſunt, quæ non occulta, ſed publica fuere, quæ maximi fuere momenti, quæ à pluribus Scriptoribus coævis & oculatis concordiſſimé relata habentur, quæ ab hominibus ferè innumeris, iiſque oculatis teſtibus admiſſa leguntur, quorum tamen intererat aut ea negare, aut multis ex cauſis ea non credere; negata nihilominus non reperiuntur, imò à pluribus admiſſa probantur & credita; quæ demum conſtans ac perpetua firmat Traditio,

Iſtud tamquam veriſſimum admittant etiam Critici, de quibus hic, aut Pyrrohniſmum profiteantur hiſtoricum neceſſe eſt. Juxta Critices ſanæ principia, quibus vera à falſis, certa ſecernuntur ab incertis, recenſentur præſertim ea, quæ ſequuntur.

1. De facti alicujus publici veritate, relati à teſtibus oculatis, quibus inutilis prorſus, ſi attentata, fuiſſet deceptio, dubitare haud licet. Facta porrò evangelica fuere publica, nempe Chriſti nativitas in Bethleem, Magorum Hieroſolymam adventus, puerorum cruenta cædes, Chriſti prædicatio, Miracula, ex quorum veritate omnium in Teſtamento Novo rerum relatarum, ac Religionis fluit præcipuè divinitas, panis multiplicatio coram pluribus hominum millibus peracta, claudorum, cæcorum & mutorum ſanatio, mortuorum ac fœtentis jam Lazari

---

*Parrhaſiana inter diſſert. Cyprian.*
*Droits des deux Souverains.*
*Diſſert. ſur les miracles.*
*Le monde enchanté.*
*Prefac. de la verſion du Nouv. Teſtam.*
*Reponſe à Monſ. de Teil &c.*

zari ad vitam revocatio, Chriſti cruciatus, mors, & reſurrectio: iſthæc omnia Magiſtratibus Judæiſque benè nota, ac proinde verè publica referuntur ab Evangeliſtis, quibus deceptio inutilis prorſus fuiſſet.

Etenim niſi virtute ex alto fuiſſent induti, ex ſe erant homines plebeii atque illiterati, doctrinam ſanctam à dolis & mendaciis prorſus alienam effundentes, doctrinæ vitam agentes conſentaneam non fucato ſtylo, ſed candido, non exaſperato animo, ſed ſedato. Chriſti acta, contumelias & ſupplicia ſimul & quæ ipſi paſſi ſunt, enarrant; nec ſuam ſive in credendo tarditatem, ſive ignorantiam, ſive timiditatem, ſive demum fugam & Chriſti ejurationem tacent; imo nec ipſas etiam ſilent ortas aliquando inter ſe diſcordias.

Si viri illi Apoſtolici dolos fuiſſent meditati & deceptiones, quid emolumenti retraxiſſent, niſi ignominias, carceres & ſupplicia? Res equidem maximi momenti annuntiabant: Judæis quidem Legis Moſaicæ, cui erant addictiſſimi, abrogationem, Ethnicis Deorum cultûs ſtultitiam, omnibus autem Religionem Chriſtianam ſub infelicitatis æternæ pœnâ eſſe ſuſcipiendam, etſi ſenſibus & cupiditatibus adverſam, etſi nonniſi labores, ærumnas, flagra, cæteraque his ſimilia in hac mortali vitâ ſolùm polliceretur.

Facta demùm illa referuntur à pluribus hiſtoricis ſive in Evangeliis, ſive in Epiſtolis, quorum operum auctores verè fuere illi, quorum nomina præ ſe ferunt. Ex illis porrò auctoribus plures fuere teſtes oculati, vel coætanei: Matthæus, Joannes, Petrus, Jacobus, Judas fuere Chriſti diſcipuli, & unâ cum eo verſati, eoque familiariter uſi: Lucas, Marcus, & Paulus coætanei, & nati in regionibus, in quibus vixerat Chriſtus.

2. Ju-

2. Juxta critices ejuſdem principia factum ab hiſtoricis relatum habeatur certiſſimum, cùm veritas ejus à nemine legitur in dubium revocata, ne ab iis quidem, quorum intererat contradicere, imò pro cujus facti veritate tuendâ hiſtorici ipſi mortem oppetiverunt: hominem enim, niſi inſaniat, nunquam credibile eſt pro mendacio ſibi cognito vitam profundere velle.

Hùc accedit, qùod neque Judæi, neque Ethnici facta à ſacris hiſtoricis relata inficiati ſunt, quorum tamen plurimum intererat ea negare. Hiſtorici illi nihilominus coram Judæis & advenis, paulò poſt Chriſti mortem, ipſius reſurrectionem, miracula, cæteraque facta Judæis eiſdem ac omnibus nota annuntiarunt, miraculis firmarunt, ac effuſo ſanguine proprio obſignarunt. De illorum igitur veritate nullus ſanæ mentis dubitare poteſt, niſi forte homo incredulus, qui tenebras magis diligat, quàm lucem.

Verùm, reponunt increduli, facta evangelica referuntur à Chriſti diſcipulis, à Chriſti amicis, & in causâ propriâ judicibus: facta eadem nonniſi Evangeliſtarum auctoritate firmata & confirmata leguntur.

Verùm quærimus etiam ab ipſis incredulis, an ideo facta hæc neganda ſint, quia à Chriſti diſcipulis & amicis relata habeantur? Nonne ſi ratio hujumodi alicujus eſſet ponderis, iam hiſtoriis ſive Græcis, ſive Romanis nulla fides adhibenda eſſet, cùm exaratæ fuerint à Græcis, & Romanis auctoribns patriæ ſuæ amantiſſimis? Aliunde cur Evangeliſtæ facti ſunt Chriſti Diſcipuli & amici? Cur pro Chriſto mortem oppetiere, niſi quia Chriſti miracula, cæteraque illius facta habebant ut certiſſima? Neque enim aut decipi, aut decipere potuerunt.

I. quidem decipi non potueruut. Nam facta

quæ

quæ referunt, ea fuere viſibilia, ſenſibilia, & coram ipſis peracta. An porrò putarunt crediderunique ſe videre facta quæ nihilominus reverâ non videbant? Crediderunt ſe videre claudos ſanatos ac deambulantes &c. licèt claudi non eſſent ſanati, nec deambulantes? An Judæi hiſtoricis Evangelicis infenſiſſimi videntes ſigna, quæ fecerat Jeſus, pariter deluſi crediderunt in eum? An Judæis prodigia eadem referentibus, ut oculatis teſtibus, temerè crediderunt Phariſæi, dixeruntque etiam cum ipſis congregati Pontifices: *quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Si dimittimus eum, omnes credent in eum*. Joan. II. Sanè niſi res comperta fuiſſet, atque extrà omne dubium poſita, Pontifices & Phariſæi non iſta protuliſſent; collegerant enim concilium.

II. Neque etiam hiſtorici illi ſacri decipere potuerunt. Nam ſi decipere attentare voluiſſent Apoſtoli, in vanum laboraſſent. Quî enim fieri potuiſſet, ut Judæis ipſis ſuaderent, Chriſtum panibus quinque plura hominum milla ſatiaſſe, Lazarum in eorum conſpectu ad vitam revocaſſe, innumeraque alia miracula præ illorum oculis operatum fuiſſe, ſi reverâ hæc coram ipſis peracta non fuiſſent, nemo illorum prodigia hæc vidiſſet, nec teſtis oculatus fuiſſet? Audiant increduli: *Cùm autem eſſet* (Jeſus) *Hierolymis in Paſcha in die feſto, multi crediderunt in nomine ejus, videntes ſigna ejus, quæ faciebat*. Joan. 2. *Erat autem homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine, Princeps Judæorum. Hic venit ad Jeſum nocte, & dixit ei: Rabbi, ſcimus, quia à Deo veniſti Magiſter; nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo*. Ibid. 3.

Quamquàm autem Evangelica facta unà ſolùm Evangeliſtarum auctoritate niterentur, an idcirco ea mi-

minùs certa & indubitata? Nec Apoſtoli fraude unquam ullâ uſi ſunt, nec increduli momentis innixi ullis contrarium unquam demonſtrare poterunt: imò ſecum pugnant. Modò enim affirmant Apoſtolos rudes penitùs fuiſſe, modò aſſerunt Apoſtolos eoſdem in fraudibus nectendis fuiſſe peritos; proin fateantur & ipſos ſagacitate multa, ingenioque acuto præditos fuiſſe.

Evangeliſtæ non iiſdem temporibus, ſed progreſſu temporis, ac diſperſi ſuos ſcripſerunt codices; proindeque ſi unus non accuratè ſcripſiſſet, cæteri reſcientes haud probaſſent, nec facta eadem ſimiliter retuliſſent: eadem tamen ab iis ſimiliter, ſaltem quoad ſubſtantiam, relata leguntur.

Apoſtoli iidem accuratiſſimè tempora, loca, perſonas, perſonarum actiones, ſacerdotes Romanoſque recenſent Principes; characteres, quibus, etſi agreſtes ipſi, ſuum deſcribunt Heroem ſunt ita ſublimes; facta ita naturæ vires ſuperantia, ita publica, nota ac evidentia, ut fictionis ac fraudis cujuſcunque vel umbra etiam evaneſcat; ut ratio ipſa ſtupens ac tacens ea miretur venerabunda, minimè verò ſcrutari audeat.

Et verò ſi facta iſta fuiſſent ſpuria, ſi fictiones & commenta, quomodo iis fidem præſtaſſent Judæi, atque Ethnici oculati teſtes? Quomodo in animum induxiſſent ſe videre Apoſtolos ægris ſanitatem, cæcis viſum, claudis greſſum &c. reſtituentes, ſi hæc reverâ non habuiſſent perſpecta? Quomodo Apoſtoli iſthæc omnia ſic miraculis firmata proprii inſuper ſanguinis effuſione tamquam chirographo comprobaſſent, niſi fortaſſis adhuc fingatur hic illos inſaniiſſe?

Error quidem aliquando ſuos etiam habuit martyres; at martyres opinionum, quas ſanè arbitraban-

bantur veras, etſi falſas in rei veritate, utpote falſis momentis innixas. Aſt non ita dicendum eſt de Religionis veræ martyribus. Hi quippe cruore proprio obſignarunt facta ita manifeſta ac evidentia, ita multiplicia ac diverſa, ita certa & miranda, ut ne hoſtes quidem ipſi atque adverſarii fidem eis denegare valuerint.

Ut momentum hoc firmiſſimum eludant increduli garriunt innocentis effuſi tunc ſanguinis cauſam, eamque unicam, fuiſſe Chriſtianorum ab Imperio diſceſſionem. Sed hoc effugium inane, & ratio improbabilis eſt. Volterius ad convicia in Chriſtianos evomenda ſuetus ita præſertim eos incuſat ſuis in ſpeciminibus, prout jam obſervavimus ubi de Tolerantiâ diſſeruimus. Audiatur hic iterum Tertullianus: *oramus pro omnibus Imperatoribus; vitam illis prolixam, urbem quietam, & quæcumque hominis & Cæſaris vota ſunt*. Apolog.

Euſebius Cæſarienſis circa finem Imperii Gallieni ſcribens, ait: *non de tributo recuſato, non de publicæ quietis perturbatione incuſabantur Chriſtiani illi; ſed quia Diis nolebant immolare deferebantur*.

*Univerſa multitudo cum ingenti furore acclamabat: hic eſt totius Aſiæ doctor et pater Chriſtianorum (Polycarpus) noſtrorum autem ſubverſor Deorum: ipſe eſt, qui multos docet ne immolent, neve adorent Deos*. Euſeb. lib. 4. An ribellionis hic vel umbra apparet adverſus publicam tranquillitatem, vel Cæſarum dominationem? Dicebat Polycarpo Herodes Præfectus: *dic in Chriſtum convicia, & dimitto te. Polycarpus ad hæc: octoginta & ſex annis ſervio ei, & nihil me læſit unquam, quomodo poſſum maledicere & blaſphemare Regem meum?* Ibid.

Noverant probè Martyres reddere Cæſari quæ Cæſa-

Cæſaris erant; noverant obedire poteſtatibus ſublimioribus; at ſciebant etiam magis obediendum eſse Deo, quàm hominibus; ſciebant ſe propterea trahendos eſse ad Reges & Præſides, ad carceres & ſupplicia: furentibus autem Tyrannis & populis collum diſtricto gladio, corpuſue totum cruciatibus, iiſque diriſſimis præbentes, decretam atque impendentem læti aſpiciebant necem: *mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum*. ad Philip. 1.

## Propositio IV.

### *Libri Apoſtolici non fuere corrupti*.

INcreduli ſanæ critices terminos tranſgreſſi, ingreſſique temerè Sanctuarium myſteriorum & Verbi divini, altiora ſe ſcrutati, non ſolùm codices ab Evangeliſtis conſcriptos negant eſſe veraces, ſeu facta in illis contenta eſſe vera; ſed aſſerunt etiam codices eoſdem nonniſi corruptos ad nos perveniſſe.

Verùm ſi codices illi ſunt corrupti, ſupponunt ſanè hos fuiſſe genuinos. Indicent ergo Deiſtæ ubi, quando, in quibus, & à quibus perſonis adulterati fuerint aperiant atque demonſtrent; non enim inventionibus argumenta conficiuntur.

Et certè ſi Codices ſacri adulterati fuiſſent, non à Chriſtianis, qui ab ipſis Chriſtianæ Religionis incunabulis eos ſummâ in veneratione habuerunt. Non à ſcriptoribus Chriſtianis ſive coævis, ſive poſterioribus, quippe qui codices illos modo eodem ſemper retulerint, citarint, atque laudaverint.

Neque demum ab ipsâ Chriſti Eccleſiâ, quæ columna eſt & firmamentum veritatis. Hæc enim ſive diſperſa, ſive ſacris in Conciliis congregata,

Co-

Codices eoſdem tamquam genuina eaque certiſſimæ Apoſtolorum opera adversùs omnes Religionis hoſtes ſemper adhibuit, atque objectavit. Si porro codices illi fuiſſent corrupti, an non vel ab ipſo Eccleſiæ exordio hæretici jam è ſatanæ latebris erumpentes exclamaſſent, hanc obijcientes corruptionem? Cùm contrà exclamantes legantur Catholici adversùs hæreticos, tamquam facinoris hujus reos?

Præterea Codices ſacros modò exiſtentes genuina eſſe Apoſtolorum opera, invictè etiam demonſtrat illorum convenientia. Omnia enim exemplaria, omnes verſiones, ſaltem quod ſubſtantiam, conſonant inter ſe; nec diffitentur critici ſeveriores. Repugnat porro omnia illa exemplaria jam ab ipſa naſcente Eccleſiâ ferè innumerabilia, ſimul vitiata fuiſſe.

Neque ab iiſdem exemplaribus diſcordes leguntur textus citati ſive ætate Apoſtolicâ, ſive ſeculis eam ſubſequentibus à Patribus ſua opera conſcribentibus; in quorum libris etſi adjecta eis legantur nonnulla, non tamen ſacri textus adulterati, niſi ubi hæreticorum malitiæ veſtigium aliquod deprehenditur.

*Non eſt prætereundum* (inquiebat Sixtus Seneſes præf. lib. 5. Biblioth.) *quod Pamphilus Martyr, Euſebius Cæſarienſis, & Rufinus conqueſti ſunt, videlicèt, Clementis, Dionyſii, Origenis, Athanaſii, & aliorum doctorum ſcripta plurima fuiſſe olim peſſimè tractata ab hæreticis, qui ut hæreſibus ſuis fidem & auctoritatem ſub nomine clariſſimorum Patrum conciliarent, multa quoque de ſuis dogmatibus inſeruerunt pugnantia cum his, quæ ſenſerant & docuerant.*

Hoc mirum: quod ratio recta, Philoſophia ſana, & probitas ipſa vetant, Pſeudo-Critici illi, ut

etiam

etiam Traditioni omnem fidem derogent, ex quibuſdam omiſſis, vel aſſutis aliquorum Patrum operibus, captiosâ argumentatione inferunt omnium Patrum monumenta fuiſſe depravata, ac proin nulla amplius extare genuina (1)

Verùm quàm ſollicitè ſemper advigilaverit Eccleſia, caveritque ne Patrum veterum monumenta depravarentur, vel ſuppoſititia vulgarentur, invictè patet tùm ex antiquo Canone illo: *ſi quis inſcriptos impiorum libros tanquam ſanctos in Eccleſia publicat ad populi & cleri perniciem, deponatur.* can. 60. inter Apoſt. vulgò dictos.

Tùm ex his Synodi Gener. VII. verbis, *de falſis ſuperſcriptionibus hæreticorum: juſtum arbitrati ſumus omnem eorum denudare impietatem, & publicare patenter errorem; quoniam & libros quoſdam proponunt perſcriptiones habentes Apoſtolorum; per quos ſimplices decipiunt.* Act. 5.

Tùm denique ex Patribus, Tertulliano lib. de Baptiſmo, Irenæo, Epiphanio, Hieronymo, Euſebio lib. hiſtor. 3. qui omnes ſummæ eruditionis viri deſudarunt toti in detegendis ac evellendis operibus ſive ſpuriis, ſive Patribus falsò attributis, ſive demum adulteratis

Sollicitudine eâdem ſummâ Pontifex unâ cum Epiſcopis ſeptuaginta, quinto decurrente Seculo, Patrum opera genuina adnotavit, ſpuria rejecit, apocrypha reſpuit, perverſa damnavit Grat. 1. part. diſt. 15. cap. 3.

Q Ex

(1) *André Rivet du Poitou. Critique ſacrée*
*Guill. Cave hiſt. lib. 5.*
*Dictionnaire critique.*
*R. Simon Bibliot. Critique. &c.*

Ex his omnibus hoc perſpicuum eſt, Deiſtarum nonnullos ſolius eſſe Religionis Chriſtianæ inimicos, cæteros verò irreligionis prorſus amicos. Illud quoque certum, omnes vana & falſa videre, omnes divinare mendacium.

Verùm, inquiunt, facta complura probant libros Apoſtolicos adulteratos fuiſſe, inter quæ ſequentia præſertim adnotanda ſunt. Evangeliſtæ referunt Magos, duce ſtellâ, perveniſſe ad locum, ubi Chriſtus natus jacebat: referunt Dæmones à Chriſto in porcorum gregem immiſſos, & gregem dein totum in mare præcipitatum: narrant arborem fici à Chriſto exſiccatam eò quòd fructus non haberet: narrant Chriſtum à diabolo tentatum, & aſſumptum in montem excelſum. Quæ omnia eorum ſententiâ, nonniſi tanquam abſurda & falſa haberi poſſunt.

Nam 1. Si ſtella Magis dux fuiſſet itineris, tantæ molis corpus totam impulſione ſuâ turbaſſet mundi machinam. 2. quia Judæi prohibebantur habere porcos. 3. quia tempus ferendi fructus tunc non erat. 4. quia abſolutè repugnat tentatio cum Chriſti ſanctitate; nec ullus datur locus, unde videri poſſint omnia mundi regna, cùm tamen addatur: *& oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum*. Matth. 4.

Sed nunquid inani Philoſophiâ inflati adverſarii potentiam Excelſi dinumerare valent? Numquid qui creavit cœlos, & in cujus poteſtate ſunt omnia, impedire non potuit, quominus ſtella Magis illucens ordinem Mundi diſturbaret? Qui ſunt iſti involventes ſententias ſermonibus imperitis? Nunquid Joſue de eadem Excelſi omnipotentiâ dubitans dixit: *Sol contra Gabaon ne movearis*? Joſ. 10. Nunquid manus Omnipotentis abſque orbis univerſi horribili confuſio-

ne

ne miranda operari non valet? Steterit reverà ſol, vel impeditus fuerit, ita ut una dies facta ſit quaſi duæ, ita ut reverſa fuerit retrò umbra in horologio Achaz lineis decem, aut diurnus motus terræ interruptus ſolùm; an idcirco iſthæc tanquam abſurda neganda ſunt? An quia pigmæi illi Omnipotentis brachium dimetiri non valent, nec unquam valebunt, ideo ea reijcicienda ſunt velut commenta? Aut Atheos ſe dicant, aut ſi Deum confitentur, omnipotentem etiam fateantur, dicantque ſingulatim cum Job.: *ſcio, quia omnia potes*, & *nulla te latet cogitatio... ideò inſipienter locùtus ſum*, & *quæ ultrà modum excederent ſcientiam meam*. cap. 42.

Nam 2. cùm Chriſtus Dæmonibus permiſit intrare in porcos, ſuum etiam in Dæmones probavit dominium, atque ut ſupremus omnium Dominus permiſit ut grex abiret per præceps in ſtagnum, ſeu mare Tiberiadis, & ſuffocaretur. Ad illud verò quod additur, ſcilicet Judæis licitum non fuiſſe habere porcos, reſpondetur, varios inter ſcriptores quidam arbitrantur Judæis ſanè licitum non fuiſſe ſuillâ carne veſci; at non fuiſſe vetitum porcos alere ad uſus finitimarum nationum. Plures verò tenent Chriſtum iſta egiſſe in urbe Gadarâ monti finitimâ, quæ urbs à Cæſare conceſſa fuerat Syris, aliiſque populis, qui porcos alebant. Ita in primis Joſephus lib. 17. antiq. & lib. 2. de bello. cap. 4. Quare Geraſeni ſcientes Chriſtum gente Judæum eſſe, illum rogaverunt ut diſcederet ab ipſis, ne ulteriùs damnum inferret: noverant enim ſe peccatores eſſe, Chriſtum verò hominem ſanctum, quippe qui viderant hominem ſedentem, à quo Dæmonia ejecerat.

Nam 3. Chriſtus fici arborem arefecit non causâ inferendi pœnam, ſed ut ſuam oſtenderet proba-

retque poteſtatem, & fidem Diſcipulorum firmaret; atque adaugeret. *Videntes Diſcipuli mirati ſunt dicentes: quomodo continuò aruit? Reſpondens autem Jeſus ait eis. Amen dico vobis, ſi habueritis fidem, & non hæſitaveritis, non ſolùm de ficulnea facietis, ſed & ſi monti huic dixeritis: tolle, jacta te in mare; fiet.*

Quantùm ad verba hæc: *non enim erat tempus ficorum*, ne minimam quidem faceſſunt difficultatem. Si enim ficorum non erat tempus, cur Chriſtus eſuriens adiit arborem fici, niſi ob rationes modò relatas, omnibus patentes atque perſpicuas, exceptis ſolis incredulis? Omnia nuda & aperta erant oculis Chriſti; ſciebat non eſſe tempus ficorum; ſciebat arborem fici non habere niſi folia: adiit nihilominus arborem, ut opera Dei hac occaſione manifeſtarentur. Chriſtus eſuriit, ut ſuam oſtenderet humanitatem; Diſcipulis mirantibus fici arborem arefecit, ut ſuam etiam notam faceret divinitatem, Diſcipulorumque excitaret fidem.

Nam 4. Chriſtus factus homo ſe à Diabolo tentari permiſit, ut exemplo ſuo nos doceret præparandos eſſe ad tentationes, eaſque ſuperandas eſſe oratione, jejunio & Dei auxilio, qui non patitur nos tentari ſupra id, quod poſſumus: ſic enim tentatus ipſe per omnia, tentatis nobis in majori commiſeratione fert opem. Tentavit quippe illum diabolus per gulam, juxtà D. Gregor. homil. 16. cùm dixit: dic, ut lapides iſti panes fiant; per vanam gloriam, cùm dixit: ſi Filius Dei es, mitte te deorſum; per avaritiam & ambitionem, cùm omnia mundi regna, & gloriam eorum oſtendit ac promiſit dicens: *hæc omnia tibi dabo.*

Ex monte autem excelſo, & momento tempo-

ris

ris diabolus omnia mundi regna, & gloriam eorum oſtendit Chriſto, cui hæc omnia jam erant notiſſima, oſtendit, inquam, non eo ſenſu, quòd dæmon iſthæc omnia videret, ſed quod ex monte plagas & ſitus ac excellentiam paucis verbis deſignaverit.

Obſervandum tentatione triplici Satanam aggreſſum fuiſſe Chriſtum. Duabus primis explorare volebat, & quidem directè, an Chriſtus foret Dei Filius: *ſi Filius Dei es*: tertiâ verò intendebat directè Chriſtum ad ambitionem, Idololatriamque inducere, indirectè autem & tacitè explorare an reverâ Chriſtus eſſet, Dei Filius: *hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me. Et reſpondens Jeſus dixit illi: ſcriptum eſt, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.*

Curioſiùs hìc agens incredulus ulteriores requiretne rationes? Dicemus ei cum Auguſtino Epiſt. 175. ad Volus. *Si autem hìc quæritur ratio, non erit mirabile: ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare. Demus Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe: in talibus rebus tota ratio facti eſt potentia facientis*. An quia Deus miſericors & bonus, an quia propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, *ſalva proprietate utriuſque naturæ in unam coeunte naturam*, ut ait D. Leo Epiſt. 24. ſuſcepta eſt à majeſtate humilitas, ab æternitate mortalitas, à virtute infirmitas, idcircò oculus Philoſophi nequam?

Obſervandum Evangeliſtas non omnia Chriſti facta referre; atque hinc geſta quædam præ aliis enarrant prout convenientia fini intento. Sic Matthæus ſcribens hebræorum gratiâ Mariæ Virginitatem, & Infantium cædem refert. Lucas verò Græcorum gratiâ calamum tenens, oſtendit fictas ac fabuloſas hiſtorias eſſe complures inter Græcos diſſeminatas,

multaque a S. Matthæo prætermiſſa recenſet.

Sic quoque D. Joannes Ebionitas aggreſſus Chriſti divinitatem negantes, prætermiſſis quæ cæteri Apoſtoli de ejus ortu, genere, vitâ & humanitate retulerunt, opera & verba recenſet, quæ ipſius divinitatem adſtruunt probantque. Quæ varietas arguit ipſos eſſe veraces, nec, quámquam diſſimiles inter ſe, ſibi adverſari.

Obſervandum quoque, Deiſtas quoſdam indecorè de S. Evangeliſtâ Matthæo ſentientes eum de ignorantiâ incuſaſſe, eò quod ſuâ in Genealogiâ plures non recenſuerit generationes. Verùm ineptè argumentantur. Evangeliſtæ enim ſcopus minimè fuit accuratam texere Genealogiam, ſed tantum demonſtrare ex Abrahamo & Davide Chriſtum ducere ortum.

Cùm verò idem ſacer Scriptor videtur non Zachariæ, ſed Jeremiæ prophetiam attribuere de Meſſiæ venditione triginta argenteis, juxta interpretes nonnullos animadvertendum eſt, Judæos ſacras Scripturas diviſiſſe in volumina tria. Porrò quodque volumen ex libro, qui in capite legebatur, nomen accipiebat; cùm autem volumen tertium Prophetas complecteretur, & Jeremias in capite legeretur, hinc Evangeliſta Zachariæ teſtimonium ſub Jeremiæ nomine potuit enunciare.

Alij tamen Interpretes tenent ſuppoſitionem illam contigiſſe ex eo quod ab amanuenſi aliquo Jeremiæ nomen in margine exaratum, deinde ex librariorum incuriâ textui aſſutum fuerit.

Eorum autem rationes hæ ſunt. 1. quia D. Auguſtinus lib. 3. de concord. Evangeliſtarum ait plura dari exemplaria latina, in quibus non legitur Jeremiæ nomen, ſed tantùm ſimpliciter *Prophetæ* nomen 2. quia Joannes Mill in editione Novi Teſt. aſſerit

per

per plura haberi exemplaria ſive Græca, ſive Latina, ſive Syriaca, & Arabica, ſive demum Perſica, in quibus non reperitur Jeremiæ nomen.

Idem ſentiunt plures alij, inter quos Cornelius à Lapide, qui cap. 2. in Zachariam aſſerit ſe vidiſſe Romæ in Bibliothecâ Angelicâ Eremit. S. Auguſt. vetuſta Biblia manuſcripta, in quibus deerat Jeremiæ nomen; neque etiam Rabbi Iſaacus in ſuo exemplari inſcripto: *munimen Fidei*, Prophetæ ejuſdem legebat nomen.

Nota, non rarò in variis Scripturæ locis nomina legi ſic aſſuta, atque intertexta: ex hoc tamen Fideles non commoveantur. Nam Fidei non obſunt, & divinâ favente Providentiâ, genuina ſemper ſuperſunt exemplaria à mendis illis immunia.

Cùm autem Matthæus iſta Chriſti verba refert cap. 23. *quem occidiſtis inter Templum & Altare*, animadvertendum eſt hic non agi de Zachariâ, quem Joſepus lib. 4. cap. 19. narrat occiſum fuiſſe in ultimâ cæde Hieroſolymitanâ, quemque auctor nefandi operis inſcripti: *Le Dictionnaire Philoſophique* vel malitiosè, vel ineptè confundit cum Zachariâ, de quo Matthæus. Zacharias enim, de quo Evangeliſta loquitur, filius erat Barachiæ: alter verò, de quo Joſephus, filius erat Baruch.

Et verò Chriſtus eò loci diſtinguit peccata commiſſa à deinde committendis. Cùm loquitur de commiſſis, ait: *quem occidiſtis inter Templum & Altare*; cùm verò de peccatis committendis verba facit, ait: *ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis veſtris*.

Chriſtus facinoribus ſua, eaque diverſa aſſignat tempora. De cæde Zachariæ loquitur ſicut de Abelis cæde; porrò hæc patrata erat, non patranda.

Chriſtus equidem hic vaticinatur. Prophetæ autem præteritum quandoque poſuerunt loco futuri: verùm Chriſtus vaticinatur hic quidem quoad facinora à Scribis & Phariſæis perpetranda, non autem jam perpetrata, nempe quoad cædes Abelis & Zachariæ; de his quippe tempora figens loquitur Chriſtus tamquam de rebus verè peractis.

Inter Deiſtas ſuetos in Religionis odium aut exſuſcitare falſas ſententias, aut objectiones, commentave exſcribere, Demarſius aſſerit Caput Lucæ ſecundum erroribus omnino ſcatere. 1. inquit Deiſta ille, Lucas dicit Cyrinum fuiſſe Syriæ Præſidem, cùm exiit edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus Orbis: de edicto attamen illo apud Tacitum & Suetonium, hiſtoricos accuratiſſimos, altum eſt ſilentium.

2. Cyrinus Syriæ Præſes renunciatus ſolùm fuit annis decem elapſis poſt mortem Herodis, ſicque Meſſias non Herodis tempore natus eſt agnoſcendus, ſed hujus tantùm deſcriptionis tempore factæ à Cyrino.

Verùm Demarſius nonniſi falſa hic loquitur. Nam 1. Caſſio Dione excepto, nullus legitur hiſtoricus, qui Cæſaris Auguſti ſceptra tenentis geſta litteris mandarit. Inſuper Dionis Caſſij deſiderantur codices ætatem præfati edicti ſpectantes: de memoratâ autem deſcriptione nonnullis conjectantibus, ſolùm locutus videtur Tacitus, cùm Cæſaris Auguſti commentarium retulit.

Cæterùm relata à S. Lucâ nec à teſtibus oculatis, aut coævis, nec proximè ſubſequentibus negata leguntur; imò edictum iſtud, ſicut & deſcriptionem in publicis Tabulariis, ſeu Archivis Romanis conſignatam aſſeruerunt Juſtinus orat. ad Antoninum, Tertullianus

nus lib. 4. adverſus Marcionem, Cyrillus lib. 6. contra Julianum, Orſius hiſt., & alij plures. Demarſius perſpicaciores habuit-ne oculos?

2. Quoad deſcriptionis memoratæ tempus ſimul & auctorem, non una quidem interpretum eſt mens. Quidam tenent deſcriptionem hanc inchoatam fuiſſe à Saturnino, ſed abſolutam ſolùm à Cyrino annis decem elapſis ab Herodis morte, atque ideo eam dici à Cyrino Syriæ Præſide factam.

Alii verò ex eo quod deſcriptio illa à S. Lucâ dicatur prima, duplicem diſtinguunt deſcriptionem, alteram ſcilicet à Saturnino factam Herodis tempore, & alteram factam à Cyrino, Syriæ tunc Præſide; de quâ ultimâ loqui intelligendus eſt Joſephus lib. 18. Antiquit.

Ut autem certò conſtet, inquiunt, Evangeliſtam verba facere de primâ deſcriptione, conſulamus hic textum archetypum. Apud Græcos ratio loquendi quâ uſus eſt S. Lucas, ſortiri utique poteſt hunc ſenſum, prout ex pluribus Scripturæ locis evincitur.

Prima hæc deſcriptio facta eſt antequàm Cyrinus foret Syriæ Præſes: vox quippe *protos*, quâ uſus eſt Evangeliſta, idem ſignificare poteſt ac *prior*, *priùs*, *ante*, *priuſquàm*, *antequàm &c.* Cùm Chriſtus ſuis Diſcipulis dixit Joan. 5. *ſi mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem odio habuit*, nonne ſenſus erat: ſcitote, quia *ante*, quia *priùs*, quia *primus* odio habitus ſum ab eo? Cùm verò Matth. 12. ait: *fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus*, ſenſus ſanè is eſt: conditio hominis illius prima minùs eſt miſera, quàm ſecunda, vel: homo ille priùs erat miſer, ſed nunc miſerior. Cùm denique, ne infiniti ſimus, 1. ad Cor. 14. dicitur: *ſi alij revelatum fuerit ſedenti, prior taceat*, attendenti patet hunc eſſe ſenſum:

ſum: qui *primus*, qui *ante* loquebatur, taceat.

Varios inter eruditiſſimos viros hujuſce interpretationis patronos numerantur Cardinalis Noriſius, Patres Pagius, & Alexander. Admiſsâ porrò hac interpretatione, jam concordat hiſtoria civilis cum hiſtoriâ ſacrâ. Sanctus Lucas deſcriptionem memorat primam, Joſephus verò ſecundam.

Alij demum tenent ſanctum Evangeliſtam loqui de deſcriptione factâ à Præſide Syriæ Cyrino, ſeu, ut græcus fert textus, factâ cùm Syriæ præſideret Cyrinus, ac de eâdem deſcriptione loqui Joſephum; verùm aſserunt ijdem Joſephum circa tempus fuiſse deceptum, quatenus exiſtimavit deſcriptionem illam accidiſse anno ſolùm 51. cùm nihilominus in rei veritate anno 42. facta fuerit. Sic proinde omnis difficultas evaneſcit.

Nec mirum, ſi Joſephus hìc arguatur erroris, cùm etiam alibi à Scripturâ ſacrâ receſſiſse deprehendatur.

## SECTIO III.

### *De Miraculis Chriſti.*

JAm obſervavimus incredulos Religionis hoſtes, in Prophetias & Miracula acriter invehi, ut eis in probandâ Religione omnem adimant vim. Verùm ſi illi Ens ſupremum admittunt, fateantur neceſſe eſt, illud eſse omnipotens, ſcire eventus temporum & ſeculorum, de futuris æſtimare; fateantur, quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia eſſe apud ipſum. Aut ita fateantur, aut ſe Deiſtas eſse non jactent, & Atheos ſe dicant.

Interim impias ſuas in Deum voces emittentes

ipſi

ipſi audiantur. Quid vetat, inquiunt, aſserere Chriſti Miracula à Chriſtianis conficta fuiſse, cùm non rarò talia confinxerint prodigia? Inſuper à ſolis Chriſtianis referuntur Miracula; nam veterum Philoſophorum perierunt monumenta, quibus Miracula eadem impugnabantur.

Verùm I. admiſso tali principio jam nulli hiſtorico fides adhibenda erit. Ex hiſtoricis quippe profanis plures nonniſi commentitias ſcripſere hiſtorias, plures nonniſi aniles referunt narrationes. An fortaſſis quia nonnulli Chriſtiani Miracula fictitia commemorant, idcirco reijcienda ſunt divina? Chriſtiani ſapientes & docti juxta critices regulas & leges, perpendunt Miracula, reſque Religionis utpote maximæ & graviſſimæ iſtud expoſtulant; verùm peracto examine illo Chriſtiani ijdem notis criticis pſeudo-Miracula expungunt à veris. Chriſti igitur Miracula ad critices ejuſdem regulas expendant increduli: ſi verâ probitate & fide præditi erunt, dicent cum Principe Judæorum: *ſcimus, quia à Deo veniſti magiſter: nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo*. Jo. 3.

Quòd ſi Miracula hiſce temporibus frequentiora non ſunt, hoc accidit, quia Chriſtiana Religio tot ac tantis jam patratis firmata, novis non indiget, ut firmetur: non tamen idcirco abbreviatum eſt Omnipotentis brachium. Equidem Atheo alicui neganti Orbem terrarum à Deo fuiſſe conditum ex eo quod hâc ætate nihil ſimile creat, ſapiens reponet, Orbis creationem argumentis inexpugnabilibus niti & probari, nec novis indigere momentis ad ſuî probationem, cùm argumentum ſit maximum atque continuum eumdem ab ipſo ſolùm Creatore conſervari.

Verùm 2. ſi Ethnicorum opera, Chriſti Miracu-

la

la impugnantia perierunt, enarrent Deiſtæ quid ſcriptum fuerit in illis adversùs Chriſti Miracula. Si Chriſtianorum machinationibus perierunt, tempus aſſignent Deiſtæ, an primis Eccleſiæ ſeculis, an immediatè ſubſequentibus: non enim quidquam probant calumniæ & mendacia.

Sanè nondum deperditis Ethnicorum libris, innumeri ferè ex illis Ethnicis, fidem Chriſti Miraculis adhibentes, facti ſunt Chriſtiani; & tamen argumenta Ethnicorum, in Patrum operibus adhuc exiſtentia, non minùs ſubtilia fuere, quàm Deiſtarum. Quòd ſi innumeri etiam ex illis, quemadmodum & ex Judæis, Chriſti operibus non crediderunt; iſtud evenit, quia Ethnici cupiditatibus, præjudiciis, Philoſophorum ſophiſmatibus, Sacerdotum fraudibus, Imperatorumque minis, quaſi vinculis, in falsâ detinebantur Religione.

Judæi verò expectantes Meſſiam tamquam terrenum aliquem Regem, errore hoc obcæcati Chriſtum ut legis violatorem deſpiciebant, & quæ operabatur Miracula, dæmonibus tribuebant. Prænuntiata fuerat à Daniele hæc illorum cæcitas: *non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt*. Cap. 9. Ex illis nihilominus permulti ſive Chriſti, ſive Apoſtolorum Miraculis & concionibus perculſi ad partes confugêre Chriſtianas.

Nec longiùs Deiſtæ procedunt, dum unà cum auctore Dictionarii Philoſophici hæc garriunt. Si Chriſti Miracula tàm certa fuiſſent, ac ſplendida, toti innotuiſſent Orbi, atque hiſtorici ſive Græci, ſive Romani, ſive etiam Judæi ea memoraſſent; de his porro omnino ſilent.

Silent equidem; ſed ſilentium nonnullorum hiſtoricorum numquam apud Judices æquos firmius & lucu-

luculentius fuit teſtimoniis extantibus plurimorum hominum, qui facti alicujus fuere teſtes oculati. Inter Græcos, hiſtorici qui prioribus Eccleſiæ ſeculis ſcripſerunt, fuere Arrianus, qui ſolas Alexandri magni ſcripto tradidit res geſtas, & Appianus, qui in ſuâ Provinciarum hiſtoriâ Judæam prætermiſit.

Inter hiſtoricos verò Romanos Tacitus, Suetonius & Plinius ſoli reperiuntur, qui de Chriſto Chriſtianiſque ſermonem habuerint. Tacitus porrò & Suetonius Romæ ſcribebant: eâ autem in Civitate bella, ſcientia Politica, ſpectacula omnium intentos tenebat animos, & Chriſtianiſmus tanquâm crimen Reipublicæ noxium ab Imperatoribus ſub graviſſimis poenis prohibitum erat. Quid igitur mirum, ſi hiſtorici illi tacuerint?

Plinius junior in ſuâ ad Trajanum Epiſtola 97. quoad Chriſtianos ait: *adfirmabant autem hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ, vel erroris, quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto, quaſi Deo, dicere ſecum invicem; ſeque ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent.*

Porphyrius cùm Chriſtianorum eſſet hoſtis infenſiſſimus ait: *mirum forſitan nonnullis videbitur quod dicturi ſumus: ſiquidem Chriſtum dici ſummè religioſum, immortalem fuiſſe prodiderunt.* Euſeb. demonſtr. Evang. lib. 3. Cap. 9.

Celſus apud Originem lib. 1. contra Celſum, Chriſtianos autumat fuiſſe incantatores; Chriſtum verò arguit eò quod Magos damnaverit, cùm eſſet criminis ejuſdem reus: tandem inquirit an Chriſtus ægrotos curaverit, mortuos ad vitam revocarit, multa hominum millia panibus ſolùm aliquot ſatia-

ve-

verit: factâ autem hac diſquiſitione, ait. *age, credamus & iſta geſſiſſe*: tum ſubdens aſſerit, ſe omnia noviſſe.

Diocles Chriſti miracula haud inficiatur, nec Chriſtianorum argumenta aliter ſolvit, quam ea aſſimilando Apollonii fallaciis. Euſeb. contra Hieroclem.

Julianus Apoſtata omnem lapidem movit, ut Chriſti Prophetias de Templi reſtauratione mendaces oſtenderet; Chriſti nihilominus Miracula non reprobavit. Ita Ciryllus lib. *6.* contra Julianum.

An verò ea approbaſſet Apoſtata ille, ſi dubitationis umbræ fuiſſet locus?

Perplura alia Ethnicorum Teſtimonia videantur apud Huetium demonſtrat. Evangel. & Patrem de Colonia libro. *La Religion Chrétienne prouvée par le témoignage* &c.

Quantùm ad Judæos, ij ſive coætanei, Miracula à Chriſto edita non negabant, ſed aut dicebant: *in Beelzebub Principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia*. Luc. 2. aut dicebant: *quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit*? Jo. 11. ſive erant Judæi ſubſequentium temporum, & ii eadem Miracula non inficiabantur. Qui Origeni erant coævi Chriſti opera arti diabolicæ tribuebant, quos tamen refellit Origenes ipſe lib. 2. contra Celſum. Talmudici mirifica eadem admittentes opera, virtuti ineffabilis nominis *Jehova* adſcribebant.

Quoad Philonis ſilentium à Deiſtis quibuſdam objectum, ſi illi attendiſſent Philonem non Hiſtoricum egiſſe ſed Philoſophum, deſinerent admirari. Is enim videtur noviſſe Chriſtum Chriſtique diſcipulos, ac Romæ cum Petro familiares habuiſſe congreſſus, & Sancti Marci, Diſcipulorumque Alexan-

dris

driæ degentium laudaſſe agendi rationem, referente Euſeb. lib. 2. cap. 16. & 17. verùm omnia ferè illius opera Chriſto Apoſtolorumque operibus habentur anteriora.

Quantùm ad celebre Joſephi de Chriſto ejuſque Miraculis teſtimonium, jam ſuperius relatum his verbis: *fuit hoc tempore Jeſus, vir ſapiens, ſi tantum virum illum oportet dicere: erat enim mirabilium operum effector* &c. ut ſupra, ubi de Danielis vaticinio pag. 210.

Præclarum hoc teſtimonium ab homine Judæo, magnique nominis auctore prolatum adulterinum eſſe critici quidam probare nituntur. Verùm ſi ad critices regulas ritè expendatur, ſuſpicio omnis de falſitate abſcedet. 1. enim textus ille in omnibus veris Joſephi codicibus, ſive manuſcriptis, ſive prælo typico expreſſis, reperitur. Si hujuſmodi textus diceretur ſuppoſititius, jam nullus foret antiquorum ſcriptorum textus à fraude & fallaciâ immunis; jam nullus haberi poterit textus, qui in ſuſpicionem adduci non poſſit.

Diximus in omnibus Joſephi codicibus veris, ſeu intactis; nam non deſunt Doctores, qui arbitrantur teſtimonium illud Joſephi aliquibus in exemplaribus deſiderari, utpote à Judæis, odio in Chriſtum, ex illis expunctum: atque ideò inter veteres inquiunt, quidam hujuſce teſtimonij mentionem non fecerunt, cùm in mendoſos codices incidiſſent. Firmat conjecturam Baronius ad an. Chriſti 34. num. 221. dicens: *in codice pervetuſto, in quo Joſephi hiſtoriæ è græco in hebraicum ſermonem translatæ, antiquitùs ſcriptæ ſunt, cùm Romæ ejus de Chriſto teſtimonium requireretur per ſummam perfidorum impudentiam abraſum inventum fuiſſe ita ut nulla ad ex-*

*excuſandum ſcelus poſſet afferri excuſatio, cùm membrana ipſa id exclamare videretur*.

2. Joſephi teſtimonium ut genuinum habuere inter veteres Euſebius, qui à Joſepho non longè diſtat Lib. 3. Demonſtr. Evang. Hieronymus in catal. Script. Eccles. Iſidorus Peluſiota lib. 4. Ep. 225. Sozomenus lib. 1. hiſtor. Caſſiodorus Senator, qui libros antiq. Joſephi in latinum idioma transferri curavit, Suidas in ſuo Lexico, & alij uſque ad nos.

Quantùm ad ſtyli diſcrepantiam, de quâ jam egimus, ubi de Prophetiis Meſſiam ſpectantibus, ſi viri illi ſagaces, Euſebius & alij tàm veteres, quàm recentiores diſſonantiam illam ſubodorati fuiſſent, an præfatum Joſephi teſtimonium pro vero & genuino agnoviſſent? Præterea periodus minimè disjuncta eſt nec aliena à contextu, ſed cohæret maximè cum iis quæ hiſtoricus narrat de Pilato, & quaſi è re ipsâ naſcitur.

Inſuper omnibus compertum eſt, quemlibet Scriptorem ſuas habere locutiones, & dictionis veluti colorem. In teſtimonio autem allato eadem reperitur orationis forma, voces eædem, phraſes & locutiones helleniſticæ & hebraicæ, ac in aliis Joſephi ſcriptis, & præſertim in poſtremis antiquitatum libris, quod accuratè obſervavit Carolus Daubecq ad calcem operum Joſephi, ubi penitùs convellit difficultatem circa hoc teſtimonium objectam, cujus inventor dicitur fuiſſe quidam Lutheri Diſcipulus, nomine Oſiander.

Obſervandum hìc Joſephum non abſolutè Chriſtum appellaſſe Meſſiam, ut perperam volunt aliqui, exinde concludentes teſtimonium non eſſe opus Joſephi, cùm ipſe ex ſectâ Phariſaicâ fuerit, nec proin tam præclarè de Chriſto ſcripſiſſe dicendus ſit.

Hæc

Hæc ſunt Joſephi verba : *ſi tamen oportet eum hominem appellare* , quæ locutio ab auctoribus eleganter uſurpatur, cùm de homine eximio loquuntur. Neque etiam his verbis : *hic erat Chriſtus* , Joſephus ſignificare voluit Chriſtum eſſe Meſſiam , ſed tantùm Chriſtum eum fuiſſe , qui mirabilium operum effector dicebatur Chriſtus. Nec aſſeruit Joſephus, Chriſtum à mortuis tertiâ die reſurrexiſſe, ſed dici Chriſtum poſt diem tertiam Diſcipulis ſuis redivivum apparuiſſe , & vates multa de eo prædixiſſe : at ex his omnibus non concluſit, ſaltem extrinſecùs, Chriſtum verè Meſſiam eſſe. Nonne Judæi Miracula Chriſti videbant & admittebant , nec tamen ut Meſſiam habebant? *Hic homo multa ſigna facit* .

Joſephus fortaſſe factorum veritate convictus Chriſtum ut verè Meſſiam , ut Deum hominem factum agnovit interius; at veritus ne Veſpaſiano diſpliceret , plura de Chriſto tacuit, imò adulans Veſpaſianum ipſum Meſſiam dixit.

Opponunt adhuc hìc adverſarii veterum quorumdam ſilentium; at fruſtra prorſus. Veteres quippe illi , inter quos Juſtinus , Tertullianus , Clemens Alexandrinus , Origenes , imò & Photius recenſentur , aut quæ momenta urgebant adversùs Judæos , ea arbitrabantur ſufficientia, aut, ut jam obſervavimus , mendoſis ac corruptis Joſephi codicibus uſi fuere, aut demum fortaſſe Joſephi exemplar nondum habuere præ manibus , cùm iis temporibus rariores fuerint Joſephi codices.

Quod attinet ad Photium , certum eſt illum in ſuâ Bibliothecâ Antiquitatum Judaicarum tantùm Epitomen , nec abſolutiſſimam , conſcripſiſſe , cùm quatuordecim priores prætermiſerit libros , ac in ſuis excerptis multa referat, quæ Joſephi fœtus non ſunt.

Cùm verò Photius idem codice 48. lib. de univerſo idcircò adjudicat Joſepho, quod de Chriſto ejuſque æternâ generatione clariùs loquatur, non affirmativè, ſed dubitanter loquitur, non ex ſuâ, ſed alienâ ſententiâ, prout jam adnotatum fuit, ubi de oraculis Prophetarum egimus quoad Meſſiæ adventum.

Non quieſcunt Deiſtæ. Joſephus, inquiunt præeuntibus Blondello & Capello, non cohæret cum antecedentibus & ſequentibus ſententiis. Joſephus loquitur de Judæorum rebellione contra Pilatum, & eorum exinde punitione; tùm collocat prædictum textum; deinde ſequuntur verba hæc: *circa eadem tempora etiam mali quippiam aliud perturbavit Judæos*.

Evidens porrò eſt iſtud aliud malum non poſſe accommodari cum Joſephi teſtimonio de Chriſto, cujus hiſtoria, utpote genti exitioſa, ſanè non deſcribitur. Evaneſcente autem hoc teſtimonio jam *malum* illud ultimum unà cum antecedenti calamitate quaſi conjunctum habetur.

Verùm iſthæc nonniſi meræ argutiæ ſunt. Joſephus more hiſtoricorum etiam nobiliſſimorum non rarò facta diſſimilia conjungit, ad rei veritatem præſertim attendens, nec ſcrupuloſè ſollicitus de tranſitionibus, ordiniſque chronologici immutatione. Sic Lib. 5. antiquit. Cap. 10., quemadmodum hìc, filum ſermonis abrumpit per verba hæc: *hebræi autem, rebus eorum in deterius lapſis, rurſus bellum movent*, quæ quidem verba cum Ruth hiſtoriâ præcedente nullo modo connectuntur.

Joſephus teſtimonium de Chriſto aptè collocavit, ſervans temporum ordinem, quem hiſtorici celeberrimi ferè ſemper ſecuti ſunt. Chriſtus ſuis ſermonibus ac Miraculis ſplendeſcere incœpit poſt ſeditionem Judæorum, ac eorum cædem, deſcriptam

ante

ante præfatum Joſephi teſtimonium, prout probat Hultevillius ex calculis Chronologicis Scaligeri & Valeſii; ac proinde hic locus erat, in quo Chriſti hiſtoria appoſitè erat collocanda: neque enim ſingula præciſè per annos digeſta explicare inſtituerat Joſephus.

Deiſtarum nonnulli objiciunt adhuc, ſed falsò, Chriſti Miracula non fuiſſe publica, & unà cum Woolſtonio aiunt, Miracula eadem in ſenſu tantùm allegorico ac myſtico eſſe accipienda.

Falsò, inquam objiciunt, nam 1. Chriſtus innumera publicè patravit Miracula. Lazarum coram Judæis palàm ad vitam revocavit, viduæ filium in plateâ civitatis Naim à mortuis ſuſcitavit, plura Judæorum millia quinque panibus ſatiavit; claudos, infirmos, ſpectante plebe, ſanavit &c. Si quandoque in abdito, ſolis teſtibus diſcipulis, quædam perpetravit prodigia, iſtud ſanè non abſque conſilio factum fuit. Si coram Herode & Phariſæis quærentibus ab eo ſigna, noluit ea edere, iſtud accidit, vel quia malè affecti ea petebant, vel ob rationes nobis ignotas, at ſapientiæ ſuæ congruentes & notas.

Nam 2. ſi Chriſti Miracula ſenſu tantùm allegorico accipienda eſſent, non autem propriâ ac nativâ verborum ſignificatione, ſi hæc reverâ non extitiſſent, cur Chriſtus ad ſua appellaſſet Miracula, ut ſuam confirmaret Divinitatem ſimul & Religionem? *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Jo. 10. Quî fieri potuiſſet, ut tot Judæi, abjectis ritibus ſuis, tot Ethnici, combuſtis ſimulacris, ad ſacra Chriſtianorum tranſiiſſent, ſi nulla vidiſſent Miracula? Cur Judæi & Phariſæi pertimuerunt videntes ſigna, quæ faciebat, ne totus mundus abiret poſt ipſum, ne omnes crederent in eum?

Equidem Patres aliqui quædam Chriſti Miracula ſenſu myſtico ad Fidelium excitandam pietatem aliquando interpretati ſunt ; at ii omnes proprio & nativo ſenſui ſemper inhærebant , & in Chriſti Miraculorum aſſerendâ veritate erant occupati , ut Religionis Chriſtianæ exinde comprobarent divinitatem ; proindeque Woolſtonii ejuſque ſectatorum opinio tanquam falſitatis ac impietatis exemplar habenda eſt .

Verùm , inquiunt iterum Deiſtæ , certitudo *non exiſtentiæ* Miraculorum major eſt certitudine *exiſtentiæ* Miraculorum eorumdem . Nam certitudo exiſtentiæ alicujus Miraculi naſcitur èx hominum teſtimonio , ſicque eſt ſolùm certitudo moralis , cùm abſolutè poſſit teſtimonium illud eſſe falſum : experimento enim quotidiano conſtat , multitudinis teſtimonium nullius eſſe ponderis . An non perplures , etſi eruditi , Miraculis Diaconi *Paris* fidem adhibuere ?

Certitudo autem non exiſtentiæ Miraculi oritur ex phyſicâ Miraculi impoſſibilitate juxta naturæ leges , quæ licèt immutabiles , mutarentur nihilominus Miraculi exiſtentiâ . Porrò certitudo phyſica major ſanè eſt certitudine ſolùm morali . Ita auctor operis nefandi : *Les pensées philoſophiques* , Freret , & plures alii .

Verùm inficiabunturne Deiſtæ illi , præcipuam ex ſanæ critices regulis ſic ſe habere : certiſſimum habeatur factum illud , quod credendum proponitur , ſi referatur à pluribus teſtibus & oculatis , atque etiam admittatur ab iis , qui diverſæ fuerint gentis , quorumque non intererat admittere factum illud ? Etenim fieri nequit profectò , ut hiſtorici tales gentis diverſæ in ejuſdem facti narratione conſpirarint , niſi verum fuerit .

Chriſti autem Miraculorum teſtes oculati fuere

Diſci-

Diſcipuli : *multa quidem & alia ſigna fecit Jeſus in conſpectu Diſcipulorum ſuorum* . Joan. 20. Signa eadem admiſerunt teſtes oculati gentis diverſæ , quorum intererat ea non admittere . *Quidam autem ex ipſis* ( Judæis ) *abierunt ad Phariſæos , & dixerunt eis quæ fecit Jeſus . Collegerunt ergo Pontifices & Phariſæi concilium , & dicebant : quid facimus , quia hic homo multa ſigna facit ?* Joan. 11. Inſuper nullum ſanè habebant illi commercium cum Chriſti Diſcipulis , qui ab ipſis tradendi erant in conciliis , & in ſynagogis flagellandi .

Itaque fallaciter ſe venditat auctor præfati operis , cùm ait , certitudinem non exiſtentiæ miraculi vincere ac propulſare certitudinem exiſtentiæ Miraculi , quia hæc ſolùm moralis , orta ſcilicet ex hominum teſtimonio , prior verò phyſica , quatenus nata ex impoſſibilitate Miraculi phyſicâ , cùm iſtud patrari nequeat , quin immutentur generales naturæ leges .

Nam Miraculum reſpectu creaturæ eſt quidem impoſſibile , cùm opus ſit ſolius Excelſi , qui , ſalvis generalibus naturæ legibus , ac ſuſpenſo ſolùm illarum curſu , Miracula utique patrare valet ; verùm ea ſic patrans minimè poteſt nos in errorem inducere , ſalvis legibus , quibus reguntur mentes humanæ , imò nec ſalvâ ſuâ Sapientiâ . Iſtarum enim legum moralium infractio à ſapientiâ & veritate æternâ prorſus eſt aliena , abſolutè eſt repugnans , & quidem metaphyſicè , cùm talis infractio fieret ad decipiendos homines , quod repugnat ex parte Dei ; neque enim elargitus eſt nobis ſenſus ad nos in errorem inducendos . Quare certitudo Miraculorum nata ex hominum teſtimonio non ſolùm moralis eſt , ſed etiam metaphyſica , non quidem intrinſecè , ſed

extrinſecè. Nam teſtimonium tot hominum teſtium oculatorum, tot teſtium gentis diverſæ, nec amicæ, quorum pleroſque intererat factum non admittere, non potuerunt homines cæteri admittere niſi convicti veritate.

Et verò tot in gratiam Miraculorum Chriſti concurrunt teſtimonia, tanti ſunt ponderis atque efficacitatis teſtimonia hæc, ut ex iis nata certitudo à nemine ſanæ mentis in dubium revocari poſſit; ut certitudo illorum labefactari minimè queat, niſi infringantur ſocietatis leges, & ad Pyrrhoniſmum recurratur.

Quantùm ad factum Diaconi Paris ne umbra quidem ſimilitudinis permittatur. Falsò ſuppoſita Diaconi iſtius Miracula confutata fuere teſtimonio publico, ac conſtanti omnium hominum ſinceræ fidei; ut patet ex inquiſitionibus judiciariis.

At Chriſti Miracula fuerunt per ſe evidentia, & omnibus obvia: *euntes renuntiate Joanni quæ audiſtis, & vidiſtis; cæci vident, claudi ambulant... mortui reſurgunt*. Miraculorum Chriſti veritatem nec Chriſtiani, nec Judæi, neque Ethnici impugnarunt, quaſi ea falſa forent. Apoſtoli miracula Chriſti etiam cum vitæ ſuæ periculo teſtati ſunt. Judæi Religioni Judaicæ addictiſſimi, Ethnici cultui falſorum Numinum, quo in ſtatu cupiditatibus omnibus indulgere poterant, Chriſtianam Religionem non ſunt amplexi, niſi prodigiorum Chriſti ineluctabili veritate impulſi.

At inquiunt Deiſtæ, teſtimonium unius tantùm hominis, teſtimonium nullum. Porrò Lazari reſurrectio à Joanne ſolo legitur relata.

Attendant verò Deiſtæ illi, animum non fuiſſe Evangeliſtis ſingula Chriſti Miracula ſpeciatim referre.

ferre. Matthæus, Marcus & Lucas equidem de Lazari reſurrectione tacuere, permulta alia referentes Chriſti Miracula, quæ ad divinam Chriſti legationem confirmandam ſufficerent. Joannes verò varia refert alia ab iiſdem Evangeliſtis prætermiſſa, inter quæ videtur ſelegiſſe Lazari reſurrectionem, ut inde præſertim probaret Chriſti divinitatem, cujus aſſerendæ causâ adversùs nonnullos ſui temporis hæreticos, juxta D. Hieronymum, conſcripſit Evangelium. Reſurrectionis Lazari teſtes oculati fuerunt cæteri Evangeliſtæ: *Lazarus amicus noſter mortuus eſt, & gaudeo propter vos, ut credatis quoniam non eram ibi: ſed eamus ad eum*. Joan. 11. Cæteri Evangeliſtæ ratum habuere factum à Joanne relatum. Ecquis enim ſibi perſuaſerit eos factos teſtes oculatos, illud tamquam ſpurium habere potuiſſe, quia non ab ipſis ſcripto relatum fuerat? Igitur non tamquam unicum hìc habendum eſt Joannis teſtimonium. Deiſtarum mens ſit recta; faceſſant cavillationes, & affulgebit ipſis veritas.

## SECTIO IV.

### *De Divinitate Religionis Chriſtianæ.*

VErum quidem eſt, quòd ab orbe condito ad noſtra uſque tempora omnes verè ſapientes, cunctique adoratores veri Numinis, eumdem unicum, ac unum Deum verum, tamquam primum omnium principium, tamquam ſupremum omnium Dominum, univerſi Rectorem, omnia proſpicientem, omnibus providentem, omnium finem ultimum, divinis coluerunt honoribus, & ſupplicibus votis ac precibus venerati ſunt. Sed obſcuratâ ſemel quoad cæteros naturali Lege, quæ, & quàm horrenda con-

ſecuta ſunt! Ne tetra hæc infandaque iterentur hic; legantur partim ſolùm relata, ubi de Revelationis neceſſitate tractavimus; ubi quoque ne populus ille quidem immunis à contaminatione legetur, quem Dominus aſcendere fecit de terrâ Ægypti, & induxit in terram Carmeli, cui iratus ait Dominus: *tranſite ad inſulas Celthim, & videte, & in Cedar mittite, & conſiderate vehementer, & videte ſi factum eſt hujuſce modi, ſi mutavit gens Deos ſuos. & certè ipſi non ſunt Dii: populus verò meus mutavit gloriam ſuam in Idolum*. Jerem. 2.

Lugent Prophetæ, clamant ad Dominum: *rorate Cæli deſuper, & nubes pluant Juſtum; aperiatur terra, & germinet Salvatorem. Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ*. Iſai. 16. & alibi: *In hoc apparuit Charitas Dei in nobis, quoniam Filium ſuum unigenitum miſit Deus in Mundum, ut vivamus per eum*. Joan. 4.

Lux eſt vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: ille eſt Meſſias Judæis promiſſus, ille eſt Dei legatus, gentibus deſideratus: ille eſt, cui Prophetiæ Meſſiam ſpectantes ſive quoad ejus adventum & ortum, ſive quoad vitam & mortem, ſive demum quoad ea, quæ ejus mortem ſubſecuta ſunt, planè conveniunt, atque invictè demonſtrant & probant Religionis Chriſtianæ divinitatem. Ut iſthæc omnia clariùs elucefcant, ſit

## PROPOSITIO I.

### *De Meſſiæ ortu, divinitate, vita & morte.*

SCripturarum tàm veteris, quàm novi Teſtamenti unus idemque eſt ſcopus, utriuſque unus idemque

que eſt finis, quatenùs unum ad juſtitiam præparat; alterum eam facit apertam. Vetus jacit fundamenta, novum ſupremam admovet manum. Quod vetus prænuntiat, novum demonſtrat adimpletum. Ex propè infinitis quædam citemus exempla.

Jacob prædicit Meſſiæ adventum cùm auferetur ſceptrum de Tribu Juda, & dux de femore ejus. Adimpleta legitur Prophetia ſub Herode, qui ſive Aſcalonita dicatur, ſeu Philiſtæus ex genere Chanaan, ſive Idumæus ex familiâ Eſau, ſemper alienigena, ſeu extraneus fuit Tribui Juda, ex qua naſciturus erat Meſſias.

Prophetiæ concinunt hæc Evangeliſtæ Matthæi verba: *cùm ergo natus eſſet Jeſus in Bethlehem Juda in diebus Herodis Regis*. Cap. 2.

Chriſtus naſci debuit ex Virgine: *ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Iſai. 7. Matthæi autem 1. habetur: *pariet autem Filium, & vocabis nomen ejus Jeſum; ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Hoc autem totum factum eſt, ut adimpleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam dicentem: ecce Virgo in utero habebit, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod eſt interpretatum, nobiſcum Deus*.

Chriſtus naſci debuit in urbe Bethlehem: *& tu Bethlehem Ephrata* (inquit vaticinans Michæas 5.) *parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur qui ſit dominator in Iſrael; & egreſſus ejus ab initio à diebus æternitatis*. Iſtud porrò impletum eſſe narrat Matthæus cap. 2. *Cùm natus eſſet Jeſus in Bethlehem Juda*. Cùm autem ſciſcitaretur Herodes, *ubi Chriſtus naſceretur, dixerunt ei* ( Principes Sacerdotum,

tum, & Scribæ populi) *in Bethlehem Judæ; ſic enim ſcriptum eſt per Prophetam.*

Meſſias prædicitur adorandus à Magis: *Reges Tarſis & Inſulæ munera offerent: Reges Arabum & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſervient ei.* Pſal. 71. Matthæi autem cap. 2. dicitur: *ecce Magi ab oriente venerunt Jeroſolymam, dicentes: ubi eſt qui natus eſt Rex Judæorum? ... at illi dixerunt: in Bethlehem Judæ... qui cùm audiſſent Regem abierunt* (in Bethlehem) *& intrantes domum invenerunt Puerum cum Maria Matre ejus, & procidentes adoraverunt eum, & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera Aurum, Thus & Myrrham.*

Meſſias prædicitur Jeroſolymam ingreſſurus ſedens ſuper Aſinam; *ecce Rex tuus veniet tibi juſtus & Salvator: ipſe pauper, & aſcendens ſuper Aſinam.* Zach. 9. Impletum autem legitur iſtud Matthæi 21. *Hoc autem totum factum eſt, ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem: dicite Filiæ Sion, ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper Aſinam.*

Daniel vaticinatur Chriſtum eſſe occidendum, populumque ejus non fore illum, qui eum negaturus eſt, atque deſolationem inde ſecuturam uſque ad conſummationem & finem eſſe perſeveraturam. Cap. 9.

Hæc porrò omnia eſſe adimpleta invictè probatur ex novo Teſtamento Matth. 27. *Tunc congregati ſunt Principes Sacerdotum, & Seniores populi in atrium Principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, & concilium fecerunt, ut Jeſum dolo tenerent, & occiderent .... Principes autem Sacerdotum & Seniores, perſuaſerunt populis ut peterent Barabbam; Jeſum verò*

*rò perderent.... Reſpondens autem Præſes, ait illis: quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt, Barabbam .... Dicit illis Pilatus: quid igitur faciam de Jeſu, qui dicitur Chriſtus? Dicunt omnes: crucifigatur ... ſanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros.*

Atque hinc habetur Lucæ 21. *Cadent in ore gladii, & captivi ducentur in omnes gentes, & Jeruſalem calcabitur à gentibus.*

Meſſias, qui prædictus eſt venturus, dicitur Juſtitia ſempiterna, Sanctus Sanctorum: *& adducatur Juſtitia ſempiterna, & impleatur Prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum.* Dan. 9.

Porrò dicitur Luc. 1. *Quod naſcetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei.* Marci autem 1. *Et erat in Synagoga eorum homo in ſpiritu immundo, & exclamavit dicens: quid nobis & tibi, Jeſu Nazarene, veniſti perdere nos? Scio qui ſis, Sanctus Dei.*

Iſaiæ verò cap. 7. habetur. *Et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Matthæi autem 1. *ecce Virgo in utero habebit, & pariet Filium: vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod eſt interpretatum, nobiſcum Deus.*

Meſſias dicitur Deus nos ſalvaturus, ac mirabilia prodigia operaturus. *Deus ipſe veniet, & ſalvabit nos: tunc aperientur oculi cæcorum, aures ſurdorum patebunt: tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Iſaias 35.

Joannis autem Cap. 1. legitur. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum ... quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem Filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus ... & Verbum caro factum eſt*, unione ſcilicet naturæ utriuſque, divinæ & humanæ in unâ Verbi Perſonâ; unde Chriſtus verus Deus, & homo verus; unus autem non converſione divinitatis in car-

nem,

nem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum; unus omninò, non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate Perſonæ. Suſcepta eſt à majeſtate humilitas, & ab æternitate mortalitas; ſicque Deus homo factus pertranſiit benefaciendo, & ſanando oppreſſos à Diabolo, faciendo ſurdos audire, & mutos loqui.

*Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur*. Math. 11.

*In nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula ... & exiliens ſtetit, & ambulabat, & intravit cum illis in Templum ambulans, & exiliens, & laudans Deum. Et vidit omnis populus eum ambulantem. Videns autem Petrus reſpondit ad populum ... Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob, Deus Patrum noſtrorum glorificavit Filium ſuum Jeſum, quem vos quidem tradidiſtis, & negaſtis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti: Auctorem verò vitæ interfeciſtis, quem Deus ſuſcitavit à mortuis, cujus nos teſtes ſumus, & in fide nominis ejus hunc, quem vos vidiſtis, & noſtis, confirmavit nomen ejus; & fides, quæ per eum eſt, dedit integram ſanitatem iſtam in conſpectu omnium veſtrum*. Act. 3.

Sic Deus dilexit mundum, ut Unigenitum Filium ſuum daret. Natum adoravere Reges; ſuſpectum ſibi Regem cruentâ infantium cæde Herodes perſecutus eſt; multi Judæorum, Samaritanorum atque Ethnicorum videntes ſigna, quæ faciebat, & audientes ſermonem ejus, crediderunt in eum: propterea cæteri tanquam multâ febre phrenetici inſaniebant in eum, *ſi dimittimus eum ſic, omnes credent in eum*. Joan. 11. Meſſiam Prophetæ prænuntiarunt Sanctum Sanctorum, Juſtitiam ſempiternam, egreſſum ejus ab initio à diebus æternitatis; eum prædixe-

dixere Deum Salvatorem. *Deus ipſe veniet, & ſalvabit nos. Hoc autem totum factum eſt, ut implerentur ſcripturæ Prophetarum.* Matth. 26.

Objicientes quidam dicunt. Juxta Aggæi & Malachiæ vaticinia Meſſias ingreſſus erat ſecundum Templum, ſeu Zorobabelicum; porrò Chriſtus Templum hoc non eſt ingreſſus, quia Joſephus lib. antiquit. ſcribit, Templum vetus, jactis novis fundamentis, fuiſſe ab Herode dirutum, novumque ædificatum.

Verùm Herodes Templum quidem vetus, ſeu Zorobabelicum per partes ac ſucceſſivè reſtituit, ſervatis etiam ex parte antiquis fundamentis, & ex parte novis repoſitis, amplificato quoque Templo. Itaque Templum ab Herode inſtauratum, quodque ingreſſus eſt Chriſtus, cenſendum eſt idem cum Templo Zorobabelico, ac Joſephus ſic explicandus eſt. Ipſi enim Rabbini duo tantùm agnoſcunt Templa, ſcilicet Salomonicum, & Zorobabelicum, & conſtanter in Talmude cæteriſque ſuis ſcriptis tenent, Templum ſecundum à Romanis everſum fuiſſe, nec Templi Herodiani unquam meminerunt.

Obſervandum Judæos recentiores hunc Michææ textum cap. 5. *& tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egredietur qui ſit dominator in Iſrael* &c. ad alium, quam ad Meſſiam detorquentes, non ſatis Patrum ſuorum revereri auctoritatem. Veteres enim illi præfatum Michææ textum de Meſſiâ ſemper intellexerunt, idque evincitur vel ex ipſo Matthæi cap. 2. *Cùm ergo natus eſſet Jeſus in Bethlehem Juda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab oriente venerunt dicentes: ubi natus eſt Rex Judæorum? .. .Audiens autem Herodes Rex turbatus eſt, & omnis Jeroſolyma cum illo; & congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas populi, ſciſcitabatur ab*

*eis*

*eis ubi Chriſtus naſceretur*; *at illi dixerunt ei* : *in Bethlehem Judæ* ; *ſic enim ſcriptum eſt per Prophetam* .

Hanc majorum ſuorum opinionem atque doctrinam ſecuti ſunt ſubſequentium temporum Paraphraſtes, Chaldæus Jonathan, Talmud in Sanhedrin libro, David Kimchi, Miſdrach, Tehillim & alii, quos citat Huetius.

Et certè vaticinium iſtud ad alium, quàm ad Chriſtum referri nequit, quia characteres in eo, ac in cæteris Prophetarum vaticiniis Meſſiam ſpectantibus expreſſi, nulli alteri aptari poſſunt. Cui enim alteri? Non Cyro, qui jam è vivis exceſſerat, cùm Meſſias venturus fuit prænuntiatus, ſeu nondum inchoatis ſexaginta & novem hebdomadibus; nec etiam Ezechiæ Regis Achaz filio, utpote nato ante Meſſiam annuntiatum; non Iſaiæ filio nomine Jeſus, cùm pariter filius iſte Iſaiæ natus fuerit prior, nec Iſaias uxorem ſuam unquam appellat Virginem, ſed tantùm Propheti ſſam; non Zorobabeli, qui non Bethlehemæ, ſed Babylone natus eſt; nec etiam ejus ætate defecerunt Hoſtia & Sacrificium, imò potiùs, Templo tunc inſtaurato, Sacrificiorum uſus refloruit; neque demum Jeſu Joſedeco, qui equidem Meſſiæ typus & figura in aliquibus fuit, at minimè Meſſias, utpote non natus eâ ipsâ temporis periodo, quam aſſignavit Daniel.

Inſuper nullus horum omnium dici potuit *Sanctus Sanctorum*, *Juſtitia ſempiterna*, *auctor novi fœderis*, *peccatum expiaturus*, *Chriſtus .... qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula*. Iſai. 9.

Obſervandum item, Chriſtum etſi in Bethlehem natum, dici etiam Nazaræum, quia Joſeph *audiens quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre ſuo*, *timuit illò ire*, *& admonitus in ſomnis ſeceſſit in*

par-

*partes Galilaæ: & veniens habitavit in Civitate, quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur*. Matth 2.

Deſipientes porrò reputandi ſunt illi, qui cum Boldino aſſerunt, neutiquam ad cenſum ratione edicti Cæſaris Auguſti, de quo Lucæ cap. 2. vocatos fuiſſe peregrinos, aut ſocios, aut vectigales; imò nec fœminas in cenſum veniſſe, prout conſtat, inquiunt, ex Suetonio cap. 41.

At Suetonius loquitur ibi de cenſu, qui nec more, nec loco ſolito habebatur, prout conſtat ex Suetonio ipſo cap. 42. ideoque non de cenſu in Evangeliis relato. Item obſervat Livius lib. 3. cap. 37. Conſulibus Valerio Meſſalâ & Livio Salinatore, Campanos ex Sen. Conſ. cenſeri Romæ coactos fuiſſe, cùm incertum eſſet ubi cenſerentur. Falſum eſt ergo neminem fuiſſe coactum causâ censûs mutare domicilium.

Cùm verò Livius dicit præter orbos & orbas, ſeu pupillos & viduas, omnes abſolutè fœminas non excludit, quia fœminas, familiares, liberos &c. in cenſum veniſſe teſtantur Dyoniſius Halicarnaſ. lib. 1. & 5., ſicut & Tullius lib. 3. de legibus.

Objiciunt hic increduli cum Orobio Judæo, certum non eſſe Chriſtum ex Davide natum eſſe, quia ex Matthæo Joſephus, vir Mariæ, *de qua natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus*, filius eſt Jacobi, qui per Salomonem oriebatur ex Davide. Ex Lucâ verò Joſephus filius eſt Heli, ex Davide per Nathanem geniti: ergo pugnant ambæ ſecum Genealogiæ illæ.

Conveniunt Judæi Meſſiam de ſemine Abrahami, Iſaaci, Jacobi, Judæ & Davidis naſciturum eſſe; at cæcutientes jam natum eſſe negant. Increduli irreligionis causâ malignantes natum & naſciturum negant. Apoſtoli Genealogias Chriſti coram Judæis frequentiſſimè te-

ſtati

ſtati ſunt: eas Judæi noverant, aut illarum veritatem facillimè inquirere poterant; ab eis nihilominùs nullibi leguntur negatæ; ergo quia dubiæ non erant.

Increduli tamen quaſi acutiores & perſpicaciores, Genealogias tot ſeculis à nobis diſtantes impugnare audent, vana & falſa eructant, & ſectatoribus tàm præſentibus, quàm futuris relinquunt temeritatis exempla imitanda.

Matthæus Joſephi Genealogiam texuit per Davidem, Salomonem & Jacobum: *Jacob autem genuit Joſeph*; quare Joſephus Jacobi filius fuit naturalis, ideoque Evangeliſta uſus eſt voce *genuit*.

Lucas verò Joſephi Genealogiam exhibet per Heli, ſeu Eliacim, vel Joachim Mariæ Patrem; tria enim hæc nomina ſignificationis ſunt ejuſdem apud Hebræos, prout conſtat exemplo ſummi Sacerdotis viventis tempore Manaſſe, appellatique Hil, Elcias, Eliakim & Joachim.

Jacob porrò propinquus Heli ſine prole defuncti, uxorem duxerat, ex eoque connubio natus eſt Joſephus, atque idcirco Heli filius erat legalis, juxta legis Moſaicæ præceptum; unde Lucas non utitur voce *genuit*, ſed ſolùm *qui fuit*, ſeu dictus fuit etiam Heli filius. Ita ſentiunt omnes ferè Patres.

Neuter autem Evangeliſta Mariæ Genealogiam texuit, quia Joſephi & Mariæ propinquitas ita nota erat, ut textà Joſephi Genealogiâ texta quoque Mariæ Genealogia cenſeretur.

Dicimus *Propinquitas*, quia cùm familiæ Salomonis & Nathanis per Salathielem, & Zorobabelem fuerint unitæ, eorum poſteri Jacob & Maria ortum ducebant tùm ex Salomone, tum ex Nathane; unde beata Virgo genere paterno ex Davide per Nathanem, item ex Davide quoque per Salomonem

ortum

ortum ducebat; atque hinc Chriſtus tùm per Salomonem, tùm per Nathanem ex Davide natus eſt.

Quæritur hic 1. quomodo Beata Virgo potuerit eſſe cognata Eliſabeth, cùm Maria fuerit de Tribu Juda, Eliſabeth verò de Tribu Levi.

Non una hic Doctorum reſponſio. Auguſtinus lib. 7. in lib. Judic. quæſt. 47. dicit ſolitas fuiſſe fœminas nubere viris de quacunque Tribu; ſicque unam de Tribu Aaron nupſiſſe viro de Tribu Juda, & inde manaſſe propinquitatem Mariam inter & Eliſabeth: quo autem gradu non aperit Auguſtinus.

Hippolytus Epiſcopus & Martyr, referente Nicephoro lib. 2. hiſtor. dicit, Annam & Eliſabeth Matrem duas fuiſſe ſorores; ſicque Beata Virgo & Eliſabeth ex parte Matrum erant de Tribu Aaron, & cognatæ; ſed beata Virgo ad Tribum Juda pertinebat, quia patrem habuit Joachim de Tribu Juda.

Quæritur 2. cur Matthæus ſuam texuerit Genealogiam deſcendendo; Lucas verò ſuam aſcendendo? Divus Auguſtinus lib. 2. de conſenſu Evangeliſt. Cap. 4. reſpondet, Matthæum repræſentare voluiſſe Chriſti adventum in carne, quam ad nos deſcendens aſſumpſit; Lucam verò ſignificare voluiſſe, Chriſtum Sacerdotem; atque ideo generationem ejus narraſſe aſcendendo.

## Propositio II.

### *De Chriſto Legislatore.*

Gemitibus, ſuſpiriis ac precibus Juſtorum placatus eſt Deus in medio annorum: *non enim* (ait D. Auguſtinus Tract. 31. in Jo.) *parvum aliquid venturum fuit. Diu fuerat* (Meſſias) *prædicandus*,

 *ſem-*

*ſemper tenendus. Quantò major Judex veniebat, tantò præconum longior ſeries præcedebat.* Rorant Cœli deſuper, Deus tandem mittit quem miſſurus erat. Deſideratus cunctis gentibus, tandem apparere dignatus eſt. Chriſtus fit hoſtia non tantùm pro peccatis noſtris, ſed & pro totius mundi. Non tantùm lux eſt vera, quæ illuminat ſedentes in tenebris, & in umbrâ mortis, ſed & omnem hominem venientem in hunc mundum. Rex eſt, Dux & Legifer noſter, cujus egreſſus à diebus æternitatis, cujus imperium in omnes gentes, cujus poteſtas æterna, cujus regnum non armis & opibus præpotens, ut cæcutientibus placeret Judæis, non terrenum, non temporale & caducum, ſed ſpirituale & æternum, munificum & liberale, fidem interiùs occultâ gratiæ ſuæ ſubminiſtratione ſuadens, mores mandatis ſuis novis inſtaurans, mortales docens expoliare veterem hominem, & induere novum ſecundùm imaginem ejus, qui creavit illum, mortales docens viam veritatis, & adorare Deum in ſpiritu & veritate, ſectari juſtitiam & charitatem, pacem & tranquillam vitam, demum & præmia adipiſci æterna.

Iſthæc omnia prænuntiarunt Prophetæ, ſancti homines Dei: *ego autem*, ait Michæas, *ad Dominum aſpiciam, expectabo Deum Salvatorem meum*. Cap. 7. *& tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael*. Ibid. cap. 5.

*Feriam vobiſcum pactum ſempiternum . . . . ecce teſtem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus*. Iſai. 15. Danielis verò cap. 7. *omnes populi, tribus, & linguæ ipſi ſervient: poteſtas ejus poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur*.

Orie-

*Orietur in diebus ejus Juſtitia & abundantia Pacis*. Pſal. 71. Iſaias autem: *ſuper te orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur, & ambulabunt gentes in lumine tuo*. Cap. 60.

*Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Juda fœdus novum, non ſecundùm pactum, quod pepigi cum Patribus eorum, ſed hoc erit pactum, quod feriam . . . dabo legem in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.*

Porrò, *quod ante promiſerat* (Deus) *per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis de Filio ſuo*, adimpletum pariter legitur ſacris in paginis. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in Terra: euntes ergo docete omnes gentes*. Matth. 28. Lucæ verò cap. 9. *Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare. Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius*. ad Rom. 3. *qui delevit, quod adversùs nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci*. Ad Coloſſ. 2. Legislator, & Judex noſter, Religionis mundæ, & immaculatæ auctor, Sacerdos in æternum, & hoſtia: *translato autem Sacerdotio neceſſe eſt, ut & Legis translatio fiat*. ad Hebræ. cap. 7. *& ideo novi Teſtamenti mediator eſt* Ibid. 9. *Dicendo autem novum, veteravit prius*. Ibid. cap. 8.

Teſtamentum porrò hoc novum, Religio hæc nova, munda & immaculata, eaque unica modò vera.

Verùm, inquiunt adverſarii, prætermiſſis pluribus aliis momentis, Meſſias verus non ut Legislator prædicitur à Vatibus ſacris venturus, ſed ut Liberator à captivitate.

*Cùm ergo venerint ſuper te omnes ſermones iſti... & ductus prœnitentia cordis tui . . . reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam, ac miſerebitur tui, &*

*rurſùm congregabit te de cunctis populis, in quas te ante diſperſit; ſi ad cardines cœli fueris diſſipatus, inde te retrahet.* Deuter. 30.

Proinde, eſto Chriſtus fuerit Legislator, non tamen Meſſias à Prophetis annuntiatus.

Verùm etiam Prophetia hæc de Judæorum diſperſione, de Judæorum pœnitentium in patriam reditu, in ſenſu proprio intelligenda eſt de captivitate Babylonicâ. Iſtud conſtat ex Cap. 1. lib. 2. Eſdræ, ubi habetur.

*Vanitate ſeducti ſumus, & non cuſtodivimus mandatum tuum... memento verbi, quod mandaſti Moyſi, ſervo tuo, dicens: cùm tranſgreſſi fueritis, ego diſpergam vos in populos, & ſi revertamini ad me, & cuſtodiatis præcepta mea, & faciatis ea, etiamſi abducti fueritis ad extrema Cœli, inde congregabo vos.*

Ita, ut patet, interpretatur vel Nehemias ipſe. Et verò Judæi tunc Diis ſerviebant alienis, Belo &c. nunc autem non ſic, ac proinde iſta minimè præſenti conveniunt illorum ſervituti.

Quantùm ad momenta ab aliis prætermiſſa, hi non eâdem incedunt fictionis viâ. Quidam ſibi fingunt, verum Meſſiam tanquam bellatorem venturum eſſe, & victorem ſuper ſolium David eſſe ſeſſurum; Angelum ante Meſſiam eumdem eſſe mittendum; Gog & Magog tunc temporis eſſe conterendos, & Solis lucem fore ſeptuplo majorem.

Aliqui verò duplicem admiſerunt Meſſiam, alterum ſcilicèt Deum, alterum verò Meſſiam propriè dictum, ſeu Chriſtum Davidis filium, Principem præpotentem, ac Iſraelitici regni vindicem

Alii volunt Meſſiam venturum quidem eſſe poſt ſeptuaginta hebdomadarum ſpatium, non tamen tempore præcisè determinato, ſed indeterminatè ac in-

de-

definitè, cùm nempe reſipiſcent Judæi, ac ſeriam agent pœnitentiam.

Ne longiores ſimus in commentis talibus referendis, ad Danielis vaticinium confugiamus. Hujus enim Vaticinii ſeries continuata, nec interrupta, minimè patitur duplicem admittendum eſſe Meſſiam, nec niſi intra indefinitum temporis ſpatium Meſſiam eſſe ſolummodò venturum.

Daniel tam dilucidè unum & eumdem deſignat Meſſiam, tam diſertè diſtinguit hebdomadas illas, & quidquid intra periodos illarum eventurum eſt, ſcilicèt intra ſpatium ſeptem hebdomadarum Civitatem rurſus ædificandam; poſt hebdomadas verò ſexaginta duas venturum eſſe Meſſiam, & occidendum; tandem in mediâ ultimâ hebdomadâ finem hoſtiis & ſacrificiis imponendum eſſe; ut objecta à Judæis nonniſi contortè excogitari potuerint.

Equidem in Scripturis ſacris numerus certus quandoque ſumitur pro incerto, at minimè hìc, ut attendenti patet. Et verò Judæorum ſpes & cogitatio omnis in adventum hunc intenta atque erecta erat. Porrò ſi adventûs annorum indefinitus fuiſſet numerus, nonne ſemper hæſiſſet ſuſpenſa atque incerta Judæorum ſpes & expectatio? Inſuper ſeptuaginta hebdomades illæ in certos quoſdam eventus hiſtoricos diſtribuuntur; neceſſe ergo eſt, annorum numerum non indefinitum eſſe, ſed certum ac determinatum.

Quantùm ad Meſſiam ut Regem, non una Judæorum ſententia eſt. Plures eum merè terrenum Regem futurum, eumque præpotentem bellatorem ac victorem fore arbitrati ſunt. Iſtud autem infertur ex nimio rerum terrenarum affectu, non ex collatis inter ſe Prophetarum oraculis, quæ ſenſu proprio accepta, de regno ſolùm ſpirituali ſunt intelligenda.

*Deus ipſe veniet, & ſalvabit nos . . . & ait ibi ſemita & via, & via ſancta vocabitur: non tranſibit per eam pollutus, & hæc erit vobis directa via.* Iſai. 35.

Plures verò alii inter quos Bereſithrabba, Salomon Jarchi in expoſit. ad Gemaram Sanhid, Rabbi Moyſes, & Talmudici fatentur Meſſiam futurum eſſe deſpectum, doloribus confectum, & opprobriis ſaturatum. Illud autem dicunt hocce Iſaiæ vaticinio ducti, agnoſcentes illud Meſſiam ſpectare.

*Deſideravimus eum: deſpectum & noviſſimum virorum: virum dolorum, & ſcientem infirmitatem . . . vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit . . . ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates, & propter ſcelera noſtra . . . & livore ejus ſanati ſumus.* Cap. 53.

Chriſtus verè Salvator fuit & Redemptor Iſraël, licèt à Synagogâ rejectus. Venit ſalvaturus reverâ Judæos ſicut & homines cæteros. Pro omnibus pretium ſolvit. Judæorum quidam in eum crediderunt, cæteri nec eum reputaverunt, nec recipere voluerunt: ſicque *factus eſt in ruinam Iſraelis*, eum rejicientis.

*Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum: oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Ibid. At prænuntiaverat Daniel: *& non ejus populus, qui eum negaturus eſt.*

Ad Chriſtum fluent omnes gentes. In univerſum mundum miſſi ſunt Apoſtoli: *prædicate Evangelium omni Creaturæ.* Marc. 16. Ferè quotidie Religionis Chriſtianæ præcones remotiſſimas petunt orbis regiones. In omnem ferè terram modò exit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Si quæ natio ſedet adhuc in tenebris, ſpes eſt firma

in

in Dei miſericordiâ fore ut tandem aliquando Evangelii ſplendor ibi etiam illuceſcat; ſicque repleatur terra univerſa Domini ſcientiâ.

Quoad Angelum, Meſſiæ præcurſorem, ipſe eſt Joannes Baptiſta: *& erat Joannes veſtitus pilis cameli ... & prædicabat dicens: venit fortior me poſt me, cujus non ſum dignus procumbens ſolvere corrigiam calceamentorum ejus ... ille baptizabit vos in Spiritu Sancto*. Marc. 1.

Dicitur autem Angelus, quia quicunque mittitur à Deo mandata executurus divina, Angelus vocari poteſt, ut obſervant SS. Patres. Fuit porrò Joannes homo miſſus à Deo; *hic eſt, qui dictus eſt per Iſaiam Prophetam dicentem: vox clamantis in deſerto, parate viam Domini*. Matth. 3.

Cùm autem Iſaias ait cap. 30. quod lux Solis erit ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierum, Interpretes aliqui, imò & Rabbini dicunt exponentes textum, Judæos ex captivitate Babylonicâ redeuntes ſub Eſdrâ, tantâ afficiendos eſſe lætitiâ, ut lux Solis videatur illis ſeptuplo major.

Alii verò textum eumdem intelligunt de die Judicii ultimo, & de hominum reſurrectione; ſicque evaneſcit objectio.

Quoad Gog & Magog, à vero prorſus alienum eſt aſſerere Ezechielem Cap. 38. loqui de Meſſiâ. Verba enim Prophetæ referenda ſunt ad eos Reges, qui poſt captivitatem Babylonicam Judæos novis calamitatibus oppreſſerunt, quales fuere Reges Syriæ, & populi Aſiæ minoris. Qui plura ſcire voluerit quoad Gog & Magog, legat præſertim Cornelium à Lapide ſuper Ezechiel. cap: 38. & 39.

Certiſſimum hoc porrò habeatur, Chriſtum Meſſiam non veniſſe armis & opibus debellaturum

Imperia & Regna, Principes & populos: *Regnum meum*, inquit, *non eſt de hoc mundo*. Rex eſt pacificus, Salvator eſt, ſed non bellator; novi fœderis auctor eſt, Legifer eſt, ſed in ordine ad æternam ſalutem.

*Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, & deduceres de concluſione vinctum, de domo carceris ſedentes in tenebris.* Iſai. 42.

*Ecce dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ*. Ibid. cap. 49.

Chriſtus Agnus eſt & Paſtor, Sacerdos eſt æternus, & Hoſtia nova, non in animalium cruore, ſed in proprio ſanguine.

*Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam Domui Iſrael & Domui Juda fœdus novum, non ſecundùm pactum, quod pepigi cum Patribus eorum... dabo Legem in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam*. Jerem. 31.

*Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra; ab ortu enim Solis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus: & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*. Malach. 1.

*Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius; qui delevit quod adversùs nos erat Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud Cruci*. ad Coloſ. 2. Et Chriſtus ipſe: *hic eſt ſanguis meus novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Matth. 26.

Quare, cùm ibidem Cap. 10. Chriſtus ait: *non veni pacem mittere, ſed gladium*, ſenſus eſt: non venit pacem mittere temporalem, & Religioni ſuæ, ſeu a ſe inſtitutæ inimicam: *quæ enim participatio*

*Juſti-*

*Juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial? aut quæ pars Fideli cum Infideli*. 11. ad Cor. cap. 6.

Iſthæc audiant Deiſtæ, Tolerantiæ patroni, nec tamen inferant perpèram Societatis inimicam prorſus eſſe Religionem Chriſtianam: iſtud enim falſiſſimum eſſe poſtea demonſtrabitur.

Interim audiatur Chriſtus, pluries ſubinde audiendus.

*Diliges proximum tuum ſicut te ipſum*. Matth. 12.

*Diligite inimicos veſtros: benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos*. Ibid. Cap. 5. Loquatur & Apoſtolus: *ſi fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes*. ad Rom. 12.

## SECTIO V.

*De variis momentis divinitatem Religionis Chriſtianæ demonſtrantibus.*

INter varia illa momenta recenſentur Chriſti Sanctitas, Prophetiæ & Miracula, Doctrinæ Chriſtianæ excellentia, ſanguis Martyrum effuſus, Religionis Chriſtianæ mira propagatio, auctorum profanorum teſtimonia, & falſorum Oraculorum ſilentium. Itaque ſit.

### Propositio I.

*De Religionis Sanctitate.*

QUamquàm, prout jam diximus ubi de neceſſitate Legis poſitivæ egimus, Lex naturalis

er-

errori non ſit obnoxia; quamquàm, ſi ita Deus voluiſſet, potuerint homines, opitulante Dei gratiâ, abſque exteriori Lege ad æternam pervenire lætitiam; tamen vix homo creatus eſt rectus, cùm & illico reus factus eſt. Propagaturne genus humanum? Univerſalis ferè augetur prævaricatio; fraternâ cæde cruentatur manus; cæcæ noctis, matris ſcelerum, denſiores fiunt ſenſim tenebræ; vindices intumeſcunt aquæ, at finem non videt peccati colluvies. Clamor Sodomæ & Gomorrhæ multiplicatur, & peccata ingraveſcunt; ſicque de malis in mala præceps ruit totum ferè genus humanum: eriguntur excelſa, Diis alienis thus offertur; philoſophi à verâ aberrantes ſapientiâ aberrantibus fiunt duces; itaque non eſt qui recogitet corde, excepto Iſraelitâ.

Memor tamen ſemper Dominus miſericordiæ ſuæ, Legis naturæ renovat præcepta; populo adhuc fideli tradit in tabulis ſcripta præcepta, quibus varia addit poſitiva. Nec ſolùm erga Iſacidas miſericors Deus, omnes enim vult ſalvos fieri, quia non Judæorum tantùm eſt Deus, ſed etiam Gentium; quibus etiam non ſine teſtimonio relinquit ſemetipſum, benefaciens omnibus, de Cœlo dans pluvias, & tempora fructifera, implens cibo & lætitiâ, ita ut Deum Creatorem ſuum ſemper quærere, invenire & adorare potuerint.

Verùm quid eſt homo, ut ſic Deus ſit memor ejus? Ex hominibus plurimi nolentes ampliùs legere ſcriptam in ſuis cordibus Legem, neque Omnipotentis opera attendentes, Deos ſibi fecerunt alienos, nec Iſraël ipſe expers Idololatriæ. In Idumæâ lauros lætâ colligit manu, in Samariâ Deorum vana multiplicat ſimulachra, Pſeudo-Prophetæ ejus vident vana, & divinant mendacium.

Nun-

Nunquid propter abominationes iſtas iterum Cœli ultrices non aperientur cataractæ? Nunquid ignis non ſuccendetur iterum in furore Domini, ut mortalium omnium memoria ipſa exſtinguatur? Iratus quidem Dominus; at miſericordiam faciet, ne perdat quos condidit; quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis de Filio ſuo, adimplevit.

*Apparuit Gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria ſobriè, & juſtè, & piè vivamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem.* ad Tit. 2.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ducem & Paſtorem, Salvatorem & Redemptorem, ut per viſcera miſericordiæ oriens ex alto illuminaret per ſcientiam Legis adhuc novæ & Religionis ſanctæ ſedentes in tenebris, & in umbrâ mortis.

Et reverâ Religionis hujus auctor eſt unigenitus Dei Filius, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero. Religionis ejuſdem mandata divina & omnia ſancta: Sanctitas quippe ejus relucet tùm in ſuo Auctore, qui fons eſt & origo omnis ſanctitatis, tùm in ejus fine, nempe cultu divino, & hominis ſanctificatione, tùm in ejus doctrinâ, præceptis, conſiliis, Sacramentis & moribus, quæ omnia ſanctitatem undequaque ſpirant, exprimunt & probant. Quòd ſi aliqui in eâ ſint tanquam paleæ in frumentis, illorum vitia & prævaricationes in ipſam Religionis conſtitutionem refundi nequaquam debent, cùm Religio ad ſanctitatem inſpirandam tota ſit, ac deſudet: *vocavi, & renuiſtis,*

Verùm increduli (1) modò, ut jam obſervatum fuit

(1) *Bayle Reflexions ſur la Comète.*

fuit, ſaltem quoad plurimos, ſolam invocant Religionem naturalem, at ſpecioſè prorſus, non enim aliud ſunt, quàm dealbata ſepulchra; modò Chriſtianam Religionem exhibent tanquam Societati cuicunque inimicam, & tyrannidem appellant.

At quàm nefariè pervertant verba Domini, & opus ejus horum perverſorum dogmatum cultores, ex his quæ ſequuntur teſtimoniis, dilucidè & perſpicuè patet.

*Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem ſicut dilexi vos; ut & vos diligatis invicem. In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Joan. 13.

*Mandata noſti: non occides, non mœcaberis, non furtum facies, non falſum teſtimonium dices: honora Patrem tuum & matrem.* Luc. 18.

*Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos. Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt. . . . dimittite, & dimittemini; date, & dabitur vobis.* Ibid. 6.

Et profectò Verbi divini propter noſtram ſalutem caro facti tota Doctrina, tota Religio ab eo inſtituta eò collineat, ut unus honorificetur Deus, ut homines ſanctè, juſtè & piè vivant, ſicque præmia adipiſcantur æterna. Religio hæc, ut jam obſervavimus, pueros quaſi pueriliter, Juvenes fortiter, ſenes quietè, prout eſt cujuſvis ætas, omnes exercet

---

*Liv. de l' Eſprit.*
*Diſcours ſur la vie heureuſe.*
*Encycloped. Tom. 5. mot.* Religion.
*Les Moeurs.*
*Lettres ſur la mont. contrat Social, Emile.*

cet ac docet: fœminas viris ſuis ſanctâ ac fideli ſubjicit obedientiâ: viros conjugibus ſinceri immaculatique amoris legibus præficit: filios parentibus ſanctâ ac liberâ quâdam ſervitute ſubjungit: parentes verò filiis piâ & virili dominatione præponit: fratres fratribus vinculo firmiore, quàm ſanguine nectit: omnem generis humani propinquitatem, ſervatis naturæ & voluntatis legibus, mutuâ charitate conſtringit: dominis ſervos non tam conditionis neceſſitate, quàm officii amore docet adhærere: dominos ſervis, ex Dei communis ac ſupremi omnium mortalium Domini conſideratione, placabiles, miſericordes, & quaſi ſodales facit: cives civibus, homines hominibus, ſanos ægris, liberos in carcerem conjectis, divites pauperibus, gaudentes lugentibus fraternâ quâdam conſuetudine conjungit. Reges docet, tanquam patres proſpicere populis, populos ſe ſubdere Regibus: quibus honor debeatur quibus amor, quibus timor, quibus admonitio, quibus objurgatio, quibus pœna; & quamquàm non omnibus omnia communia, communis tamen omnibus charitas, ut ab omnibus honorificetur Deus, omnium Pater, qui reddet unicuique ſecundùm opera ejus.

An hæc, innumeraque alia his ſimilia indicant Religionem Chriſtianam ſocietatis cujuſcunque eſſe inimicam, & tyrannidem eſſe?

Audiantur præſumpti Societatis patroni, ac defenſores. Lex, inquiunt, præcipiens, ut honorentur parentes, non præcipit, ut amentur. Infantes rationis uſum adepti à paternâ eximuntur poteſtate. Dux rationis habeatur ipſa natura, ſicque virtute præditus erit filius, & filia honeſtiſſima. Socialis ac ſacri inter conjuges fœderis diſſolutio, res maximè

optan-

optanda. Polygamia prohibita ratione ſumptuum. Memores homines ſtatûs primitivi repetant nemora: ibi ferarum more victuri: liberi ſunt, nec ulli ſubduntur poteſtati. Ne autem portenta hæc naturæ, rationi, ac legitimæ ordinationi horrorem incutiant, ajunt: hominem non hic conſideramus in eſſe morali, ſed in eſſe phyſico. (1)

Sed hæc fictè, ac diſſimulatè; neque enim agnoſcunt ullum eſſe morale, neque admittunt. Veritas & virtus, inquiunt, tales ſolùm habeantur, cùm commodo perſonali ac proprio inſerviunt. Secluſis legibus politicis, virtutis & vitii nulla diſtinctio; omnia prorſus licita. Scientia moralis, frivola ac futilis ſcientia. Sicut unica vita, ita & una ſolùm felicitas. Opinio de Dei exiſtentiâ non ab omnibus admittitur & probatur. (2)

An horrenda iſta Societatibus amica? Annon ad omnem diſſenſionem, rebellionem & rerum publicarum perturbationem, ad flagitia & ſcelera omnia tutam parant viam? Sic monſtroſi Philoſophi illi univerſum orbem ſunt illuminaturi; ſic filios inſurgere in parentes, cives in cives, ſubjectos in ſceptra tenentes ſunt edocturi, & bellum in ſtatu quolibet exſuſcitaturi.

*Homo perverſus ſuſcitat lites, & verboſus ſeparat*

---

(1) *Les Moeurs.*
*Encyclopedie au mot.* Gouvernement.
*La vie heureuſe.*
*L' inégalité des hommes.*
(2) *L' Eſprit.*
*La vie heureuſe.*
*Lettres Philoſophiques.*
*Reflexions ſur l' exiſtence de l' Ame & de Dieu.*

*rat. Principes. Vir iniquus lactat amicum ſuum, & ducit eum per viam non bonam.* Prov. 16.

*Generatio prava, atque perverſa! Hæccine reddis Domino, popule ſtulte & inſipiens? Nunquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creavit te?* Deuter. 32.

Et nondum quieſcunt. Cùm enim ſuſcepta fuerit à Majeſtate ſupremà humilitas, à virtute infinità infirmitas, & ab æternitate mortalitas, ipſi, oculo adhuc nequam: Deus, inquiunt, permittere certè non potuit unquam, ut Unigenitus ſuus inter ſceleratos expiraret.

Verùm nonne vates ſacri iſta prædixerant? Daniel prænuntiaverat occidendum. Iſaias prædixit fore virum dolorum; propter iniquitates noſtras vulneratum & attritum iri, illum inter ſceleratos eſſe reputandum, & pro ipſiſmet tranſgreſſoribus eſſe rogaturum, illum fore hoſtiam pro omnibus, quia ipſe volet; illum dandum eſſe in fœdus novum, in lucem gentium, ut aperiat oculos cæcorum, ut deducat de concluſione vinctum, de domo carceris ſedentes in tenebris. A Daniele dicitur Juſtitia ſempiterna, Sanctus Sanctorum; Deus verè abſconditus. *Egreſſus ejus*, inquit Michæas vates, *à diebus æternitatis*. Dicitur *Emmanuel, quod eſt interpretatum, nobiſcum Deus*.

An quia increduli abutuntur Philoſophià in ſuperbiam, an quia Dei profunda longè ſuperiora ſunt Mathematicis demonſtrationibus, idcirco Brachium Excelſi abbreviatum eſt? Qui ſunt homunculi illi, ut audeant dicere: nunquid poterit Deus mittere Filium proprium? Verùm nunquid incredulitas illorum conſilia Dei, ac judicia incomprehenſibilia evacuabit?

Deus ſanè potuit permittere illud, quo ſe dif-

fun-

funderet, & communicaret modo perfectiſſimo, utpote bonum infinitum, quo reſplenderent omnes divinæ perfectiones, Omnipotentia, Sapientia, Bonitas, Juſtitia, & in primis Miſericordia. *Cùm enim Deus*, inquit S. Auguſtinus, *ſit Omnipotens, plus dare non potuit; cùm ſit Sapientiſſimus, plus dare neſcivit; cùm ſit Ditiſſimus, plus dare non habuit.*

*Sic Deus dilexit mundum*, ait Joan. cap. 3. *ut Unigenitum Filium ſuum daret.*

Verè Salvator tùm Incarnatione ſuâ, nam unicè propter noſtram ſalutem diſcendit de Cœlis, & incarnatus eſt, tùm vitâ ſantiſſimâ ſuâ. Fuit enim: *Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior Cœlis factus*. ad Hebr. 7.

Tùm etiam doctrinâ ſuâ omnium Philoſophorum etiam ſagaciſſimorum doctrinâ quàm longiſſimè ſuperiori atque excellentiori: quare in Synagogâ Judæi *ſtupebant ſuper doctrina ejus: erat enim docens eos... non ſicut Scribæ.*

Et verò ſanctiſſimus fuit Chriſtus. Fuit, ut jam diximus, Juſtitia ſempiterna, Sanctus Sanctorum; ergo & doctrina ejus ſanctiſſima. Hæc rationi etiam conſentanea, ſi propiùs animum advertamus. In iis, enim, quæ Deum ſpectant ratio docet ipſum exiſtere, ac unicum Cœli & Terræ, & omnium, quæ in eis ſunt, Creatorem eſſe, & omnia regere creata; ipſum ſummè potentem eſſe & bonum; ipſum juſtiſſimum eſſe virtutis remuneratorem, & ſceleris vindicem; ipſum ex toto corde, & ex totâ mente eſſe colendum; ſpiritu & mente orandum; ipſi gratias eſſe peragendas, ac in omnibus obtemperandum: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.*

Quantùm ad hominem, non ſolùm actiones exteriores, quæ pertinent ad honeſtum, juſtum & Socie-

cietatem, piè ſanctèque mortales dirigit ac moderatur doctrina hæc, ut ſupra probavimus; verùm quia cor in homine eſt affectionum origo & principium, ad illud dirigendum, & ipſius affectiones intrà limites, quos poſuere juſtum & honeſtum, comprimendas, maximè incumbit.

*Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: non mœchaberis; ego autem dico vobis: quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.*

*Audiſtis, quia dictum eſt: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: diligite inimicos veſtros.* Matth. 5.

*Cùm vidiſſet Jeſus cogitationes eorum, dixit: ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Ibid. 9.

Quæ mortalium Philoſophia hæc unquam attigit ſublimia? Si quædam in veterum Philoſophorum codicibus congrua veritati hujuſce Religionis leguntur, ea vel ex Sanctorum Patriarcharum traditionibus, vel ex Sacris Paginis deprompſerunt, & tamquam ex fonte potaverunt.

Verùm, inquit auctor nefandi operis, cui titulus: *Le Chriſtianiſme dévoilé*, Chriſtus atque ejus Apoſtoli multa è ſuis myſteriis ac ritibus mutuati ſunt ab Ægyptiis, Græcis, Indis &c.

Impudentiſſimè verò illa effutit auctor ille: litteraturam affectat, & illitteratum ſe probat: nihil non audet, ut Religionis prorſus divinæ ſublimitatem unâ cum Idololatriâ & ſuperſtitionibus, unà cum deliramentis confundat & fabulis. Nullis innixus rationibus, nullo argumentorum genere fultus quod dicit probare tentat. Ne famam ſubiret inverecundiæ, demonſtrandum illi erat, Chriſtum Ægypti, Græciæ, Indorum &c. plagas perluſtraſſe, Apoſtolos

viros illitteratos ac rudes Ægypti, Græciæ, Indorum &c. ritus illicò à Chriſti morte & reſurrectione cognoviſſe, & adoptaſſe, characteresque & myſteria Religionis Chriſtianæ non differre à characteribus, myſteriis & ritibus monſtroſarum Religionum illarum, quæ Deos colunt alienos, quæ omnibus ſerviunt erroribus, omnibus indulgent cupiditatibus, omnibus fœdantur ſceleribus. Sed auctor ille nonniſi *reſpexit in vanitates, & inſanias falſas*. Pſal. 39.

Procul, o procul etiam eſtote mendaces, qui cum Baylo garritis Societati adverſari Religionem Chriſtianam, cùm ultionem prohibet, inimicorum amorem præcipit, ſicut cùm humilitatem, cùm paupertatem proponit continentiamque perpetuam.

Nunquid dum Chriſtus dixit: *ſic Pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris*, Societatis ſinceræ vinculo non conſuluit? Cùm verò dixit: *diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos .... ut ſitis filii Patris veſtri, qui in Cælis eſt; qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos*, non jecit veluti fundamenta Societatis?

Cùm autem ait: *eſto conſentiens adverſario tuo citò dum es in via cum eo, ne fortè tradat te adverſarius Judici*. Matth. 5. Cùm diſcipulis ejus Petrus dicit: *ſubjecti eſtote propter Deum ſive Regi, quaſi præcellenti, ſive ducibus, tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum*. 1. Petr. 2. Nunquid iſta non proſpiciunt Societati? Doctrina hæc vindictam quidem indicat; verùm vetat eam auctoritate privatâ fieri poſſe. Ad id præſtandum dicit Judices eſſe à Deo conſtitutos.

Et verò nullus non videt quantùm hæc ad Societatis bonum conferant. Si enim licitum foret unicui-

cuique de inimicis vindictam ſumere, citò horrendæ clades ipſam penitùs diſſolverent Societatem. Hinc meritò dixit Chriſtus: *qui acceperint gladium, gladio peribunt*. Matth. 26. Apoſtolus verò: *Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali... Dei enim miniſter eſt tibi in bonum... Si autem malum feceris, time; non enim ſine cauſa gladium portat*. ad Rom. 13.

Equidem *abominatio eſt ſuperbo humilitas* Eccl. 13. ſed Chriſtiano virtus, Societatis adminiculum, & pro patriâ tuendâ generoſitatis bellicæ incitamentum.

Moab ſuperbus valde: famoſa ejus eſt arrogantia & ſuperbia: Moab tandem fit in deriſum & in exemplum omnibus. Nicanor Excelſi potentiam contemnens, ac in ſuperbiam erectus, unà cum exercitu devictus, humiliatus uſquequaque, minuitur etiam capite. Machabæus verò humilis, & Religione ductus, partâ victoria, dividit ſpolia.

Chriſtianus Religione miles non contra, ſed juxtà ordinationes divinas, novit Deum timere, Principem honorare, non quaſi velamen habens libertatem militiæ, ſed duci præpoſito intrepidus & promptus ſicut Dei ſervus obedire, dimicare & vincere.

Cùm autem Chriſtus paupertatem proponit, & conſulit, ne homines divitiis affluentes cor apponant, cùm Zachæum laudat dantem dimidium bonorum ſuorum pauperibus, cùm dicit diviti: *vade, quæcunque habes vende, & da pauperibus*. Marc. 10 an Societati nocuit? Cùm Apoſtoli paupertatem profeſſi *poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant, & dividebant omnibus prout cuique opus erat*. Actor. 2. an Societas detrimentum patiebatur? An non in rei veritate fovebatur atque obfirmabatur? An paupertatem ſtrictè etiam profitentes ac liberè, ſicque ſæpiùs fami-

 lias

lias ditantes, aut portionem augentes ſaltem, Societatis jura violant? Quot fortaſſis vel ipſos inter præſumptos Societatis patronos tales exoptarent, aut etiam exoptant tranſgreſſiones? In oculis illorum jam paupertas eo in caſu non eſſet tenenda pro Societatis everſione, ſed pro Societatis adminiculo. Sic mentitur iniquitas ſibi.

Quantùm ad continentiam, hæc incredulis magnopere diſplicet, hanc impugnant: illorum etiam fortaſſe plurimùm intereſt; nos tamen quemquam non judicamus. Continentiam ſuadet Apoſtolus, non imperat; præceptum enim Domini non habet, ſed ad utilitatem ſolùm eam ſuadet, ut nempe volentes eam profiteri, ſine impedimento ac liberiùs poſſint ſervire Deo.

Et reverà hujus cultores attentiori animo, ut decet, ad Religionis ſacra accedunt, puriores manus pro ſe, & populis elevant in Cœlum; ſicque Societatis ſpiritualis verè amici, nullo modo Societati adverſantur civili, aut humani generis propagationi. Ut regnet ubique pax & vigeat concordia, optimè norunt & profitentur matrimonium in Chriſto & in Eccleſiâ magnum eſſe Sacramentum. Illud, cùm expedit, ſuadent, nec ab eo inconſideratè avertunt; non tantùm fortunas ſæpè ac ſæpiùs augent, ſed & fœdera multiplicant, alioqui fortaſſis nunquam ineunda.

Verùm quærimus hic ab ipſis continentiæ perpetuæ impugnatoribus, an effrænata libido, & ad omnem effuſa luxuriem Societati & propagationi faveat. Si ita eſt, pater filiâ ſcortante taceat, ne Societati noceat; maritus proprii thalami violatorem urbanè excipiat, ne Propagationi obſiſtat.

Talia, atque alia plurima, quæ vel audire aures

res

res refugiunt, haud improbat juxta principia ſua auctor nefarii libri, cui titulus: *l'Eſprit.* Auctorem tamen, & auctoris opus laude & litteris decorarunt Philoſophi ejuſdem furfuris, de quibus vaticinans locutus videtur Apoſtolus, cùm dixit: *hoc autem quod in noviſſimis inſtabunt tempora periculoſa; erunt homines ſe ipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi ... voluptatum amatores magìs, quàm Dei ... qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas.* ad Timot. 2. cap. 3. *vaniloqui, & ſeductores* ad Tit. 1.

## Propositio II.

*Religionis Chriſtianæ Sanctitatem demonſtrant probantque Prophetiæ & Miracula.*

Cum Prophetica facultas ſit à Deo, utpote ſuperans vires humanas: *non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati locuti ſancti Dei homines.* 2. Petr. Cap. 1. hinc Religio Prophetiis veris firmata, divina & ſancta reputanda eſt.

Idem prorſus dicendum de Religione eâdem firmatâ quoque Miraculis. Cùm enim Miraculum opus ſit divinum, ſupernaturale, omnes humanæ naturæ vires excedens, ſequitur Religionem talibus confirmatam operibus divinam & ſanctam eſſe.

Religionem porro Chriſtianam Prophetiis firmatam eſſe ſimul & Miraculis, invictè demonſtrant probantque ſacræ tùm veteris, tùm novi Teſtamenti paginæ.

Chriſtus varias mortis ſuæ circumſtantias prænuntians, ſuam etiam prædixit à mortuis reſurrectionem: *reſpondens Simon Petrus dixit: Chriſtum Dei. At ille increpans illos præcepit ne cui dicerent hoc, dicens:*

*quia oportet Filium hominis multa pati, & reprobari à Senioribus, & Principibus Sacerdotum & Scribis, & occidi, & tertia die reſurgere.* Luc. 9.

Prædixit Apoſtolos ſuos ad Synagogas, ad Præſides, & Reges eſſe ducendos propter ſe: *tradent enim vos in Conciliis, & in Synagogis ſuis flagellabunt vos: & ad Præſides, & ad Reges ducemini propter me.* Matth. 10.

Chriſtus prædixit vallandam eſſe Jeruſalem, divexandam, & penitùs evertendam: *videns Civitatem flevit ſuper illam, dicens: quia ſi cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi; nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis: quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coanguſtabunt te undique, & ad terram proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eò quòd non cognoveris tempus viſitationis tuæ.* Luc. 19.

Hæc porro omnia adimpleta fuiſſe conſtat ex libris novi Teſtamenti, nec non ex Auctoribus Eccleſiaſticis. Quoad Cladis Jeruſalem circumſtantias omnes legatur Joſephus de bello Judaico. Plurimis aliis Chriſti Prophetiis prætermiſſis, ne longiores ſimus, ad illius miranda opera, ſeu Miracula, & quidem pauca inter innumera, recenſenda tranſeamus.

*Deus ipſe veniet, & ſalvabit nos: tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt; tunc ſaliet, ſicut cervus, claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Iſai. 35.

*Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum.* Ibid. 42.

Illhæc autem omnia à Chriſto adimpleta fuiſſe plurima novi Teſtamenti teſtimonia demonſtrant.

*Euntes renuntiate Joanni quæ audiſtis, & vidi-*

*ſtis*

*ſtis quia cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur.* Luc. 7.

Unde Judæorum multi videntes ſigna, quæ Chriſtus faciebat, dixerunt: *Chriſtus cùm venerit, nunquid plura ſigna faciet, quàm hic facit?* Joan. 7.

Chriſtus etiam datus fuit in lucem gentium & hominum omnium: *erat etiam Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Non ſolùm corporis aperuit oculos, ſed etiam mentis: *de turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant: Chriſtus cùm venerit, nunquid plura ſigna faciet?* Chriſtus mirantibus Judæis, divinitatem doctrinæ ſuæ miraculis probans, ait: *ſi mihi non vultis credere, operibus credite. Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Joan. 10. & 15.

Sicut porrò Miracula probant Religionem, in cujus gratiam patrantur, veram eſſe & divinam; ita & Prophetiæ, quæ non tantùm ſpecies ſunt Miraculorum, ſed etiam Miracula vera, utpote Dei loquela: *habemus firmiorem Propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes... non enim voluntate humana allata eſt aliquandò Prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.* 2. Petr. cap. 1.

Increduli, ut vim Prophetiis in Religionis Chriſtianæ probandâ divinitate atque ſanctitate adimant, fabulantur, modò Prophetiam de clade Hieroſolymitanâ à Chriſtianis inſertam libris Evangelicis fuiſſe; modò vallatam non fuiſſe Jeruſalem tempore hyemali, & ſabbato; modò demum, ac in primis Volterius impiè ſubſannans Chriſtum ipſum, ait falſa fuiſſe locutum, cùm dixit: *cùm autem videritis circumdari ab exercitu Jeruſalem, ſcitote quia appropin-*

*propinquavit deſolatio ejus . . . erunt ſigna in Sole , & Luna , & ſtellis . . . & tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna , & majeſtate . . . amen dico vobis , quia non præteribit generatio hæc , donec omnia fiant .* Luc. 21. Præteriit attamen, inquit , (1) generatio iſta , nec ea omnia , quæ prædixerat , facta ſunt .

Verùm gratis omnino dicunt increduli Prophetiam de clade Hieroſolymitanâ à Chriſtianis fuiſſe ſacris codicibus aſſutam. Ubinam ſunt momenta ad id probandum , quod impudenter aſſeritur ? Ante cladem Hieroſolymitanam jam codices Evangelici exiſtebant , cùm Apoſtolicâ ætate conſcripti fuerint .

Libros illos laudarunt vel ipſi auctores Apoſtolis coævi , ut Clemens Romanus & Ignatius , Polycarpus & Papias Joannis auditores ; laudarunt & proximè ſubſequentes Apoſtolorum ætatem , ut Juſtinus Martyr , Athenagoras , Irenæus , Clemens Alexandrinus , Tertullianus &c. Quî porro fieri potuiſſet , ut fraudem illam detegentes , nihilominùs ſiluiſſent ?

Inſulſitas autem vix ferenda , cùm inquiunt , non hyeme & ſabbato , ſed Paſchatis feſto vallatam fuiſſe Jeruſalem , quo tempore in Judæâ frigus nullum .

Nam Chriſtus minimè dicit vallandam eſſe Jeruſalem hyeme & ſabbato , ſed præmonet ante Urbis obſidionem fugâ ſaluti conſulendum eſſe , atque orandum , ut fuga hæc non fiat vel hyemis tempore ad fugam haud apto , vel etiam ſabbato , quia eo die Judæis non licebat ultrà mille paſſus iter facere ; quod obſervabant illi etiam , qui ad Chriſtum converſi erant , quamvis abrogata jam eſſent Legalia ,

(1) *Remarques ſur les pensèes de Paſchal .*

lia, nondum tamen abſolutè prohibita, ut cum honore ſepeliretur Synagoga.

Quantùm ad cætera textûs objecta verba, notandum, duo Apoſtolos à Chriſto quæſiviſſe: primum, quandonam evertenda foret Jeruſalem: ſecundum, quandonam futurum eſſet ſignum adventûs ejus ſecundi, & conſummationis ſeculi; de utroque enim locutus fuerat Chriſtus; atque idcirco putabant Apoſtoli Jeruſalem & Templum evertenda eſſe in triumphali Chriſti adventu, cùm ſcilicet in majeſtate ſuâ veniet judicare vivos & mortuos.

Ad primum reſpondet Chriſtus: *cùm ergo videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta* (nempe cùm) *& Civitatem & Sanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo, & finis ejus vaſtitas... & uſque ad conſummationem & finem perſeverabit deſolatio.*

Iſtud autem adimpletum fuiſſe quis inficiabitur? *Tum*, inquit Joſephus lib. 7. belli Judaici, *velut in carcerem tota gens fato concluſa eſt, & facta hominibus Civitas bello obſidebatur. Itaque ſuperat omnem humanam, & divinitùs emiſſam peſtem numerus peremptorum, quos partim palàm occidere, partim cæpere Romani*, ſub Tito ſcilicèt duce.

Libri verò ejuſdem Cap. 18. ait: *jubet eos Cæſar totam funditùs jam eruere Civitatem ac Templum, relictis quidem turribus... ut poſteris indicarent, qualem Civitatem, quamve munitiſſimam Romanorum virtus obtinuiſſet.*

Unde cùm Chriſtus dicit: *non relinquetur lapis ſuper lapidem*, idem eſt ac ſi dixiſſet: maxima erit demolitio & ruina. Similiter & cùm Joſephus ait: *tunc velut in carcerem tota gens fato concluſa*, idem eſt ac: Judæorum ingens numerus, ratione Feſti Paſchatis tunc celebrati.

Quan-

Quantùm autem ad ultimum Judicii diem, dixerat Chriſtus Matth. 24. *de die autem illa & hora, nemo ſcit, neque Angeli Cœlorum.*

Ad hæc ſi attendiſſent increduli, in primis autem auctor Operis inſcripti: *Dieu & les hommes*, fictas fabulas non narraſſent. *Narraverunt ea, & ſeduxerunt populum in mendacio.* Jerem. 23.

Quoad hæc verba denique: *non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant*, genuinus illorum is videtur eſſe ſenſus: certiſſimè iſthæc omnia evenient antequàm humanum genus in hoc mundo finem accipiat: *Cœlum & Terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.*

Et verò Chriſtus præmonet ibi omnes creaturas rationales de iis, quæ futura ſunt, cùm parebit in virtute magnâ & majeſtate; nam *prædicabitur hoc Evangelium regni in univerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio.* Matth. 24.

Obſervandum hìc adversùs incredulos Dæmonum exiſtentiam ludificantes, Dæmonum nihilominus oracula, ſeu Prophetias objicientes, ut probent Prophetias ad veram Religionem probandam nullius eſſe ponderis. Obſervandum dicimus, Ethnicorum oracula, ſive ipſorum ſolis tribuantur fraudibus, ſive etiam Dæmonum dolis atque artibus, meras fuiſſe fallacias, argumentumque ex veris Prophetiis deductum in probandâ Religione vim ſuam ſervare totam. Cùm enim facultas Prophetica ſit à Deo ſolo, ſanè Religio veris firmata Prophetiis vera eſt atque divina; alioquin enim Deus ipſe errorem confirmaret, quod eſt horrendum dictu. *Non* enim *Deus quaſi homo, ut mentiatur* Num. 23. utpotè ſuprema Veritas.

Etſi porrò plura dixerimus, non de Prophetiis dumtaxat, unde hìc ſatis, ſed etiam de Chriſti Miracu-

raculorum veritate, in controverſiam ſanè haud revocanda; increduli nihilominùs minimè quieſcunt. Chriſtus ipſe, inquiunt, in probationem doctrinæ ſuæ non attulit Miracula. Nam Judæis quærentibus: *Magiſter, volumus à te ſignum videre*, Chriſtus reſpondit: *generatio mala & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ Prophetæ*. Luc. 11. ideſt, niſi prædicatio pœnitentiæ. Ita in primis Civis Genevenſis.

Verùm quàm malæ fidei ſit Civis ille, evidenter demonſtrant inter plures alios textus ſequentes. *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis ... & credidit ipſe, & domus ejus tota*. Joan. 4. *Si mihi non vultis credere, operibus credite*. Ibid. 10. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Ibid. 15.

Et quidem Chriſtus ibi increpat Scribas & Phariſæos, qui mirificorum ejus prodigiorum teſtes in conſpectu omnium, & in luce clariſſimâ patratorum, ea in nomine Beelzebub facta eſſe criminabantur; atque ideo Chriſtus induratis & malignantibus illis cordibus, ac præter patrata jam Miracula petentibus adhuc de Cœlo ſignum, reponit: *generatio mala & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ Prophetæ*, ideſt: non dabitur ei ſignum de ſublimi, non deſcendet ignis de Cœlo, nec audientur horriſona tonitrua. ſed dabitur ei ſignum Sepulturæ & Reſurrectionis meæ: *Sicut enim fuit Jonas in ventre Ceti tribus diebus & tribus noctibus; ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus*.

Chriſtum autem die tertiâ reſurrexiſſe cuſtodes ſepulchri nuntiarunt Judæis, ſepulchrum vacuum viderunt Judæi; recordati ſunt Chriſtum dixiſſe: *poſt*

*tres*

*tres dies reſurgam*. Mendacium tum texentes dixerunt cuſtodibus: *dicite quia Diſcipuli ejus nocte venerunt, & furati ſunt eum, vobis dormientibus*. Matth. 28. Reſurrectionis Chriſti teſtes oculati fuere Apoſtoli, eamque multis comprobarunt Miraculis. *In Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitavit à mortuis, in hoc iſte aſtat coram vobis ſanus*. Act. 4.

Ex quibus omnibus evidenter patet ſignum Jonæ Prophetæ typum fuiſſe non prædicationis, ſed Chriſti Reſurrectionis. Chriſtus Judæis minas quidem intentat, eoſque increpat his verbis.

*Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ, & ecce plus quàm Jonas hic*. Luc. 11. ideſt: at ego, qui tot ſigna feci, quæ nemo alius fecit, nonniſi obdurata corda cerno, nonniſi crimino ſæ benefacio generationi; noviſſima erunt pejora prioribus; *ſic erit generationi huic peſſimæ*.

Increduli, ne in Chriſto vel divinitatis quidem umbram, vel in ejus miris operibus divinæ virtutis ſignum relinquant, objiciunt hunc Scripturæ textum Marc. cap. 6. *Et non poterat ibi virtutem ullam facere propter incredulitatem eorum*.

At ea, de quibus inconſideratè affirmant, convertuntur in impium vaniloquium. Potuit Chriſtus divinitatem ſuam, miſſionem ſuam Miraculis confirmare: *ſi mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre*. Item: *Pater meus uſque modò operatur, & ego operor ... qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum*. Joan. 5.

Potuit Chriſtus Judæis pluribus ob duritiem cordis eorum denegare Miracula, quo ſenſu, & ratio-

ne cujus obſtaculi dicitur non potuiſſe, ſeu explicatiùs, non feciſſe, prout ait Matth. cap. 13. *& non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum. Jeruſalem, Jeruſalem quoties volui congregare, & noluiſti? ecce relinquetur domus veſtra deſerta.*

Verùm, inquiunt, Chriſtus ſua non operabatur Miracula in probationem Fidei & doctrinæ. Nam ſolebat antequàm Miracula patraret, Fidem exigere: *vade, Fides tua te ſalvam fecit.*

Verùm etiam, nonne potuit Chriſtus edere Miracula ad Fidem excitantia, præveniente Spiritûs Sancti inſpiratione? *Si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis, & credatis.*

Potuit quoque Chriſtus Miracula operari tanquam Fidei præmia: *vade, ſicut credidiſti, fiat tibi; & ſanatus eſt Puer in illa hora.* Matth. 8.

Præveniente & adjutus Spiritûs inſpiratione, Centurio crediderat, quia *hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum*; credens autem audivit: *ſicut credidiſti fiat tibi*. Ibid.

Unum hìc admirationem moveat. Increduli modò Prophetias infirmare, modò Miracula evertere excogitatis nituntur commentis, modò autem Prophetias admittunt & Miracula. *Omnes morborum curationes à Chriſto peractæ, ſi ſeorſim ſumantur à Prophetiis, quæ in eas aliquid divini refundunt, æquivoca ſunt Miracula, quia earum haberent vultum in aliquibus curationes ab Æſculapio factæ*. Ita Abbas quidam in Theſi ſuâ, à facultate Pariſienſi damnatâ & exploſâ. Abbati præiverat auctor libri inſcripti: *penſées Philoſophiques*.

Apollonius Tyaneus, inquiunt alii, Domitiani prædixit mortem. Veſpaſianus, Hadrianus, aliique falſæ Religionis cultores plura ediderunt Miracula,

prout

prout hiſtorici non pauci ſcriptum reliquerunt.

Sic inter ſe diſſentientes ſtylum mendacem, nec mentem diſſimilem oſtendunt. Dæmones, inquiunt cum cive Genevenſi, Miracula edunt, & Dæmonum exiſtentiam negant. Prophetiarum & Miraculorum poſſibilitatem rejiciunt, Ethnicis attamen Prophetiæ donum attribuunt, ab Ethnicis Miracula patrata fuiſſe affirmant. Verſipelles tamen iſthæc omnia modò ad effectus merè naturales, modò ad ineptas Imperatoribus adulationes factas revocant, tanquam ſuperſtitiones vanas, aut aniles fabulas habent, ducti procul dubio teſtimoniis ipſorummet hiſtoricorum tunc temporis florentium, ut Quinti Curtij, Valerii Maximi, Polybii, Plutarchi, Livii, qui decad. 1. ait: *plura tranſcribo, quàm credo, nec affirmare ſuſtineo*.

Ethnicorum prodigia ſic in lucem revocantes, & ut talia etiam habentes, non errant præſumpti Philoſophi illi, nec tamen rectum eſt cor illorum; nam eorumdem hæc mens eſt, Prophetias ſcilicèt veras, & Miracula divina vel effectibus merè naturalibus, vel præſtigiis & ſuperſtitionibus ſimilia facere, atque affirmare ut talia ſolùm habenda eſſe. Adeo tenebroſa via eſt, per quam incedunt.

Contrà verò hiſtorici ſacri referunt Chriſtum prædixiſſe Jeruſalem excidium, domoſque Judæorum futuras eſſe deſertas. Adeant modò increduli Jeruſalem: muri diſrupti, & lugubres adhuc ruinæ indicabunt ipſis non fabulam, ſed eventûs luctuoſiſſimi veritatem. Interrogent Judæos, & narrabunt & dicent: *extranei facti ſumus; princeps provinciarum facta eſt vilis, facta eſt ſub tributo; luxit antemurale, & murus pariter diſſipatus eſt*. Tren. 2.

Itane Apollonii prodigia certa ſunt? Plutarchus, iſ-

iſque ſolus ea quidem refert; at quam fidem mereatur hiſtoricus ille, quamque perverſæ ſint incredulorum hic comparationes, dijudicabit ſapiens lector ex Plutarcho ipſo, qui aſſerit apud Indorum Brachmanos, ventos & tonitrua in doliis incluſa eſſe.

Quantùm ad curationes à Chriſto peractas, ſeligimus hic conſultò cæci nati curationem, à Chriſto peractam, & quærimus, an curatio hæc juncta fuerit cum Prophetiâ, an Prophetia aliquid divini in eam refuderit. Non prophetavit tunc Chriſtus, ſed lutum ſolummodo fecit, & linivit ſuper oculos.

Quærimus, an poſt tot Judæorum, & præſertim Pharisæorum diſquiſitiones, Miraculum illud fuerit æquivocum. An commentitiæ Æſculapii curationes toties ab incredulis venditatæ vultum habeant talis curationis, à ſeculo inauditæ, fatentibus ipſis Chriſti inimicis.

Lutum profectò ad lumen oculorum extinguendum; non autem ad dandum erat aptum. Ut tamen magis ac magis effulgeret virtus divina: *lutum fecit Jeſus, & linivit ſuper oculos ejus, & venit videns*. Joan. 8.

Chriſtus ſe ipſum à Judæis occiſum ſuſcitavit à mortuis; Æſculapius Jovis altitonantis fulmine tactus deſcendit ad inferos, unde reverſus non eſt. Poetæ tamen longius aſpicientes, vel potiùs fabulantes Æſculapium cecinerunt, Apotheoſique donaverunt.

Inter Judæos prodigiorum Chriſti teſtes oculatos *multi videntes ſigna, quæ faciebat, crediderunt in eum; & dicebant: Chriſtus cùm venerit, nunquid plura ſigna faciet, quàm quæ hic facit?*

Alii ſtupentes ſuper ſigna, quæ operabatur, de illo quidem palàm non loquebantur, ne extra Synagogam ejicerentur. Sed Nicodemus, homo ex Phari-

riſæis, Princeps Judæorum, Chriſti divinitatem ſubodoratus, *venit ad eum nocte, & dixit ei: Rabbi, ſcimus, quia à Deo veniſti Magiſter: nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo*. Joan. 2.

Cæteri Phariſæi, licèt hoſtes infenſiſſimi, prodigiorum Chriſti veritatem confeſſi ſunt: *ejicit Dæmonia*: at ne tota gens poſt illum abiret, criminantes dicebant: *in principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia*. Marc. 3.

Jeſus autem dicebat: *ſi non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; ſi autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre*. Joan. 10.

## PROPOSITIO III.

### *De circumſtantiis Chriſti mortem ſpectantibus*.

MEſſias prædicitur à Prophetis vendendus triginta argenteis: *appenderunt mercedem meam triginta argenteis*. Zach. 11. Iſtud porrò adimpletum fuit in Chriſto: *tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus eſſet, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos*. Matth. 27. Prædicuntur ejus veſtimenta dividenda: *diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem* Pſal. 21. Matthæi verò 27. habetur: *diviſerunt veſtimenta ejus, ſortem mittentes, ut impleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem: diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem*.

Prædicitur flagellandus: *ſupra dorſum meum fabricaverunt peccatores*. Pſal. 128. Jeſum autem, in-

inquit Matthæus 27. *flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur.*

Prædicitur contumeliis & ſputis afficiendus & contemnendus: *corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus; faciem meam non averti ab increpantibus, & conſpuentibus in me.* Iſai. 50. Matthæi autem 26. dicitur: *tunc expuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt; alii autem palmas in faciem ejus dederunt.*

Prænuntiatur à ſuis derelinquendus: *percute Paſtorem, & diſpergentur oves.* Zach. 13. Matthæi porrò 26. habetur: *tunc Diſcipuli omnes, relicto eo, fugerunt.*

Debuerunt manus ejus & pedes perfodi: *foderunt manus meas, & pedes meos.* Pſal. 21. Joannis autem Cap. 26. habetur: *ille autem* (Thomas) *dixit eis: niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.* Perfoſſæ igitur fuerant manus ejus.

Hebræi tentantes ultimum hoc teſtimonium eripere Chriſtianis, loco verbi *foderunt* hebraici *Caaron*, legunt *Caari*, *ſicut leo*, ita ut ſenſus ſit, *momorderunt ſicut leo manus meas.* Verùm etſi in variis eorum codicibus ita legatur, ſcriptum tamen eſſe in aliis vetuſtiſſimis codicibus *foderunt*, non negant plures Rabbini; ergo quia ſanè in textu primigenio ſic ſcriptum habebatur, nec ſeptuaginta Interpretes, diu ante Chriſtum, aliter legerunt.

Imò etiamſi pro *Caaron* admitteretur *Caari*, vanus ac irritus foret ſemper Judæorum ille conatus; nihil quippe vetat, quominùs *Caari* dicatur ſignificare fodientes, quatenùs participium hoc loco eſt plurale verbi *cara fodere*, quod participium amittit litteram *m* in fine; ſicque loco *caarim*, ponitur *caari* fodientes.

Verùm, inquiunt adverſarii, quomodo iſthæc omnia cadere poſſunt in Chriſtum, qui à vobis vocatur *Emmanuel*, ideſt *nobiſcum Deus*? Qui enim ab Iſaiâ cap. 7. dicitur *Emmanuel, butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum*, is venturus prædicitur, pulſis ab Aſiâ Raſin Rege Syriæ, & Phacee Iſraelis Rege. Chriſtus porrò venit nonniſi multis poſteà elapſis ſeculis. Chriſtus ſi Deus non potuit proficere ſcientiâ, ut poſſet reprobare malum, & eligere bonum. Chriſtus ſi Deus non potuit omnia ſuperiùs relata pati, & ita intrare in gloriam ſuam, prout tamen referunt Scripturæ veſtræ.

Verùm etiam Meſſias, promiſſus & deſideratus cunctis gentibus, vocabitur Admirabilis, Deus fortis, Pater futuri ſeculi. Quantùm ad iſta Prophetæ verba: *butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum*; hæc probant quidem Meſſiam in carne venturum. Et reverâ caro factus eſt, & habitavit in nobis: *ſic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret*; qui Unigenitus dicitur ſciturus reprobare malum, & eligere bonum, ideſt, nos iſta edocturus, non autem ſtudio & labore iſta conſecuturus: in ipſo enim erant *omnes theſauri Sapientiæ & Scientiæ abſconditi*. ad Coloſ. 2.

*Ut ætate*, inquit Gregorius Nazianzenus orat. 20. *ita & ſapientia proficiebat: non quòd hæc in eo incrementum caperent; (Quid enim in eo, quod à principio perfectum erat, perfectius eſſe poſſit?) ſed quòd hæc paulatim detegerentur, ac elucerent, ſcilicèt hominibus, & coram Deo, quatenùs & coram Deo & coram hominibus publica ac perſpecta Divinæ Sapientiæ ſuæ dedit argumenta. Divinorum honorum, quæ ſibi inerant manifeſtationem*, ait Cyrillus lib. 5. contra Neſtorium, *ádmetiebatur*. Ne-

*Neque enim*, inquit Bernardus hom. 2. de laudibus B. Mariæ Virginis, *minùs habuit ſapientiæ, vel potiùs non minùs fuit ſapientia Jeſus conceptus, quàm natus; parvus quàm magnus. Sive ergo latens in utero, ſive vagiens in præſepio, ſive jam grandiuſculus interrogans Doctores in templo, ſive jam perfectæ ætatis docens in populo, æquè perfectè plenus fuit Spiritu Sancto*. Non igitur Sapientiâ quaſi per gradus profecit ſicut ætate. In Chriſto quippe alia conditio Corporis, & alia conditio Animæ. Omnes Corporis noſtri defectus & infirmitates ad opus ſalutis perficiendum neceſſarias aſſumpſit, adeoque varias ætatis vices, ac incrementa; at defectus Animæ ignorantiam & concupiſcentiam non aſſumpſit.

Quamobrem cùm anceps & dubius fuiſſe videtur, ut cùm Joan. II. inquirit de Lazaro: *ubi poſuiſtis eum?* vel quaſi dubitans ibid cap. 21. ter Petrum interrogat: *Petre, amas me?* modo nobis accommodato ſe geſſit. Igitur cùm inquiſivit ubi Lazarus ſepultus eſſet, & utrùm plus aliis amaretur à Petro, non iſthæc ignorabat, *tu ſcis Domine, quia amo te*, quod Petrus reſpondit. Modo eodem dicitur fidem Centurionis admiratus. &c.

Cùm autem Lucæ 22. legitur: *apparuit illi Angelus de Cælo confortans eum*, illud dicitur ad probationem veræ humanitatis, quatenùs naturali inſtinctu natura noſtra mortem refugit; non autem quaſi Angelus aliquàm Chriſto fortitudinem contulerit, ſed potiùs ejus fortitudinem laudarit. *Confortans eum*, inquit Epiphanius hær. 69. *Confortent ipſum omnes Angeli Dei, non ut fortitudinem illi ac robur adjiciant, neque enim illorum confirmatione opus habebat, ſed confortent ipſum, inquit, hoc eſt, reddant ei vim ſuam, ac fortitudinem acceptam illi referant... Num*

*virtutem nos illi conferimus?... Divinam vim prædicando confitemur, ac Deo fortitudinem adſcribimus.* Confortans igitur juxta ſanctum Doctorem ibi ſonat idem ac laudans fortitudinem ejus, quâ lubens ſe morti obtulit: *non mea voluntas, ſed tua fiat.*

Cùm denique Lucæ etiam Cap. 24. dicitur: *nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Verba iſta minimè indicant Chriſtum, quamdiu doloribus & morti obnoxius fuit, ſuâ privatum fuiſſe gloriâ, ſed ſolùm probant, gloriam Chriſti ratione corporis & animæ non fuiſse completam & conſummatam, niſi cùm ex Sepulchro exivit triumphans, & cùm facta eſt Nominis ejus exaltatio: *propter quod Deus exaltavit illum, & donavit illi Nomen, quod eſt ſuper omne Nomen.* ad Philip. 2.

Probant item Chriſtum tanquam ducem exemplo præiviſse Martyribus, Apoſtolis, & omnibus Chriſtianæ Religioni obtemperantibus, qui per varias tribulationes ad Patriam cœleſtem tendunt. Sic pariter portans noſtras infirmitates & ægrotationes, exemplum nobis omnibus dedit, cùm fidem & ſpem noſtram firmans dixit: *triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Quamquàm enim Anima Chriſti intuitivâ Dei frueretur viſione, ratione unionis hypoſtaticæ in unâ Chriſti Perſonâ, ratione tamen unionis ſuæ unâ cum corpore triſtis dicebatur, quia caro tunc triſtiſſima. *Niſi enim Chriſtus Deus eſſet*, ait D. Leo ſerm. 1. de nativ. *non afferret remedium; niſi eſſet homo, non præberet exemplum.*

Quantùm denique ad Reges ſuperiùs memoratos, pulſi equidem erant illi ſeculis multis antequàm veniret Meſſias, cujus imperium fore glorioſum in terris, ac terrenâ abundantiâ plenum garriunt perperàm Judæi. Iſaias hìc, Prophetarum more, rem longiùs diſ-

diſſitam, quaſi proximè futuram repræſentat ad ſpem Judæorum erigendam, fiduciamque excitandam & confirmandam.

Vates alter mente eâdem aſſerit, Meſſiam eſse venturum tempore nobiliſſimorum Orbis regnorum, Aſsyriorum, Perſarum, Macedonum, & Romanorum: *in diebus autem Regnorum illorum ſuſcitabit Deus*, inquit Vates, *Regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & Regnum ejus alteri populo non tradetur*. Dan. 2. Capite autem 7. quatuor Regna illa variis quatuor beſtiis deſignans pergit: *aſpiciebam ergo in viſione noctis, & ecce cum nubibus cæli quaſi filius hominis veniebat ... & dedit ei poteſtatem & honorem & regnum; & omnes Populi, Tribus, & Linguæ ipſi ſervient; poteſtas ejus poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur*.

Quinam porrò fuere Reges, quorum poteſtas æterna? Quorum imperio ſervient omnes populi? Quorum Regnum Sancti Dei Altiſſimi erit Imperium, niſi Meſſiæ? Non diffitentur Judæi doctiores. Atque hinc circa hoc ipſum tempus, circa annum ſcilicet Mundi quater milleſimum, Meſſias ab omnibus expectabatur. Simeon expectans conſolationem Iſraël, *reſponſum accepit à Spiritu Sancto non viſurum ſe mortem, niſi priùs videret Chriſtum Domini*. Luc. 2.

Joannes Baptiſta incipit prædicare. Sciſcitantur Judæi nunquid ſit ipſe Chriſtus. Joan. 1. Spe eâdem plenus Joannes ipſemet duos è diſcipulis ſuis mittit ad Chriſtum, qui ab eo poſtulent: *tu es, qui venturus es, an alium expectamus*? Luc. 7.

Judæi ipſi omnes ita confidebant tunc temporis Regem venturum eſſe Meſſiam, à quo, Romanorum excuſſo jugo, liberandi forent; ut bellum adversùs

Romanos ſuſceperint; ita rerum eventus divinâ diſponente Providentiâ, ut quæ decreta fuerat in pœnam rejecti & occiſi Meſſiæ, ultima fuerit eorum ruina & deſolatio. Ita Joſephus lib. 3. de bello Judaico.

Perſuaſio adventûs Meſſiæ ita pervaſerat omnes, ut inde etiam nonnulli, Chriſto nato, ſe Chriſtos eſſe à Prophetis promiſſos affirmarent; inter quos inſignis eſt *Barchochebas*, qui Judæos contra Romanos ad bellum excitarat; ratione autem eventûs triſtiſſimi, filius mendacii dictus fuit. Simon magus, ac Doſithæus Samaritani idem quoque nomen uſurpare apud ſuos non erubuerunt. Quin & Joſephus ipſe impudenti adulatione, quæ de Meſſiâ prædicta fuerunt, ea ad ipſum aſſeruit Veſpaſianum referri.

Iſaias porrò, qui Meſſiæ adventum prædixit, tempuſque adnotavit, Meſſiæ ejuſdem dolores, condemnationem, mortem, cauſam, fructus & alia ita graphicè prænuntiat, ut non futura, ſed facta & viſa referre & narrare videatur.

*Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit ... attritus eſt propter ſcelera noſtra ... & livore ejus ſanati ſumus ... oblatus eſt quia ipſe voluit. & non aperuit os ſuum. Sicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet ... & cum ſceleratis reputatus eſt*. Iſai. cap. 53.

Priùs vaticinans jam dixerat Cap. 28. *Audite verbum Domini illuſores ... ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, & lapidem probatum, angularem, pretioſum in fundamento fundatum*. Cap. autem 8. *erit vobis in ſanctificationem, in lapidem autem offenſionis, & in petram ſcandali duobus Domibus*

*mibus Iſrael*. *Non erit ejus populus*, jam præiverat Daniel dicens, *qui eum negaturus eſt*, *& Civitatem & Sanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo*.

Populus porrò ille cum duce venturo Populus erat Romanus, dux verò Titus, qui Jeruſalem ita funditùs diruit, ut verè dixerit Chriſtus: *non remanebit lapis ſuper lapidem*. Populus autem, qui Meſſiam negavit, populus eſt Judaicus, qui Prophetiæ complementum triſti experientiâ jam à multis ſeculis ſentit; non à ſeptuaginta annis, qui terminus erit captivitatis Babylonicæ, nec etiam à ducentis, quibus duravit ſervitus Ægyptiaca, ſed à mille ſeptingentis & ampliùs annis; ad quæ ſi miſera gens illa attenderet, ad Meſſiam rejectum, & à ſe morti traditum confugeret: *etenim ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius Mundi* 1. Joan. Cap. 2.

Judæorum præviderat exilium Propheta Oſee, cùm dixit. Cap. 3. *Dies multos ſedebunt Filii Iſrael ſine Principe, & ſine Sacrificio, & ſine Altari, & ſine Ephod, & ſine Theraphim*. Iſthæc innumeraque alia à Prophetis prænuntiata Judæos confundere deberent, cùm invictè Meſſiam, quem expectant, jam adveniſſe demonſtrent.

## Propositio IV.

*Religionis Chriſtianæ Divinitatem & Sanctitatem probat Chriſti Reſurrectio*.

Vix homo primus à Deo creatus eſt rectus, & ad imaginem ejus efformatus, cùm & inobediens eſt factus, & reus; & in ipſo propago ejus. Hominem ſic reum, & confuſione perfuſum, non

tamen ſine conſolatione dereliquit miſericors Deus, ſed ei promiſit Redemptorem. *Non auferetur ſceptrum de Juda ... donec veniat qui mittendus eſt ... expectabo ſalutare tuum Domine*. Gen. 49.

Ad ipſum ſalutare ſuſpirarunt Prophetæ, cecinerunt ipſius egreſſum à diebus æternitatis, prænuntiarunt Sanctum Sanctorum, Deum fortem, Principem pacis, Dominum noſtrum, juſtum, & deſideratum cunctis gentibus.

Unigenitus tandem ille Altiſſimi Filius, caro miſericorditer factus, in propria venit, & ſui eum non receperunt, ſed doctrinâ ſalutiferâ, prodigiis, miraculis & beneficiis inſignem, & celebratiſſimum occiderunt; ſed eum occiderunt, qui de morte erat triumphaturus: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, qui poteſtatem habebat ponendi animam ſuam pro nobis omnibus, & iterum ſumendi eam: *Ego pono Animam meam, ut iterum ſumam eam*. Ibid. 10.

De morte ſuâ monens Diſcipulos, ait illis: *Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis: tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur, & poſtquàm flagellaverint & occident eum, & tertia die reſurget*. Luc. 18.

Inter incredulos auctor Lexici critici aſſerit, D. Joannem conceptis verbis cap. 20. dicere, Chriſti Diſcipulos ignoraſſe ejus Reſurrectionem, quod inquit, manifeſtat, prædictiones de Reſurrectione ipsâ fuiſſe adinventas, & textibus aliorum Evangeliſtarum inſertas. Sed hìc non hæret. Matthæus, ait enim ille, aſſerit vaticinium de Chriſti Reſurrectione ita notum fuiſſe Sacerdotibus, & Phariſæis, ut Pilato dixerint: *Domine recordati ſumus, quia*

*ſedu-*

*ſeductor ille dixit adhuc vivens: poſt tres dies reſurgam*; cùm tamen conſtet ex Apoſtolo eodem, Chriſtum Scribis & Phariſæis, ſignum quærentibus, reſponſum dediſſe non niſi perobſcurum his verbis. *Sicut fuit Jonas in ventre Ceti tribus diebus & tribus noctibus; ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus*.

His addendum, Filium hominis non fuiſſe reverâ tribus diebus in corde terræ, & tribus noctibus, quemadmodum fuit Jonas in ventre ceti, cùm Chriſtus referatur mortuus die veneris circa horam tertiam, aut ſextam, tertiâ autem die, & quidem ſummo manè factus redivivus. His innumeriſque aliis ſimilibus adinventionibus & commentis Criticus ille fundamenta jecit incredulitatis, (1) modò, proh dolor! propagata nimis.

Verùm ſi incredulorum ille anteſignanus Sacram non intellexit Scripturam, illam ſaltem eâ, quâ par eſt, veneratione colere debebat. Apoſtolus Joannes non dicit Diſcipulos ignoraſſe Chriſti reſurrectionem, ſed eos nondum ſciviſſe Scripturam, in quâ prænuntiabatur Chriſti reſurrectio: *nondum enim ſciebant Scripturam, quia opertebat eum à mortuis reſurgere*

Apoſtoli ſciebant Chriſtum eſſe Filium Dei vivi; viderant eum in opere & ſermone potentem, oracula promentem, infirmos curantem, mortuos ſuſcitantem, Lazaro jam fœtenti audierant dicentem: *Lazare, veni foras*; viderant eum Dæmonibus imperantem, eoſque ejicientem. Non mirum eſt porrò, ſi, dùm illum audierunt dicentem *oportet Filium hominis multa pati, & reprobari à Senioribus, & ſummis Sacerdotibus & Scribis, & occidi, & poſt tres dies*

---

(1) *Vie critique de Jéſus Chriſt.*

*dies reſurgere*, ſi, inquam, tardi fuerint ad credendum ob inauditam rei novitatem, nec non ſi putaverint eum fortè figuratè & parabolicè loqui, prout ſæpe ſolebat; quia nondum ſciebant ea Scripturæ loca, in quibus prænuntiabantur Chriſti Mors & Reſurrectio, de quibus nihilominùs moniti erant illis verbis: *oportet Filium hominis multa pati* &c.

Non minùs à vero diſcrepat, quod proſequens ille Criticus ait, Chriſtum ſcilicet Scribis & Phariſæis nonniſi perobſcurum dediſſe reſponſum. An non iiſdem ſignum quærentibus dixit palàm: *ſicut fuit Jonas* &c.

Si perobſcurum fuiſſet hoc reſponſum, nec intelligentiâ aſſecuti fuiſſet Scribæ & Phariſæi, an, ſepulto Domino, conveniſſent ad Pilatum dicentes: *Domine, recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc vivens: poſt tres dies reſurgam. Jube ergo cuſtodiri ſepulchrum*. Matth. 27.

Quantùm ad tres dies, & tres noctes, quibus fuit Chriſtus in corde terræ, obſervandum 1. Hebræos, & Chaldæos non eodem modo computaſſe dies civiles, & dies ſacros. Dies civiles ab uno ſolis ortu computabant ad alterum ſequentem ortum; dies verò ſacros à veſperâ ad veſperam.

Obſervandum 2. Ægyptios Sacerdotes & Romanos computaſſe dies à mediâ nocte in alteram noctem mediam. Non ita Perſæ & Babylonii; hi quippe numerabant dies ab ortu ſolis ad alium ejus ortum. Athenienſes verò & Itali à ſolis occaſu ad occaſum. Aſtronomi demum à meridie ad meridiem.

Obſervandum 3. tempore Chriſti Romanos Judææ imperaſſe, Judæoſque tunc ab ipſis Romanis accepiſſe uſum caſtrenſium noctis vigiliarum, ut patet Matth. cap. 14. ubi Chriſtus dicitur veniſſe ad Diſci-

ſcipulos quartâ noctis vigiliâ. Cùm autem Judæi in rebus civilibus quoque acceperint à Romanis computationem numerandi ſcilicèt diem civilem à mediâ nocte ad aliam proximè noctem mediam; hinc

Luce clariùs meridianâ patet, Chriſtum tribus diebus & tribus noctibus fuiſſe in corde terræ. Sepultus enim fuit ante veſperam diei veneris, qui Paraſceve erat. En dies prima in mediâ nocte terminata. Ab eâ autem mediâ nocte, quâ Chriſtus manſit ſepultus ad mediam noctem proximè ſequentem, en dies ſecunda. Demùm à mediâ hâc nocte ſequenti incœpit, numerataque fuit dies tertia, quæ dicitur dies Dominica. Quare cùm dicitur *una Sabbathi*, vel *prima Sabbathi*, idem eſt, ac primâ die poſt Sabbathum: *cùm tranſiſſet Sabbathum* (ait S. Marcus) *Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jeſum; & valdè mane una Sabbathorum veniunt ad monumentum, orto jam ſole*. Cap. 16. Non emerunt ſanè aromata Sabbatho; non enim iſtud licebat.

Hujuſce autem modi computandi dies naturales & uſitatos, non deſunt exempla ex ſacris Paginis deprompta. Sic Geneſ. 40. Pincernæ Regis Pharaonis prædixit Joſeph poſt tres dies reſtitutionem in priſtinum ſtatum: die porrò tertiâ Pharao convivium faciens Pincernam reſtituit. Sic quoque Luc. 2. poſtquam conſummati ſunt octo dies, ideſt die octavo, circumciſus fuit Puer Jeſus. Quis enim credat Joſephum virum juſtum, contrà Legis præceptum nonniſi nonâ die Puerum Jeſum tuliſſe in templum, ut circumcideretur?

Paulus Apoſtolus, cæteris Apoſtolis ſanè vicinior ætate, quàm Philoſophi recentiores, ait 1. ad Cor. 15. *Tradidi enim vobis in primis quod & accepi*,

*cepi, quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundùm Scripturas, & quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertia die ſecundùm Scripturas.*

Inter Deiſtas, quoquoverſùm ſe ſe vertentes nonnulli hìc, ut veram divinamque evertant Religionem effutiunt, Pilatum in Chriſti locum quemdam reum ſubrogaſſe, & morti addixiſſe.

Sed ad aliquid probandum minimè ſufficiunt malignantis critices inventa, ſed requiruntur argumenta indubitata, quibus deficientibus, quæ proferunt, aut proferre poterunt ut pudenda mendacia, & ipſi ut mendaciorum architecti à cordatis hominibus habebuntur.

Enimverò hiſtorici ſacri in texendâ narratione, ſive de unicâ eâdemque Chriſti Perſonâ, ſive de Morte ejus & Reſurrectione ita de Chriſto loquuntur, ut nonniſi malignans incredulitas inficias ire queat. Chriſtus diſcumbens cum Diſcipulis dixit illis: *unus veſtrum me tradet*. Judas reverâ illum tradidit militibus miſſis à Principibus Sacerdotum & Senioribus populi, qui manus injecerunt in eum, & tenuerunt.

Princeps Sacerdotum interrogans Chriſtum, ait illi: *adjuro te per Deum verum, ut dicas nobis, ſi tu es Chriſtus Filius Dei. Dicit illi Jeſus: tu dixiſti.*

Princeps Sacerdotum Chriſti reſponſum audiens ait: *blaſphemavit; quid adhuc egemus teſtibus?... Quid vobis videtur? At illi reſpondentes dixerunt: reus eſt mortis.*

Tunc Principes Sacerdotum, & Seniores populi inito conſilio, ut Jeſum morti traderent, adduxerunt eum vinctum ad Pontium Pilatum Præſidem, qui eum interrogans, & nullam cauſam mortis inveniens in eo, dixit illis, eum eſſe innocentem. At

illi

illi inſtantes vocibus magnis petierunt, ut crucifigeretur. *Tunc Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum, & Jeſum flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur.*

Congregatâ autem cohorte plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput ejus, *& venerunt in locum, qui vocatur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum.*

Ubique Chriſtus idem traditus, apprehenſus, interrogatus, adjuratus, vinctus, flagellatus, ſpinis coronatus, & crucifixus. Chriſtus idem ſepultus, & in monumento à militibus cuſtoditus. *Illi autem abeuntes munierunt ſepulchrum, ſignantes lapidem cum cuſtodibus.* Demùm Chriſtus idem propriâ virtute redivivus factus: *ſurrexit Dominus verè.*

His omnibus ritè perpenſis, taceant Pſeudo-Critici illi, quoniam *abominatio eſt Domino labia mendacia.* Prov. 12.

Deiſtæ alii falsò commentantur Chriſti Diſcipulos eum è ſepulchro clàm ſuſtuliſse.

Verùm hic etiam fictiones haud faciunt ſatis, niſi fortaſse coràm earum auctoribus, auctorumque ſectatoribus. Quis enim ſanæ mentis ſibi perſuadeat, Judæos, quorum intererat plurimùm invigilare, ne Chriſti corpus clàm auferretur, incautos nihilominùs fuiſse?

Prophetæ prædixerant Chriſtum de morte triumphaturum. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Pſal. 15. *O mors, ero mors tua, morſus tuus ero, Inferne.* Oſee 13. Chriſtus ipſe Judæis dixerat: *ſolvite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Judæi, Scribæ, Phariſæi, & Principes Sacerdotum recordati Chriſtum dixiſse *poſt tres dies reſurgam*, munierunt ſepulchrum ſignantes lapidem cum

cuſto-

cuſtodibus, ne Diſcipuli poſsent furari corpus *ejus: jube ergo cuſtodiri Sepulchrum uſque in diem tertium, ne fortè veniant Diſcipuli ejus, & furentur eum*. Matth. 27.

Ecquis animum advertens ſibi perſuadeat, ut jam diximus, credatque Judæos & Principes Sacerdotum ita ſollicitos inconſideratè ſignaſſe monumenti lapidem, nec introſpexiſſe, nec examinaſſe priùs an Chriſti corpus jaceret adhuc in monumento eodem, nec etiam ſepulchri cuſtodibus ſedulam vigilantiam & accuratam circumſpectionem commendaſſe?

An dubitandi locum relinquunt hæc verba? *Convenerunt Principes Sacerdotum & Phariſæi ad Pilatum dicentes: Domine recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc vivens: poſt tes dies reſurgam. Jube ergo cuſtodiri ſepulchrum uſque in diem tertium ne forte veniant Diſcipuli ejus, & furentur eum, & dicant plebi: ſurrexit à mortuis; & erit noviſſimus error pejor priore*.

Chriſtus nihilominus à Judâ traditus, à Judæis captus, cæſus, flagellatus, ſpinis coronatus, lanceâ transfoſſus, Cruci affixus, denique mortuus & ſepultus, ac in monumento ſic cuſtoditus, ſurrexit verè. Chriſti reſurrectionem non Diſcipuli, non mulieres, ſed ipſi cuſtodes ſepulchri annuntiant Sacerdotum Principibus: *ecce terræmotus factus eſt magnus; Angelus enim Domini deſcendit de Cælo, & accedens revolvit lapidem ... præ timore autem ejus exterriti ſunt cuſtodes ... quidam autem de cuſtodibus illis venientes in Civitatem nuntiaverunt Principibus Sacerdotum omnia, quæ facta fuerant, & congregati cum ſenioribus, conſilio accepto, pecuniam copioſam dederunt militibus dicentes: dicite quia Diſcipuli ejus venerunt nocte, & furati ſunt eum, nobis dormientibus*,

Cùm

Cùm autem tranſiſſet ſabbathum, mane ſcilicèt eodem Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome venerunt ad monumentum, & aſpicientes viderunt revolutum lapidem, & Juvenem, Angelum ſcilicèt, qui obſtupeſcentibus ait: *nolite obſtupeſcere: Jeſum quæritis Nazarenum Crucifixum; ſurrexit, non eſt hìc ... ite, dicite Diſcipulis ejus, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam ... & illi audientes non crediderunt ... noviſſimè recumbentibus undecim apparuit, & exprobravit incredulitatem eorum.* Mar. 16.

Duobus autem ex diſcipulis iiſdem euntibus in caſtrum nomine Emmaüs, & colloquentibus de his, quæ acciderant in Jeruſalem, nempe de Chriſti morte & reſurrectione, nec tamen adhuc credentibus, appropinquans dixit Chriſtus ipſe redivivus: *o ſtulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti ſunt Prophetæ! Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in Gloriam ſuam?* Luc. 24.

Thomæ dicunt alii Diſcipuli: *vidimus Dominum*. Reponit Thomas: *niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam*. Elapſis autem octo diebus, cùm eſſent Diſcipuli ſimul, & Thomas cum eis, veniens Jeſus & ſtans in medio eorum, dicit Thomæ: *infer digitum tuum hùc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis*. Joan. 20.

Demum ne longiores ſimus, Apoſtolus, qui perſecutus fuerat Eccleſiam, ait: *Quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundùm Scripturas, & quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertia die ſecundùm Scripturas ... deinde viſus eſt pluſquàm quingentis fratribus ... noviſſimè autem omnium tanquam*

*quam abortivo viſus eſt & mihi* . 1. ad Cor. 15.

Si porrò Chriſti corpus ſuſtuliſsent Diſcipuli, ſi iſthæc omnia commentati fuiſsent atque excogitaſſent, quam ob cauſam, quâ ſpe ducti eadem confinxiſsent? Ex parte Dei ſpes prorſus nulla: *ſi enim Chriſtus non reſurrexerit*, ait Apoſtolus ibid., *inanis ergo eſt prædicatio noſtra, inanis eſt & fides noſtra*. Ibid.

Ex parte verò hominum nonniſi repoſita ipſis erant odia, vincula, carceres & ſupplicia, quemadmodum experti ſunt reddentes teſtimonium Reſurrectionis Jeſu Chriſti Domini noſtri.

Verùm, inquiunt Orobioniſtæ, non Religionis causâ exagitati fuere Apoſtoli, nec ſine emolumenti ſpe Evangelium annuntiavere. Nam Apoſtolus de Legis Moſaicæ impugnatione accuſatus, culpam à ſe removit. Chriſtiani autem primi ſua vendentes bona, pretium ante pedes Apoſtolorum deponebant.

Sed artificioſa & inanis eſt hujuſmodi argumentatio. Apoſtolus enim de ſeditione, & Templi violatione ſubdolè accuſatus, culpam hanc à ſe removit: *neque in Templo invenerunt me cum aliquo diſputantem, aut concurſum facientem turbæ, neque in civitate*. Actor. 24. Imò aſserebat ſe non peccaſse in Legem, etſi non eam ampliùs probaret.

Dicimus ſubdolè accuſatus, quia Princeps Sacerdotum, & qui cum eo erant Seniores præceperant Apoſtolis, ne docerent in nomine Chriſti. Paulus autem non ſolùm in nomine Chriſti docebat & prædicabat, ſed etiam Chriſti à Judæis occiſi Reſurrectionem annuntiabat affirmabatque. En Pauli crimen. Ergo Religionis Chriſtianæ causâ à Judæis exagitatus.

Idem prorſus dicendum de cæteris Apoſtolis exagitatis. Conſtat enim ex illorum Actibus eos, ſicut

& Chri-

& Chriſtianos primævos à Judæis laceſſitos plurimùm fuiſſe, virgis cæſos, in carcerem conjectos, imò & quoſdam etiam occiſos: neque aliter poſteriorum ſeculorum Chriſtiani, niſi ſcilicèt Religionis causâ, afflicti fuere, ſuppliciis affecti, & morti addicti.

Quantùm ad pretium bonorum divenditorum à Fidelibus, & ante pedes Apoſtolorum allatum, Religionis hoc divinitatem probat. Fideles enim Apoſtolorum exemplo, prædicatione & miraculis impulſi illud præſtabant non ad locupletandos ipſos à Deo miſsos, ſed ad ſublevandos egenos: nec ad alium finem quædam quoque pecuniarum collectiones fiebant.

Apoſtoli memores mandatorum divinorum: *euntes prædicate dicentes: quia appropinquavit Regnum Cælorum, infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones ejicite, gratis accepiſtis, gratis date: nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam*. Matth. 10. Atque hinc *creſcente numero Diſcipulorum, convocantes multitudinem... dixerunt: non eſt æquum nos relinquere Verbum Dei, & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo, Fratres, viros ex vobis boni teſtimonii.... quos conſtituamus ſuper hoc opus*. Act. 6. Intuens autem in eum (Claudum) Petrus cum Joanne dixit: reſpice in nos; at ille intendebant in eos, ſperans ſe aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit: *argentum & aurum non eſt mihi; quod autem habeo, hoc tibi do: in nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula*. Act. 3.

Et reverà nemo unquam divitiarum amorem exprobravit Apoſtolis; nemo vanitatis notam intentavit: *maledicimur & benedicimus*, inquiebat Apoſtolus, *perſecutionem patimur & ſuſtinemus; blaſphema-*

*mur, & obſecramus, tanquam purgamenta hujus mundi facti ſumus, omnium peripſema uſque adhuc.* 1. ad Cor. 4.

Urgent tamen increduli, & dicunt. Juxta Evangelium Angelus *dixit mulieribus: nolite timere: Jeſum quæritis . . . non eſt hìc, ſurrexit enim, ſicut dixit*, quæ verba indicant commercium Spiritus inter & homines, quod tamen dari non poteſt.

Inſuper Evangeliſtæ erant Chriſti diſcipuli, ac proinde teſtimonium illorum nullius eſt ponderis & momenti.

Quoad primum, ne tempore abutamur, audiant qui Critici nomine volunt inſigniri Ger. Joan. Voſſium, qui in Epiſt. ad Beveregium, de Pythoniſsâ Saulis diſserens, ait.

*Criticos quoſdam non poſse in animum inducere, aliqua eſse Spiritibus commercia cum homine: ac ſæpius mihi cum talibus ſermo fuit; ſed deprehendi eos vel admodùm negligenter legiſse Scripturas ſacras, vel utcunque diſſimularent, Scripturarum auctoritatem parvi facere. Toto animo tales abominor.*

Obſervandum hìc Voſſium loqui de Spiritibus generatim. Et verò, quamvis multa Oracula Ethnicorum Sacerdotum fraudibus tribuenda ſint, ut oſtenderunt Vandalus & Dominus de Fontenelle; plura nihilominus tribuenda quoque ſunt Dæmonibus. Sic 3. Reg. cap. 22. refertur Prophetas Achab à ſpiritu mendaci inſpiratos fuiſse: *egrediar, & ero Spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus*. Quare Vandalus & Fontenellius non ita ſentientes, fatentur tandem ſuam ſententiam eſse novam, à nemine ætatibus ſuperioribus admiſsam.

Siluerunt porrò Oracula iſta, prout incrementa cæpit & dominium ſortita eſt Religio Chriſtiana; ita-

itaque ſilentium hoc Religionis ejuſdem Chriſtianæ Divinitatem & Sanctitatem comprobat: *in nomine meo Dæmonia ejicient*, ajebat Veritas Incarnata.

Gratis omninò unâ cum Voolſtonio aſſerunt increduli, Diſcipulorum Chriſti teſtimonium de ejus Reſurrectione nullius eſſe ponderis & momenti.

Fatebuntur enim quicunque hiſtoricum Pyrrhoniſmum rejiciunt, factum præſertim maximi momenti à teſtibus non modò coætaneis ſed etiam oculatis relatum, tanquam certiſſimum eſſe habendum; alioquin factis hiſtoricis jam nulla ampliùs fides eſſet adhibenda, quod eſt contrà ſanæ critices regulas.

Diſcipuli porrò Chriſti Reſurrectionis, quæ indubitatè res eſt maximi momenti (*ſi enim Chriſtus non reſurrexit inanis eſt fides noſtra*) teſtes fuere coætanei, teſtes fuere oculati, eamque ut tales referunt; *quibus & præbuit* (Chriſtus) *ſe ipſum vivum poſt Reſurrectionem ſuam in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis*. Act. 1.

Et re quidem verà Diſcipuli nec decepti, nec deceptores fuere. Non decepti: *ſtetit Jeſus in medio eorum, & dixit eis: pax vobis, ego ſum, nolite timere. Conturbati verò & exterriti exiſtimabant ſe Spiritum videre; & dixit eis: quid turbati eſtis?... palpate & videte, quia Spiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere... adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: habetis hìc aliquid, quod manducetur?... & cùm manducaſſet coràm eis, ſumens reliquias dedit eis*. Luc. 24.

An ex his deducitur Diſcipulos fuiſſe deceptos? An hæc indicant Diſcipulos in monumento furatos fuiſſe Chriſti corpus? Hinc patet

Neque deceptores fuiſse. Nam omnia narrant

ſtylo ſimplici & candido, nec ſuam ſilentio prætereunt animi abjectionem & timiditatem, ſuam in credendo tarditatem, fugam, imò & Petri ipſius ejurationem: *tunc Diſcipuli ejus relinquentes eum omnes fugerunt: & tu cum Jeſu Nazareno eras; at ille negavit.*

Doctrinam à dolis & mendaciis prorſus alienam annuntiabant; vitam doctrinæ ita conſentaneam agebant, ut ne hoſtes quidem infenſiſſimi in eis quidquam vitii redarguerint; doctrinam & facta à ſe relata, vel edita indubitatis ac publicis confirmabant prodigiis: *is* (claudus) *cùm vidiſſet Petrum & Joannem incipientes introire in templum rogabat, ut eleemoſinam acciperet ... Petrus autem dixit: argentum & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi do: in nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula ... & protinùs conſolidatæ ſunt baſes ejus & plantæ.*

Stupenti autem omni populo reſpondit Petrus: *Viri Iſraelitæ, quid miramini in hoc? ... Deus Patrum noſtrorum glorificavit Filium ſuum Jeſum, quem vos tradidiſtis, & negaſtis ante faciem Pilati ... auctorem verò vitæ interfeciſtis, quem Deus ſuſcitavit à mortuis, cujus nos teſtes ſumus ... in fide nominis ejus ... quæ per eum eſt, dedit integram ſanitatem iſtam in conſpectu omnium veſtrum.* Act. 3.

Si autem Evangeliſtæ illi fraudem meditati fuiſſent, an narraſſent, ut fecere, innumera eaque mirifica Chriſti opera Judæis nota? An narraſſent contumelias, dolores, crucifixiorem, tempus, locum, perſonas, Sacerdotum Principes, & Præſides Judæis etiam notiſſimos? An ſic annuntiaſſent Chriſti Reſurrectionem, & Reſurrectionis circumſtantias notas *pluſquam quingentis Fratribus, ex quibus multi manent uſque adhuc, quidam autem dormierunt*, ſcribebat Apoſtolus 1. ad Cor. Cap. 15.?

Ho-

Horum omnium teſtes cæteri Apoſtoli non ſolùm ea probavere, ſed etiam proprii ſanguinis effuſione confirmarunt, non vanitatis, aut erroris tuendi gratiâ, prout quidam fecerunt, ſed veritatis comprobatæ prodigiis & miraculis tuendæ gratiâ.

Reponentne increduli hiſtoricos illos inter ſe convenisſe, ut ſuas texerent hiſtorias, nec niſi ut Chriſto devinctiſſimos eas concinnaſſe?

Aſt increduli, quod mirum eſt, hiſtoricos ſacros modò aſſerunt ita ſtupidos & rudes, ut hiſtoriam nonniſi fabulis refertam conſcripſerint; modò autem adeo ſubtiles & ſagaces, ut ne indicium quidem fraudis ſignificaverint. Sic ſibi ipſis contradicunt increduli.

Interim hoc certum eſt, hiſtoricos ſacros, tres ſaltem priores, paucis à Chriſti morte annis elapſis, ſuas in lucem protuliſſe hiſtorias. Matthæus quidem prior: hujus porrò hiſtoriam Evangeliſtæ cæteri notam procul dubio præ manibus habuerunt, quæ niſi accurata & vera fuiſſet, eam minimè probaſſent.

Evangeliſtæ iidem, etſi reverâ quoad rei ſubſtantiam inter ſe non diſſideant, quatenùs facta eadem diligenter recenſent, attamen, fatentibus; imo & objicientibus incredulis ipſis, in quibuſdam à ſe invicem ſunt diverſi. Sic licèt Marcus in narratione Matthæo brevior ſit; multa nihilominus commemorat, quæ in Matthæi hiſtoriâ non continentur. Sic Joannes ſolius Mariæ Magdalene mentionem facit; Matthæus verò Mariæ Magdalene, & alterius Mariæ; Marcus autem Mariæ Magdalene, Mariæ Jacobi, & Salome; Lucas demùm plures commemorat. Nulla tamen inde contradictio argui poteſt. Evangeliſtæ enim loquuntur non de omnibus Mulieribus, quæ ad ſepulchrum venerunt; ſed de ferven-

tioribus, inter quas profectò eminebat Maria Magdalene.

Quod autem non ſemper eadem facta commemorent Evangeliſtæ omnes, iſtud non caſu fortuito factum eſt, ſed videntur ea plerumque ſelegiſſe, quæ fini propoſito congruebant. Sic Matthæus Hebræorum gratiâ ſcribens, oſtendit illis adimpletas eſſe Prophetias de Meſſiâ. Lucas verò Græcorum gratiâ demonſtrat fabuloſas eſſe hiſtorias inter Græcos diſſeminatas. Atque hinc varietas illa argumentum eſt apertè demonſtrans, Evangeliſtas falsò incuſari colluſionis.

Ad id verò, quod addunt increduli, ſcilicèt Evangeliſtas Chriſto devinctiſſimos fuiſſe, petimus, an idcircò fides hiſtoriis Græcis & Romanis ſit deneganda, quòd ab hiſtoricis Græcis & Romanis Patriæ ſuæ amantiſſimis conſcriptæ fuerint. Minimè verò, dicent. Ergo pari jure, imò à fortiori, fides deneganda non eſt Evangeliſtarum hiſtoriis, quamvis illi Chriſto fuerint devinctiſſimi, cùm præcipuè, ut demonſtratum eſt, nec decipi, nec dicipere potuerint.

*Quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de Verbo vitæ ... annuntiamus vobis*, aiebat Joan. Epiſt. 1. Cap. 1.

Obſervandum Judæos non potuiſſe objicere Chriſti Reſurrectioaem ſibi incognitam fuiſſe. Etenim ab iis, quos poſuerunt cuſtodes, Reſurrectionis veritatem acceperant; ipſis, innumeriſque aliis populis eam manifeſtam tùm prædicatione, tum miraculis fecerant Apoſtoli, qui alios decipere voluiſſe credibile non eſt: abſurdum enim prorſus eſt ſibi perſuadere, homines mendaci excogitatione Orbem univerſum ad Religionem falſam attrahere meditatos

tos fuiſſe, eoſque opprobriis, cruciatibus, ſupplīciiſque hac de cauſâ ſeſe objeciſſe. Quòd ſceleſti quidam crimina aliquando negaverint à ſe commiſſa non mirum; ex ſuo enim mendacio ſperabant ſe mortem declinaturos, aut ſaltem procraſtinaturos eſſe. At Apoſtoli Reſurrectionem Chriſti teſtantes, omnia ſibi conflabant pericula; quæ tamen Reſurrectionem eamdem negantes declinaviſſent. Non ita tamen accidit: *non enim poſſumus*, inquiebant, *quæ vidimus, & audivimus non loqui*. Act. 4.

Inſuper Judæi nota habebant innumera Chriſti opera, contumelias, dolores &c. Pluſquàm quingentis hominibus factum Reſurrectionis ejus compertum erat; quî ergo fieri potuiſſet, ut Apoſtoli falſa narrare attentaſſent, eaque ſcripto mandaſſent Evangeliſtæ?

Verùm inter incredulos, ait Voolſtonius, militum Judæis referentium Diſcipulos Chriſti corpus ſuſtuliſſe, vera eſt narratio; nam mortui reſurrectio conſuetis naturæ legibus repugnat. Mulieres ſolæ & Diſcipuli reſurrectionem ejus annuntiant, quod ſanè non caret ſuſpicione. Inſuper Chriſtus dicitur ad Diſcipulos intraſſe januis clauſis, & formam pluries mutaſſe: quæ ultima merum indicant ſpectrum.

Verùm etiam, nonne videntur adhuc hodie cum Voolſtonio dicere Principes Sacerdotum unà cum ſenioribus, ſepulchri cuſtodibus: *dicite quia Diſcipuli ejus nocte venerunt, & furati ſunt eum, nobis dormientibus?* Matth. cap. 28. ℣. 13.

Aſt contra viros mendaces & doloſos altiùs clamat veritas. Chriſtus loquens de ſuâ paſſione & reſurrectione priùs dixerat: *Filius hominis tradendus eſt in manus hominum, & occident eum, & tertia die reſurget*. Matth. c. 17. ℣. 22. Judæi hujuſce Pro-

phetiæ recordati ſollicitudine ſummâ parique vigilantiâ occiſi ac ſepulti Domini muniunt ſepulchrum, ſignantes lapidem cum cuſtodibus. Quidam de cuſtodibus ipſis exterritis terræ motu magno & aſpectu Angeli revolventis ſignatum ſepulchri lapidem, & ſedentis ſuper eum, venientes in civitatem nuntiant Chriſti reſurrectionem. Mulieres & ex Diſcipulis duo ad ſepulchrum accedunt, & introſpiciunt, ut compertam rei veritatem habeant.

Cur porrò ſepulchri cuſtodes & mulieres omnia, quæ facta fuerant, narraſsent, & nuntiaſſent, niſi horum omnium plenè cumulatèque convicti? Cur Diſcipuli ad ſepulchrum acceſſiſſent, ſi Chriſti corpus furati fuiſſent?

Ut ſua firmet commenta Voolſtonius addit, mortui reſurrectionem curſui naturæ prorſus repugnare; Hoc quidem verum ex parte hominis: at prorſus falſum ex parte Chriſti Domini. Etenim qui hominem creavit, qui animam conjunxit unà cum corpore, poteſt denuò idem præſtare; qui Lazaro quatriduano jam fœtenti dixit: *Lazare, veni foras, & ſtatim prodiit*; qui eſt reſurrectio & vita ipſa, potuit etiam ſeipſum tamquam hominem occiſum à mortuis ſuſcitare.

Mulieres ſolæ & Diſcipuli, proſequitur Voolſtonius, Chriſti annuntiant reſurrectionem, quod ſuſpicione non caret.

Verùm nonne vel ipſi cuſtodes ſepulchri eam Principibus Sacerdotum notam fecerunt? Mulieres Diſcipulis, Diſcipuli verò omnibus gentibus? *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni Creaturæ*. Teſtimonium porrò ſive Mulierum, ſive Diſcipulorum fuiſſe verum, nec fraudis ullius ſuſpectum comprobavit vel ipſe Chriſtus redivivus. Mulieres à

monu-

monumento revertentes dixerunt Diſcipulis Chriſtum vivere, Diſcipuli verò non crediderunt: *noviſſimè* (autem) *recumbentibus illis undecim apparuit* (Jeſus) *& exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia iis, qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt.*

Voolſtonius inſuper ſibi perſuadere nequit, Chriſtum, reſurrectione adimpletâ, potuiſſe januis clauſis ad Diſcipulos intrare, quemadmodum & formam pluries mutare; unde concludit Chriſti corpus verum non fuiſſe, ſed ſpectrum.

At fruſtra Deiſta ille cavillationes colligit, ut probet Chriſti corpus humanum non fuiſſe, nec verum, nec ſolidum. Diſcipuli Chriſtum redivivum tetigerunt, viderunt ſæpiſſimè, cum eo ambulaverunt, collocuti ſunt, manducarunt, atque ut omnis tolleretur dubitandi locus dixit illis: *videte manus meas & pedes, quia ego ipſe ſum: palpate, & videte; quia Spiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere ... Habetis hìc aliquid, quod manducetur? ... & cùm manducaſſet coram eis, ſumens reliquias dedit eis.* Luc. 24. ℣. 39.

Chriſtus ad Apoſtolos ingreſſus januis clauſis, probavit corpus ſuum poſt reſurrectionem habere dotes, quas Sanctorum corporibus in Cœlis competere poſt Chriſtum docuit Apoſtolus: *ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute: ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale.* 1. ad cor. Cap. 15.

Chriſtus ſuam mutavit formam; aſt ut ſuæ reſurrectionis firmans veritatem, Diſcipulorum quoque, ſicut & omnium fidelium firmaret fidem. Mariæ Magdalenæ viſus eſt hortulanus: vox ejus reverâ ſonat in auribus Magdalenæ, agnoſcit eum redivivum, adoratura procidit ad pedes ejus; ne autem immo-

retur annuntiare Diſcipulis reſurrectionem, dicit ei Jeſus: *noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum*, ideſt, *nondum enim aſcendo ad Patrem meum*; hebraiſmus quippe hic eſt.

Diſcipulis euntibus in Caſtellum nomine Emmaüs tamquam peregrinus apparet Chriſtus; aſt eum audiunt dicentem: *o ſtulti, & tardi corde ad credendum!* Cùm aperiuntur oculi eorum in fractione panis, cognoſcunt eum, & confitentur verè à mortuis reſurrexiſſe, dicentes, *quod ſurrexit Dominus verè*.

Chriſtus ſtat in medio Diſcipulorum in Jeruſalem congregatorum, & dicit eis: pax vobis. Diſcipulis autem tunc turbatis & conterritis, exiſtimantibus ſe Spiritum videre, ait: *quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra? Videte manus meas & pedes, quia ego ipſe ſum: palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*.

Diſcipuli dicunt Thomæ: *vidimus Dominum*. Thomas incredulus eſt. Jeſus ſtans in medio Diſcipulorum dicit Thomæ: *infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis... Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti: beati qui non viderunt, & crediderunt*. Joan. C. 20. ℣. 29.

*Non ſuffecerat illi* (Thomæ) *ad fidem propriam vidiſſe quem noverat*, inquit D. Auguſtinus Serm. de tempore, *ſed nobis operatus eſt, ut tangeret quem videbat, ut ſi fortè diceremus deluſos fuiſſe oculos, non poſſemus dicere manus illius fuiſſe fruſtratas: in reſurrectionis enim manifeſtatione de aſpectu ambigi poteſt, de tactu non poteſt dubitari*.

Procul hinc vani Philoſophi. Innumera Naturæ phœnomena vobis ſunt prorſus impervia; & profunda

da Dei infinitè frivolam Philoſophiam veſtram, infinitè Matheſim veſtram ſuperantia ſcrutari attentatis? Non comprehenſa autem negare non erubeſcitis? *Loquimur Dei Sapientiam*, inquit Apoſtolus, *in myſterio quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinavit Deus ante ſecula in gloriam noſtram*. 1. ad Cor. 2. *Nam arma militiæ noſtræ carnalia non ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, & conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe adversùs ſcientiam Dei*. 2. ad Cor. 10.

## Propositio V.

*Sanctitatem Religionis Chriſtianæ probat ejus Doctrinæ excellentia.*

Religionis Chriſtianæ Doctrina hominem ad intuitum Cœlorum, Dei exiſtentiam omnipotentiamque enarrantium revocat. Doctrina hæc Deum Creatorem, atque omnium Rectorem probat, Deum ſummè bonum, omnibus providentem, omnis juſtitiæ fontem, vivorum & mortuorum judicem juſtiſſimum tradit.

Religionis Chriſtianæ doctrina docet, Deum in ſpiritu & veritate adorandum eſſe, ac ſuppliciter orandum, ut diebus cunctis actiones noſtras præveniat, & adjuvando proſequatur.

Hæc dilectionis proximi menſuram aperit, eum ſcilicèt diligendum eſſe ſicut nos; nemini faciendum eſſe, quod nobis fieri nollemus; inimicitias & odia eſſe fugienda, imò vel ipſam mali umbram eſſe evitandam.

Hæc à regalibus ſedibus veniens de ſuo munere admonet unumquemque, Reges, Principes, Al-

tiſ-

tiſſimi unctos, imperantes & ſubditos, virum & mulierem, parentes & filios, herum & ſervum, divites & egenos: non eſt qui à ſalutari ejus radio ſe abſcondat.

Illuceſcente hoc Sole Atheus Entis ſupremi fit adorator, polytheitæ ruentia cadunt ſimulacra, Chaldæi aperiuntur oculi, inceſtuoſa Perſarum ceſſant connubia, Ariſtomenes alter fana Deorum humano ultrà ſanguine inundari horreſcit, Roma triumphatrix ſemper & auguſta, Roma, eaque jurè ſuperba, quæ per totum dominabatur orbem, quæ gentium omnium gloriabatur ſervire erroribus, nullamque reſpuebat falſitatem, auditâ Chriſti Doctrinâ, ſonantibus Evangelii oraculis, docilis præbet aures, humilis aperit oculos, & Chriſti fit Diſcipula.

Nec mirum ſi Ethnici ipſi hujuſce *Doctrinæ* excellentiam fuerint admirati. Plinius ipſe ad Trajanum ſcribens aiebat, culpæ & erroris Chriſtianorum ſummam eſſe, quod Chriſto, quaſi Deo, carmen dicerent, ſeque ſacramento non in ſcelus obſtringerent; ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, nec fidem fallerent &c.

An, quæſumus, Doctrina adeò ſublimis, quæ errorum tenebras, eaſque etiamſi denſiſſimas, depellit, quæ vitiis adverſatur omnibus, nec ullis indulget voluptatibus; quæ, quaſi gladio, oves morbidas valet ſeparare à ſanis in fide & virtute, nec non lupos ipſos convertere in agnos; quæ demum innumeris ferè modis ac incitamentis ad ſanctè pièque vivendum admonet, hortatur & dirigit omnes bonæ voluntatis homines; an hæc, inquam, Philoſophiæ humanæ opus eſt, an verò Sanctitatis Religionis Chriſtianæ verum ac ineluctabile teſtimonium?

Turpiter, ut plurimùm, veteres Philoſophi erraverunt-

ſavere; ſed, quos impugnamus, recenſiores an ſapientiores? Lex in rei veritate his nulla eſt, ut tranquillè, ſi tamen fieri poteſt, cuicunque indulgere poſſint cupiditati: virtus ipſis idem eſt ac vitium, veritas idem ac mendacium.

Doctrina Chriſtiana, inquit Civis & Philoſophus Genevenſis, homines facit credulos & ſuperſtitioſos, at minimè Cives. *Emile*. Tom. 3.

Verùm quâ mente, quo ſenſu iſtud effutiat Civis ille, patet ex his ejus effatis. *Deus nihil revelare poteſt, niſi quod verum eſſe ratio demonſtrat. Cùm porrò doctrina Chriſtiana doceat innumera humanæ intelligentiæ vim & rationem prætervolantia, hinc nonniſi credulos facit; ſicut & ſcrupuloſè nimis ea obſervantes, ſuperſtitioſos.*

Sic Scriptor ille 1. ſcrutans altiora ſe, omnia Religionis ſanctæ myſteria, cæteraque oracula divina, quibus ipſa firmatur, nefando laceſſit auſu. Sic ingreditur profunda Dei, ut fiat incredulus. Sed ne jam dicta hic repetamus, conſulat lector ea, quæ adnotavimus hac de re ubi de Revelatione egimus.

Secundò falſiſſimum eſſe dicimus id, quod ſubjungit, nempe Doctrinam Chriſtianam non facere Cives. Hæc quippe non modò in ordine ad Deum, ad proximum, ad quemlibet ſtatum, ſed etiam ad ſocietatem omnes inſtruit & dirigit homines audire volentes. Vetat iras, contentiones, rixas, diſſenſiones, vindictam privatâ auctoritate factam, & cætera his ſimilia, ſocietatique adverſantia. Cavet, ne fœdus amicitiæ, ne pacis fœdera diſſolvantur; quia licèt diviſiones ſint operationum, unus tamen omnium Deus.

Auctor operis nefarii inſcripti: *le Chriſtianiſme dévoilé*, aſſerit Chriſtum & Chriſti Apoſtolos multa

ac

ac varia ex myſteriis & ſtatutis ſuis mutuatos fuiſſe ab Ethnicis, ut ab Egyptiis, Græcis &c. ac proinde Doctrinam Chriſtianam haud poſſe dici ſanctam.

Verùm impudens etiam in impietate ſcriptor ille proferat momenta, quibus conſtet Chriſtum perluſtraſſe Ethnicas regiones, ut ab earum incolis Religionis ſuæ myſteria & ſtatuta mutuaretur. Interim audiat Chriſtum, qui eſt ipſa Veritas: *mea doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me*. Joan. 7. *Ego ex me ipſo non ſum locutus, ſed qui miſit me Pater: ipſe mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar*. Joan. 12. Indicantne iſta verba, Chriſtum ab Ethnicis ſua mutuatum fuiſſe myſteria atque ſtatuta?

Quantùm ad Chriſti Apoſtolos, quis unquam ſibi perſuadere poterit, eos, qui Chriſtum viderant redivivum, qui cum Chriſto redivivo manducaverant & biberant, quibus dixerat Chriſtus: *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis*. Matth. 28. ℣. 20. quis, inquimus, ſibi perſuadeat Apoſtolos de Chriſti reſurrectione hiſtoriam ex fabellis Atys & Adonidis hauſiſſe, ut aſſerit tenebricoſus hic Scriptor? *Notum vobis facio* (aiebat Apoſtolus ad Galat. 1.) *Evangelium, quod evangelizatum eſt à me, quia non eſt ſecundùm hominem: neque enim ab homine accepi illud, neque didici, ſed per revelationem Jeſu Chriſti*.

Et verò ſi Apoſtoli Religionis myſteria & ſtatuta ab Ethnicis mutuati fuiſſent, Ethnici iidem Apoſtolos non ut Evangelii præcones, non ut Simulacrorum everſores, ſed tanquam myſteriorum & rituum ſuorum approbatores amicè excepiſſent.

PRO-

## Propositio VI.

*Sanguine Martyrum effuſo Religionis Chriſtianæ ſtabilitur etiam Divinitas.*

Obſervandum hic agi ſolùm de veris Martyribus, qui ſcilicèt veram agnoſcentes eſſe Religionem Chriſtianam, & divina præconum illius eſſe Miracula eam capitis ſui periculo confeſſi, & proprio ſanguine effuſo teſtati ſunt.

Hinc procul illi omnes, qui Martyris nomen ſibi arrogabant, qui ſcilicèt vel ſtupidi, vel fanatici, vel pervicaces, & inanis gloriæ cupidi mortem oppetiêre.

Neque enim Martyres ſanctitate conſpicui nonniſi veritate intus convicti, ac opitulante Dei gratiâ, morti ſe cruentæ obtulerunt; neque adeo fanaticos, & furore aliquo lymphatos fuiſſe putandum eſt ut pro vanis & falſis opinionibus cruentos, immaneſque dolores perpeſſi fuerint.

Neque demum inanis alicujus gloriolæ cupidine ducti. Nam perpaucos admodùm reperire eſt, qui talem ob cauſam crudeliſſima perferant ſupplicia. Martyrum ſpes in Cœlo repoſita erat non in falsâ & inani gloriâ: ludibria, verbera, vincula, carceres, ferrum & ignem experti, lapidati, depreſſi, afflicti mortem pro Religionis divinitate, ſanctitate & veritate tuendâ læti aſpiciebant, ut meliorem invenirent reſurrectionem.

Ducti ad Reges & Præſides, quam profitebantur, Chriſti Religionem confeſſi, ipſis eorumque imperio cuncta exoptabant proſpera, mandatis, illæsâ Religione eâdem, parebant; ſed imperatis contra

eam reluctantes colla præbebant abſciendenda, ſcientes, quoniam *obedire oportet Deo magis, quàm hominibus*: Actor. 5.

Dodvellus, ut hoc argumentum infirmet, malignè atque improbè aſſerit Chriſtianos paucos primis Eccleſiæ ſeculis fuiſſe martyrio affectos. Volterius Dodvellum magnis quidem laudibus effert; aſſerit tamen Dodvellum negare potuiſſe Chriſtianos reverâ martyrio affectos fuiſse. Adminiſter Bourdæus adverſùs Legionis Thebanæ martyrium inſurgit. (1)

Verùm etſi pauca primis Eccleſiæ ſeculis Cæſarum edicta contra Chriſtianos lata fuerint; potuit nihilominus Martyrum ingens eſſe numerus: tunc quippe ardens & cruenta Flaminum & Magiſtratuum deſæviebat manus, quatenus cum *Romanis* legibus atque edictis antiquis cautum erat ne cultus novus conjungeretur; atque ideo in Chriſtianos ſæviebant. Unde D. Irenæus lib. contra hæreſ. ait: *ab Eccleſia in omni loco Martyrum multitudinem præmitti ad Patrem*. Sanctus Cyprianus verò in exhort. ad martyr. hæc D. Joannis verba: *vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*, Martyrum multitudini accommodat.

Lactantius autem lib. de perſecutorum morte, cap. 6. ait: *Vexabatur univerſa Terra; tres acerbiſſimæ beſtiæ ſævierunt*. Euſebius verò, commemoratis in ſuà hiſt. Eccleſ. Trajani, Antonini, Marciani, Severi, Decii & Valeriani perſecutionibus, de Diocle-

(1) *Inter diſſert. II.*
*Eſſai ſur l' hiſtoire générale.*
*Diſſertat. hiſt. & critique ſur le martyre de la Légion Theb.*

cletianâ ait lib. 8. cap. 4. *Dici non poteſt quot,& quantos Chriſti Martyres in omnibus locis, atque urbibus cernere licuerit.*

Hiſtoricus idem libro eodem refert in Phrygiâ urbem quandam unà cum incolis omnibus concrematam fuiſse eò quod *illi omnes & Prætor ipſe ac Magiſtratus Chriſtianos ſe eſſe profeſſi, ſacrificare jubentibus nullo modo obtemperabant.*

Volterius ſuis in ſpeciminibus aſſerit ex Cæſaribus ad Domitianum uſque nullum in Chriſtianos deſæviiſſe, ne excepto quidem Nerone. Quare Suetonium, Sulpicium Severum, Paulum Oroſium, Lactantium & Euſebium tanquam deliros & ſenſu deſtitutos hiſtoricos habet, miraturque Dodvellum hujus generis hiſtoricis fidem aliquam habuiſſe. Sic ſtylo fretus ſuo aſpectum veritatis mendacio tribuere & vera cum falſis miſcere impudentiſſimè nititur.

Ex hiſtoriis referentibus perſecutiones adverſùs Chriſtianos primis Eccleſiæ ſeculis ſuſcitatas, alii fuerunt teſtes oculati, alii verò à ſeculis iiſdem non multùm remoti. Inter alios reperiuntur S. Lucas, qui Actor. Cap. 8. ait. *Facta eſt autem in illa die perſecutio magna in Eccleſia, quæ erat Jeroſolymis.* Divus Juſtinus, qui horrendis Martyrum ſuppliciis, invictâque illorum patientiâ commotus, accedente Dei gratiâ, ad Chriſtum converſus Apologiam pro Chriſtianis exaravit, atque eam Imperatoribus M. Aurelio, & Lucio, necnon Senatui Populoque Romano obtulit.

Furentibus pariter perſecutionibus iſtud etiam præſtarunt Melito Sardenſis Epiſcopus, ut refert Euſebius hiſt. Eccleſ. lib. 4. Athenagoras, cujus Apologiam citat Divus Epiphanius ubi de Origenis hæreſi loquitur.

Sanctus Irenæus, Commodo regnante, martyr autem factus Severo imperante. Tertullianus, qui inſignem Chriſtianorum causâ ſcripſit Apologiam, regnante eodem Severo. D. Cyprianus exhortatione ad martyrium. Lactantius, auctor libri, ut veriſimilius eſt, de morte perſecutorum. Euſebius, qui hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 23. ait: *Igitur Nero, ut apertum ſe hoſtem divinitatis, pietatiſque profeſſus eſt, ipſorum priùs Apoſtolorum, quippe qui Duces & ſigniferi erant in populo Dei, expetit neces.*

Concinit, relataque firmat conſtans ac perpetua Traditio.

Aut Volterius noverat illa, quo in caſu critica ejus ars fuit doloſa, & venenata loquacitas; ſi verò non noverat, quæ ignorabat impiè atque audacter effudit. Interim aſſeri poteſt, comprobantibus illius operibus, eum impudentiſſimè omnia audere, dummodo ſe Chriſtianæ Religionis fundamenta aliqua ex parte convellere poſse arbitretur: alio enim in loco aſſeruerat non Religionis, ſed rebellionis & perduellionis causâ martyrio affectos fuiſſe Chriſtianos.

Quantùm ad Legionem Thebanam adminiſter Bourdæus eam impugnat, verùm procul dubio vanâ ſcientiâ inflatus, & ſuperbiæ causâ: neque enim rationes & momenta affert, quæ faciant ſatis.

Aſſerit iſte igitur ſeditionis causâ martyres cruciatibus vexatos fuiſse, & morti addictos; at quàm falsò jam nos probavimus. Quare hic tantùm addimus Scriptorem illum, ne unum quidem aſſertionis ſuæ argumentum proferre poſſe. Quapropter ſi veritate ductus, non vanitate impulſus hiſtoricos legiſſet, quæ in hiſtoriis narrantur, non labefactaſset.

*Ego quidem non ambigo*, inquiebat Antoninus Cæſar, *etiam Diis ipſis curæ eſſe, ne quis noxius lateat.*

*teat. Multò enim magis illis convenit punire eos, qui ipſis immolare nolunt, quàm vobis.* Epiſt. ad Aſiaticos pro Chriſtianis. Ergo Chriſtiani non rebellionis, & ſeditionis causâ puniebantur; ſed quia Diis immolare nolebant.

Urbicius Judex non percontabatur à Chriſtianis an Cæſarum edictis pro pace & publicâ tranquillitate latis obtemperarent; verùm an Chriſtiani forent; atque idcircò ita confeſsos in vincula conjiciebat, & ad ſupplicia duci jubebat. Ita Juſtinus apud Euſeb. hiſt. Eccleſ. lib: 4. Cap. 17.

*Poſt non multum verò temporis adduntur & alia.* (edicta) *Jubetur, ut omnes, qui per loca ſingula Eccleſiis præſunt, primò quidèm conjiciantur in vincula, tùm deinde omnibus ſuppliciis ſimulacris immolare cogantur.* Idem lib. octavo.

Cùm porrò Tyrannorum crudelitas, tamquam flamma cruenta, ſæviiſset in militares Chriſtianos, qui ſimulacris immolare nolentes mortem ultrò oppetierant, flamma eadem per populos & Sacerdotes dilatat incendia; unde *poſſibile non eſt*, proſequitur Hiſtoricus ille cap. 4. *numero comprehendi quanti quotidie penè per ſingulas quaſque urbes & provincias Martyres efficiebantur.*

De perduellionis, aut ſeditionis crimine non ſolùm nulla unquam extitit contra Chriſtianos accuſatio, ſed ne aliqua quidem mentio. Aut ſimulacris immolandum ipſis erat, aut vincula & ſupplicia eligenda.

Si nondum exſatiata eſt ars critica Volteriana, non refugiet ſanè ſcriptor ille Joſephum Scaligerum audire: *idem ſentimus* (inquit Criticus ille peritus animadverſione in Euſebii Chron.) *de Actis Martyrum Lugdunenſium & Viennenſium apud eumdem Euſebium, quibus quid auguſtius?*

Audiatur Plinius junior, qui Epiſtolâ 97. de Chriſtianis ait: *adfirmabant autem hanc ſuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ, vel erroris, quòd eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto, quaſi Deo, dicere ſecum invicem.*

Ergo neutiquam ratione rebellionis & ſeditionis martyrio vitam finiebant, ſed quia juxta Euſebium, referentem eorum acta (*quibus quid auguſtius!*) Diis immolare recuſabant; ſed quia ſoliti ſtato die convenire, carmen Chriſto dicebant.

Imò Porphyrius ipſe juxta Joannem Clericum artis crit. Tom. 1. Part. 2. ſcriptoribus noſtris exprobrabat, quod Martyres ejuſmodi orationibus aſſueti, ex ſimplici tantùm perturbatione martyrium paſſi fuerint. Ergo non rebellionis & ſeditionis causâ, ſed ex ſimplici perturbatione, ſed ex *inani* metu: in quo Chriſtianorum hoſtis ille infenſiſſimus malevolum ſuum patefecit animum.

Apoſtoli Chriſti fuere Diſcipuli, mirabilium ejus operum teſtes oculati fuerunt; cum Chriſto redivivo ſunt converſati, manducaverunt & biberuut; ad Reges & Præſides ducti, aut in medio Principum, Seniorum & Scribarum ſtatuti ac interrogati, videntibus omnibus, non ex ſimplici perturbatione, ſed magnâ cum conſtantiâ dixerunt: *notum ſit omnibus vobis, & omni plebi Iſrael, quia in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis* &c. Act. 4.

Ecquis ſanè ſibi perſuaſerit, tot inſignes viros, quorum plerique fuere Epiſcopi, ut Simeon, Dyoniſius Areopagita, Polycarpus, Irenæus, Ignatius, Cyprianus & Juſtinus, ambo celebres etiam Philoſophi, item innumeros quoque Martyres alios, qui priùs vel Judaicis ritibus erant addicti, vel pravis Ethni-

Ethnicorum ſuperſtitionibus imbuti, ſed vel Chriſti Diſcipulorum miraculis concionibuſque ſacris, aut ſimilium præconum documentis, vel etiam Martyrum ipſorum conſtantiâ commoti & convicti de Religionis Chriſtianæ Divinitate & Sanctitate, ecquis, inquimus, ſibi perſuaſerit, eos, avitâ Religione relictâ, ex ſimplici perturbatione cruciatus & ſupplicia paſſos fuiſſe, cùm & tormenta & mortem declinare potuiſſent aut ritus ſuos, aut falſorum Numinum cultum retinentes?

Hi omnes igitur oculos & cogitationem intendentes in auctorem Fidei, & conſummatorem Jeſum teſtimonio Fidei probati ſunt, eligentes affligi & cruciari potiùs, quàm veritati non obedire. Quòd ſi aliquando aliqui inter homines vitam amiſerint aliâ, quam Religionis veræ causâ, de illis hìc quæſtio non movetur, & fruſtra prorſus hujuſmodi exempla objicerent increduli.

Quantùm ad Legionem Thebanam, hæc ſub Maximiano Imperatore martyrium paſſa narratur, eo quòd Imperatori jubenti, ut Legionis hujus milites Chriſtiani Diis immolarent, obtemperare recuſaſſent: ac idcirco primùm ac iterum decimati, gladio pereunt; cæteri verò in eâdem Fidei confeſſione perſeverantes ad unum omnes trucidantur. Legionis dux & Chriſticola erat Mauritius.

Hujuſce Legionis martyrium jam quinto naſcente ſeculo celebrabat Divus Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus. Legionis ejuſdem mentionem faciùnt Hieronymus ſuis in martyrologiis, Acta S. Victoris Maſſilienſis, Florentinius, Gregorius Turonenſis, Jacobus Thomaſius, Ruinartius, Tillemontius, Helmandus. Legionem extitiſſe, martyrioque affectam fuiſſe pro certo atque explorato habuit ſemper Ec-

cleſia Romana, & unà cum ipsâ omnes Chriſtianæ Societates.

Euſebius quidem hujus Legionis conceptis verbis non meminit; at mirum non eſt. Nam Legionem hanc apud Agaunum præcisè trucidatam fuiſſe referunt hiſtorici plures, & conſtans traditio confirmat. Euſebius porrò Cæſarienſis erat Epiſcopus, qui nihilominus tunc temporis ait: *Divinos agones beatiſſimorum Martyrum leviter, quàntum poſſumus, explicabimus ... Poſſibile non eſt numero comprehendi quanti quotidie penè per ſingulas quaſque urbes & provincias Martyres efficiebantur*. Hiſt. lib. 8.

Porrò martyrium iſtud contigiſſe circa finem ſeculi tertii vulgò tenent hiſtorici; qui quoad numerum militum interfectorum variant. Interim Bourdæus de iis, quæ ignoravit, imperitè ſententiam tulit.

## Propositio VI.

### *De Propagatione Religionis Chriſtianæ*.

Quod Sectæ quædam laſcivienti voluptatum licentiæ indulgentes progreſſum fecerint, imò & præpotentes evaſerint, mirabitur nemo, qui voluptatum lenocinia, atque imperium ſeriò perpendat. Sed quod ea Religio, quæ nonniſi difficiliora & captum humanum omninò excedentia proponit credenda, Deum ſcilicèt Unum, & in Perſonis Trinum, Dei Filium conſubſtantialem Patri, Incarnatum pro nobis omnibus, crucifixum, redivivum &c. Religio, quæ voluptatibus bellum indicit perpetuum, cupiditates refrenat, divitiis paupertatem opponit, honoribus & dignitatibus humilitatem, cujus ardua ac

ac moleſta varia ſunt præcepta: *Diligite inimicos veſtros; benefacite his, qui oderunt vos; orate pro calumniantibus & perſequentibus vos; nulli reddentes malum pro malo* &c. Religio, quæ ſectatoribus ſuis ignominiam, exilia, carceres, vincula, ſupplicia & necem ipſam in hac mortali vitâ proponit; quæ per duodecim viros rudes ac imperitos, ac omnibus humanis auxiliis deſtitutos, imò adverſantibus etiam hominibus annuntiata habetur; quod, inquimus, Religio hujuſmodi per orbem univerſum, & quidem celeriter diffuſa fuerit, atque ab innumeris & conditionis cujuslibet excepta hominibus, quod lupos in agnos converterit, ſceptra confregerit, ſapientes ſubegerit, Deorum templa everterit, ſanè Religionis talis, Chriſtianæ ſcilicèt, per orbem diffuſio ſolius Dei opus eſſe poteſt, certiſſimumque divinitatis & ſanctitatis Religionis ejuſdem argumentum.

Et verò fieri haud potuit, ut Religio Chriſtiana ſine ſpeciali auxilio divino, obſtantibus tot oppugnationibus, per orbem propagaretur. Vincendæ erant Principum poteſtates, & Magiſtratuum ſævitia, Tyrannorum barbaries; ſuperanda Philoſophorum ſuperbia, Flaminum auctoritas; diſſipanda erant omnium præjudicia. Profectò *hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum, quem miſit ille*. Joan. 6.

Verùm, inquiunt Deiſtæ, niſi Conſtantinus, Conſtantinique ſucceſſores manum admoviſſent & operam, Ethniciſmus longè latèque etiamnum foret diffuſus, & intacta cernerentur Jovis & Martis templa.

Inſuper variæ adhuc reperiuntur Religiones diffuſæ, etſi diverſæ prorſus à Chriſtianâ, cui ſicut & Judaicæ, minimè obſtiterunt Principes, præſertim Romani; ac proinde Religionis Chriſtianæ propaga-

tio haud difficilis fuit, nec opus tàm arduum, ut exhibetur. (1)

Verùm quoque, niſi Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in Diſcipulos Domini audiiſſet: *Saule, Saule, quid me perſequeris? Ego ſum Jeſus, quem tu perſequeris*, nec gentes plurimæ fortaſſis audiſſent nomen Domini Jeſu Salvatoris noſtri.

Conſtantinus adhuc Ethnicus adversùs Maxentium parans bellum, at de victoriâ anxius & incertus, oculos tollit in Cœlum, cernit ſignum Crucis, vocem audit dicentem: *in hoc Signo victor eris*. Conſtantinus reverâ de Maxentio victoriam refert; ubique digitus Dei; ubique Domini miſericordiæ, qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem operarios, eoſque varios in ſuam mittit vineam. Iſthæc perpendant Juriæus, Juriæique *ſectatores*, & ceſſabunt injuriam facere miſericordiæ Domini.

Quantùm ad Religiones à Chriſtianâ diverſas, eaſque diffuſas, illæ, prout jam obſervavimus, ſunt meri fœtus voluptatum & cupiditatum, nec proinde mira eſt illarum propagatio: mira potiùs incredulorum aſſertio eſt, cùm aiunt, Principes, præſertim Romanos, nec Judaicæ, nec Chriſtianæ Religioni obſtitiſſe. Nonne legibus Romanis prohibitum erat ne Dii novi & advenæ colerentur? Nonne Mecænas Auguſto ſuaſerat, ut omnes ad Deos Imperii colendos adigeret, ac renuentes ſuppliciis afficeret? Nonne, referente Tacito, edicto ſancitum fuerat, ut Ægy-

(1) *Jurieu Lettre 8. du tableau du Socinianiſme. .... du droit des deux Souverains.*
*Philoſophie de l' hiſtoire.*
*Dictionnaire Philoſoph.*
*Traité de la Tolérance.*

Ægyptii omnes & Judæi exirent Italiâ, niſi ſtatuto die ſuam ejurarent Religionem? Referente adhuc eodem hiſtorico lib. annal. 13. Nero graviſſimis pœnis affecit Chriſtianos; Caius Tiberii ſucceſſor Judæorum genti hoſtis fuit acerbiſſimus juxta Philonem; Herodes Agrippa deſæviit in Apoſtolos ſicut & Claudius. Qui plura deſiderat, percurrat hiſtor. Eccleſiaſti. Euſebii libros primos, & compertum habebit Romanos Principes non omnes toleraviſse Religiones.

Obſervandum 1. tribus Eccleſiæ prioribus Seculis, Imperatoribus ad Fidem Chriſtianam nondum converſis, Chriſticolas ab Ethnicis jam exagitatos fuiſſe, & ſuppliciis excruciatos, & ad eorum perniciem varia ab Imperatoribus exiiſſe edicta, quibus omnibus Ethnici à Fide Chriſtianâ avocabantur. Qui igitur tunc temporis, quemâdmodum & deinceps, Religioni Chriſtianæ nomen dabant, non novitatis causâ, ut garriunt increduli, ſed Religionis ipſius divinitate & ſanctitate impulſi, vel miraculis, & martyrum patientiâ ſimul & conſtantiâ pervicti, aſpirante etiam ſuperno lumine, id præſtabant.

Obſervandum 2. decurrentibus primis tribus Eccleſiæ ſeculis jam tum immenſam Chriſtianorum fuiſſe multitudinem, prout patet tùm ex Actibus Apoſtolorum: *augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum*. Cap. 5. tùm ex Pauli Epiſtolis ad Romanos, Corinthios &c. tùm denique ex hiſtoricis Eccleſiaſticis: *veſtra omnia implemus*, aiebat Tertullianus in Apologetico, *Vrbes*, *Caſtella*, *Municipia*, *Caſtra*, *Tribus*, *Decurias*, *Palatium*, *Senatum*, *Forum*; *ſola relinquimus vobis templa*, *ita ut videres &c.* Euſebius hiſt. Eccl. lib. 3. ſcribebat: *una allocutione integros ſimul populos ad cultum divinæ Religionis adduci*, *& prædicantium verbis non eſſe*

*tar-*

*tardiorem audientium fidem*. Tacitus lib. 15. Cap. 4. aſſerit, ſub Nerone ingentem fuiſſe Chriſtianorum multitudinem.

Cùm autem Conſtantinus & Licinius ſtatuiſſent *Legem, in qua*, ut ait Euſebius, *Deum Chriſtianorum pleniſſimis laudibus proſequuntur, & ipſum auctorem ſibi totius virtutis, atque operis profitentur, ipſumque de Tyranno præſtitiſſe victoriam, & ideo ab univerſis hinc venerationem cultumque deferendum*, diffuſior adhuc facta fuit Religio; perſecutio autem ſopita, at non penitùs extincta.

Sub Licinio verſipelli recrudeſcit, ſub Juliano Apoſtatâ primùm blanditiis obtegitur, Idolorum cultus approbatur, Magorum, Philoſophorum, Aruſpicum, Augurumque voces invaleſcunt adversùs Chriſtianos, & perſecutores non coercentur: verùm Chriſtiani, divinâ adjuti potentiâ, omnia vincunt.

Inſiſtunt recentiores Philoſophi, & dicunt. Vexationes & inſectationes media ſunt merè naturalia; ea tamen ad Religionem propagandam aptiſſima, ut patet ex factis Imperatorum Chriſtianorum, qui nonniſi vexationibus & inſectationibus adversùs Ethnicos motis Religionem Chriſtianam propagarunt; ſicque Religionis ejuſdem diffuſio merè naturalis videtur.

Verùm etiam, ſi Religionis Chriſtianæ, ut ſibi mentientes hìc aſſerunt Philoſophi illi diffuſio tribuenda eſſet vexationibus & inſectationibus motis ab Imperatoribus Chriſtianis adversùs Ethnicos, jam eo in caſu Imperatores vexationibus atque inſectationibus prementes Chriſtianos, varia enim & ſæviſſima contra eos exierant edicta, falſorum Numinum debuiſſent augere cultum, atque novos acquirere diſcipulos; cùm tamen contrà Sanguis Martyrum tunc factus fuerit tanquam ſemen Chriſtianorum. *Dum pri-*

*ores*

*ores quique jugularentur, reliqui non deſidiæ, aut torpori animos indulgebant*, ſcribit Euſebius hiſtor. lib. 8. *ſed pſallentes, & hymnos Deo canentes locum quiſque ſui martyrii expectabat. Sed quoniam eò magis gens iſta* (Chriſtianorum), ſcribit Maximinus ad Sabinum Præfectum, *propagetur & creſcat, quò maximè putatur inhiberi velle ſe potius &c.* ibid. Lib. 7.

Et re quidem verâ vix effulſit lux Evangelica, vix exiit ſonus vocis Apoſtolorum, ſequentibus ſignis, & fidem ſanguine effuſo probantibus martyribus, cùm Cæſarea ſuos numeravit Chriſtianos, Roma ſuos, eoſque nobiles & illuſtres, Galliarum urbes nobiliſſimæ ſuos, Alexandria, Nicomedia, Mauritania, Thebais, Ægyptus &c. Areopagus ſuos ſapientes, Græcia Philoſophos eruditiſſimos &c. Atque ideo D. Hieronymus lib. de viris illuſtribus ajebat: *diſcant ergo Celſus, Porphyrius, Julianus, rabidi adversùs Chriſtum canes, diſcant eorum ſectatores, qui putant Eccleſiam nullos Philoſophos eloquentes, nullos habuiſſe doctores, & quanti & quales viri eam fundaverint, extruxerint, & adornarint; & deſinant fidem noſtram ruſticæ tantùm ſimplicitatis arguere, ſuamque potiùs imperitiam agnoſcant.*

Suam hìc agnoſcant increduli arrogantiam, atque impietatem, quos non pudet Religionis Chriſtianæ propagationem propagatis laſcivientibus ſectis æquiparare. Carnales ſint, mera ſapiant terrena, clauſos teneant oculos ne lumen videant: non minùs tamen Verbum caro factum. Lux erit illuminans omnem hominem, ſi ſibi non ſit inimicus; non minùs Religionis Chriſtianæ diffuſio ſolius Dei opus, illudque mirabile in oculis omnium hominum bonæ voluntatis. Factum eſt iſtud à Domino, qui à montibus æternis egreſſus eſt Salvator, qui tetendit Cœlos,

los, & fundavit Terram, qui dixit Diſcipulis, & eorum in miniſterio ſucceſſoribus. *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ; qui crediderit & baptizatus fuerit ſalvus erit, qui verò non crediderit condemnabitur.* Marc. 16. Priùs verò Matth. cap. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis; & ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi.*

Incredulus quidam invertens tùm Apoſtoli hunc textum: *pax omni operanti bonum, Judæo primùm & Græco*; tùm Ambroſii mentem, cùm nempe in Valentiniani oratione funebri dixit Principem illum, etſi non baptizatum, nihilominus eſſe ſalvum; tùm denique Auguſtini quoque textum Epiſt. *ſcilicet* 49. falsò exiſtimat, hunc divum Doctorem docuiſſe, omnem hominem ab ortu generis humani in Deum credentem, & pietatis juſtitiæque opera facientem, cujuſvis fuerit Religionis, ſalutem conſequi poſſe æternam. (1)

At quàm diſtorta ſit mens auctoris iſtius, patet. Nam 1. Apoſtolus eò loci Ethnicorum fiduciam excitare intendit, probans ac demonſtrans Deum non tantùm Judæorum eſſe Deum, ſed etiam omnium gentium, quatenus, ut ait ibidem ad Romanos Cap. 5. *Juſtitia Dei per fidem Jeſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum; non enim eſt diſtinctio*, & ibid. ℣. 29. & 30. *An Judæorum Deus tantùm? Nonne & Gentium?* Rationem autem reddens Apoſtolus ait iterum Cap. 8. *Si Deus pro nobis, quis*

(1) *Auctor libelli, cui titulus:* Anecdotes ſur Bélisaire.

*quis contra nos? Qui proprio Filio ſuo non perpercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.*

Apoſtolus igitur ibi Gentilium excitat fiduciam nec non ad fidem Jeſu Chriſti invitat, quia *non eſt in aliquo alio ſalus*. Actor. 4. ergo non in qualibet Religione. Quia porrò Gentiles non audient ſine prædicantibus, niſi ii mittantur, ideo dixit Jeſus Diſcipulis ſuis. *Euntes docete omnes gentes . . . docentes eos ſervare omnia quæcunque mandavi vobis*. Matth. 28. *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis*. Marc. 16.

Quæ verba invictè probant Religionis Chriſtianæ propagationem unius Altiſſimi eſſe opus.

Mens D. Ambroſii longè aliena eſt à mente Auctoris memorati. Eccleſia Catholica duo docet hic 1. Baptiſmum ſanguinis, ſeu Martyrium pro Chriſto toleratum, perfectè ſupplere virtutem Baptiſmi aquæ, quia generalis eſt hæc Chriſti ſententia: *qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam*. Matth. 10.

Unde D. Auguſtinus lib. 13. de Civit. ait. *Qui dixit: niſi quis renatus fuerit ex aqua &c. idem generaliter dicit: qui me confeſſus fuerit &c.*

Docet 2. Eccleſia, Baptiſmum flaminis, ſeu deſiderii ſufficere ei, qui Baptiſmum aquæ haud valens recipere, corde nihilominus contrito unà cum voto Baptiſmi ejuſdem moritur, ac proin Eccleſia eadem cenſet, illum eo in caſu verè Chriſtianum eſſe. Poſt Evangelium promulgatum, juxta Tridentinos Patres Seſſ. 6. nunquam fit translatio à ſtatu veteris Adæ ad ſtatum Gratiæ ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto. *Invenio*, inquit D. Auguſtinus lib. 4. de Bapt. *non tantùm paſſionem pro nomine Chriſti id quod deerat*

*rat ex Baptiſmo poſſe ſupplere, ſed etiam fidem, converſionemque cordis, ſi fortè ad celebrandum myſterium Baptiſmi in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt.*

De tali porrò caſu ſermo eſt apud Ambroſium. Cùm enim Valentinianus deſideraret Baptiſmum, & S. Doctorem arceſſiſſet, ut ſacris ablueretur undis, proficiſcente Ambroſio, Princeps ab Arbogaſto trucidatur. Orationem autem habens funebrem S. Doctor ait: *Audio vos dolere, quod non acceperit Sacramenta Baptiſmatis ... quod ſi martyres ſuo abluuntur ſanguine, & hunc ſua pietas abluit & voluntas.*

Memorati igitur auctoris objectio nullius momenti eſt, ſicut etiam ea, quam profert, quoad Auguſtini textum. Non enim docuit S. Auguſtinus hominem conſequi ſalutem, dummodò piè & juſtè, ideſt ſervatâ lege naturali Deum colat. Sanctus Doctor inibi docet neminem extra Chriſtum ſalutem conſequi poſſe: textum legant increduli, & fient confuſione confuſi: *Sicut enim* (inquit) *nos in eum* (Chriſtum) *credimus, & apud Patrem manentem, & qui in carne jam venerit, ſic credebant in eum antiqui in carne venturum.* Epiſt. 49. Tractatu verò 45. in Joan. ait: *Licèt tempora varia ſint, non tamen fides, quia fides utroſque conjungit, & eos, qui crediderunt Chriſtum venturum, & eos qui jam veniſſe crediderunt; diverſis quidem temporibus, ſed utroſque per unum fidei oſtium, ideſt Chriſtum videmus ingreſſos.*

Hac ratione Incredulos & Pſeudo-Philoſophos non pudet Patrum, imò & ipſius S. Scripturæ teſtimonia pervertere, nec pudet incautos decipere. Probitatis quidem alicujus ſpeciem affectant exhibere; at reverâ tota carnalis eorum Philoſophia volu-

luptatibus & cupiditatibus omnibus frenum laxat . Mirum proinde non eſt , ſi multos numerant ſectatores , amicos & præcones . Rectè igitur & appoſitè dixit Apoſtolus . *Videte , ne quis vos decipiat per Philoſophiam , & inanem fallaciam ſecundùm traditiouem hominum* . ad Colloſſ. Cap. II. v. 8.

SUP-

# SUPPLEMENTUM.

## AD NOVUM TESTAMENTUM DE EVANGELIO.

NOva hic colluctatio adverſùs, ſi non omnes, ſaltem adhuc plures Religionis Sanctæ hoſtes. Patres, aiunt illi, antiquiores nullam videntur habuiſſe notitiam de quatuor Evangeliis, cùm nonniſi apocripha citent opera. Primus, qui ea laudaverit, habetur Juſtinus Martyr. (1)

Adeò verum eſt totos in calumniis excogitandis putidiſquè mendaciis occupatos eſſe, ut veræ Religionis ædificium ſe diruere poſſe confidant. *Quanta vis perverſitatis*, aiebat olim Tertullianus lib. de Baptiſmo, *ad Fidem labefactandam ... ut ex his eam impugnent, ex quibus conſtat*!

Verùm dum S. Clemens, de quo Apoſtolus ad Philippenſes ſcribens dicebat: *Cum Clemente, & cæteris adjutoribus meis* Cap. 4. varios in Epiſtolâ ſuâ ad Corinthios citabat textus Evangelii tùm Marci, tùm Lucæ, an apocripha citabat opera? Dum verò D. Ignatius plura quoque referebat in ſuis ad Smyrnæos litteris loca ex Evangelio ſive ſecundùm Matthæum, ſive ſecùndùm Lucam, an ea tanquàm apocrypha referebat?

Cùm autem ſcripto alloquens Epheſios aiebat: *ſinguli communiter omnes ex gratia nominatim conve-*

*ni-*

(1) *Examen important.*
*Cathéchiſme de l'honnête homme.*
*Le militaire philoſophe.*

*nitis in unà fide, & in uno Jeſu Chriſto ſecundùm carnem ex genere Davidis, Filio hominis, & Filio Dei*, an iſta à ſancto hauſerat Juſtino? Ne cogitare quidem fas ſit. Etenim Clemens & Ignatius propiùs aberant, quàm Juſtinus ab ortu Religionis Chriſtianæ, propiùs ab ortu Evangeliorum ſcripto relictorum.

Divus Juſtinus in colloquiis cum Triphone & in Apologiis plures citat Evangeliorum textus. Iſthæc autem omnia probant quidem Sanctum illum veram Evangeliorum habuiſſe notitiam, imò indicant continuationem traditionis natæ ex Evangeliis iiſdem, atque evincunt Juſtinum minimè habendum eſſe tanquam primum, qui ſancta laudaverit Evangelia.

Diximus continuationem Traditionis natæ ex Evangeliis iiſdem, quia, ut patet, jam nata habebatur temporibus Clementis & Ignatii, continuata verò Juſtini ætate, & poſt Juſtini tempora. Iſtud eruitur ex teſtimoniis mox adducendis.

*Quoniam prædicatio Diſcipulorum*, ait Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, *ſuſpecta fieri poſſit de gloriæ ſtudio, ſi non adſiſtat illi auctoritas magiſtrorum, imò Chriſti, quæ magiſtros Apoſtolos fecit. Denique nobis fidem ex Apoſtolis. Joannes & Matthæus inſinuant ex Apoſtolis. Lucas & Marcus inſtaurant.*

*Matthæus & Marcus, Joannes & Lucas, inquit Origenes* Homil. 1. in Lucam, *non ſunt conati ſcribere, ſed Spiritu Sancto pleni ſcripſerunt Evangelia. Multi igitur conati ſunt ordinare narrationem de his rebus, quæ manifeſtiſſimè cognitæ ſunt nobis. Eccleſia quatuor habet Evangelia; hæreſes plurimas, è quibus quoddam ſcribitur ſecundùm Ægyptios .... Quatuor tantùm Evangelia ſunt probata, è quibus ſub perſona Domini Salvatoris noſtri proferenda ſunt dogmata ... nihil aliud probamus niſi quod Eccleſia.*

Indicantne iſta antiquiores Patres nonniſi apocrypha citaſse opera? Nonniſi à D. Juſtino Evangeliorum mutuatos fuiſse notitiam?

Et quidem, an Patres Sanctæ Synodi Nicænæ, in Traditionis re proculdubio verſatiſſimi, adverſùs Arium urgentes, tot ſanctorum Evangeliorum textus in medium protuliſsent, ſi Evangeliorum notitia Juſtini temporibus nata tantùm fuiſset? An ſceleſtiſſimus ille hæreticus tacuiſset?

Infiniti eſsemus ſi omnia Patrum antiquorum teſtimonia nobis hîc eſsent referenda, quibus obſtruitur os loquentium iniqua.

Increduli aliam hîc movent difficultatem. Juxta Prophetarum oracula, inquiunt, Meſſias docturus eſt omnes gentes. Chriſtus porrò ſolos docuit Judæos, Gentiles verò rejecit. *In viam gentium ne abieritis*. Matth. 10. Item 25. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus*.

Equidem Chriſtus Judæos primùm docuit, ut vehementiùs ſuſpirantes, & ardentiùs deſiderantes Meſſiæ adventum, & idcirco ſuis dixit Diſcipulis: *ſed ite potiùs* (ſeu primùm) *ad oves, quæ perierunt Domus Iſrael*. Nonne ſubinde iiſdem dixit Diſcipulis: *data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo & in Terra; euntes ergo docete omnes gentes?* Igitur quod Chriſtus per ſe non fecit, per Diſcipulos ſuos, atque eorum ſucceſsores præſtitit.

Quantùm verò ad hæc Chriſti verba: *non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus*, Chriſtus, qui ſcrutabatur corda, diſtulit mulieris Gentilis preces & vota illicò exaudire: imò eam acerbis excepit verbis, ut poſtea fidem ejus, pietatem, humilitatemque manifeſtas faceret; tunc reſpondens Jeſus ait illi: o mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi, ſicut vis. Au-

Auctor hiſtoriæ Criticæ mutuatus à Deiſtâ altero quod poſset impiè proferre, ait: Cùm Chriſtus miſit Diſcipulos ſuos dicens: *ite in Caſtellum, quod contra vos eſt, & ſtatim invenietis aſinam alligatam, & pullum cùm ea: ſolvite, & adducite mihi*. Matth. 21. Tunc non furti ſolùm reus factus eſt, ſed & furari ſuos docuit Diſcipulos.

Verùm non intelligit Deiſta ille, Chriſtum eò loci divinitatis ſuæ præbuiſse argumentum revelando abſentia: inſuper ut ſupremus omnium Dominus uti voluit jure ſuo, ideoque adjecit: *ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet, & confeſtim dimittet*. Notus erat Chriſtus ut à Deo miſſus: noverat Chriſtus arcana heri aſinæ conſilia atque animi affectiones; atque ideo herus idem confeſtim aſinam dimiſit.

Quærunt adhuc inſidiantes increduli, quomodo diabolus aſſumpſerit Chriſtum, & ſupra Templi pinnaculum ſtatuerit? Quomodo aſsumpſerit in montem excelſum, & oſtenderit omnia mundi regna?

Verùm diabolus ſcire cupiens an Chriſtus eſset Dei filius, dixit illi: *ſi Filius Dei es, mitte te deorſum; ſcriptum eſt enim, quia Angelis ſuis mandavit de te*.

Quærant hìc increduli ab Evangeliſtis Mattheo & Lucâ, an veritatem enarraverint? Vixerunt illi cum ſupremâ Veritate Incarnatâ; diabolus permittente ipſo Dei Filio, Filium ipſum Incarnatum per aërem aſsumpſit, & ſtatuit ſuper pinnaculum Templi; ſeu ſuper unum ex Templi angulis: vox enim hebraica ſignificat hìc angulum, non autem tecti ſummitatem, cùm juxta Joſephum Templi tectum *ne à conſidentibus avibus pollueretur aureis horruerit verubus*.

*Quid porro mirum*, ait D. Gregorius Magnus

hom. 16. *ſi ſe permiſerit Chriſtus à diabolo duci, qui ſe pertulit à membris illius crucifigi?*

Quomodo autem Chriſto in montem excelſum aſſumpto diabolus oſtenderit omnia mundi regna, & quidem breviſſimi temporis ſpatio, ſemper Chriſti divinitatem exploraturus, non una eſt Interpretum ſententia.

Veriſimilius tamen videtur, quòd ſicut permiſit tentatori & in deſerto, & in aſsumptione ſupra pinnaculum quæ nunquam efficere potuiſset, niſi Chriſtus permiſiſset, permiſerit quoque tentatori eidem, ut uno obtutu totum videndum oſtenderet mundum, & tunc ab eo adorari poſtularet; confuſione tandem penitùs confuſus audiret: *vade retrò, Satana; ſcriptum eſt enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.*

## DE JOANNE.

Auctor hiſtoriæ criticæ jam ſæpius memoratæ ad hæc Chriſti verba Joannis Cap. 4. v. 21. *Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jeroſolymis adorabitis Patrem*, ait: Videtur Chriſtus Patri Cœleſti hic omnem recuſare adorationem.

At ſi Criticus ille Caput Joannis legiſset uſque ad verſiculum 22. impio ori ſilentium impoſuiſset. Mulier Samaritana quærit à Chriſto ubi oporteat adorare, quia, inquit illa, Patres noſtri in monte hoc, ſcilicèt in monte Garizim adoraverunt; vos autem Judæi dicitis, quia in Jeroſolymis eſt locus, ubi adorare oportet.

Reſpondet verò Chriſtus: *venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate*, & ubique.

Civis

Civis Genevenſis, ut miraculoſæ Lazari reſurrectionis memoratæ Joan. Cap. II. veritatem deſtruat, audet aſserere præſumptam Lazari mortem meram fuiſse Syncopen, quam Chriſtus conjiciens venit ab eâ Lazarum exſuſcitaturus, ſicque habitus eſt tanquàm miraculum operatus fuiſset.

Civis ille omni ratione deſtitutus, ut hìc etiàm improbam fidem ſuam oſtendat, omnes tùm mortis Lazari, tùm illius reſurrectionis reticet ſolerter circumſtantias.

Quaſdam ſolùmmodo, ne prolixiores ſimus, referre libet. Chriſtus annuntians Diſcipulis ſuis Lazari mortem, ait: *Lazarus amicus noſter dormit; ſed vado, ut à ſomno excitem eum.* Diſcipulis per ſomnum non intelligentibus mortem, Chriſtus manifeſtè dicit: *Lazarus mortuus eſt.* In ipſo Chriſti acceſsu quidam ex Judæis, qui venerant ut Martham & Mariam conſolarentur de Fratris morte, dicunt: *non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, ut hic non moreretur?*

Jeſus videns Mariam, & Judæos, qui cum eâ venerant, plorantes, ait: *ubi poſuiſtis eum?* Iiſdem reſpondentibus: Domine, veni, & vide, dicit Jeſus: *tollite lapidem. Dicit ei Martha, ſoror ejus, qui mortuus fuerat: domine jam fœtet, quatriduanus eſt enim. Tulerunt ergo lapidem.* Jeſus autem cum *voce magna clamavit: Lazare, veni foras, & ſtatim prodiit qui fuerat mortuus.* Et multi ex Judæis, qui viderant quæ fecit Jeſus, *crediderunt in eum.*

An iſthæc omnia indicant Synopem meram, an potiùs malignans probant in mente Civis Genevenſis deliramentum?

Mirantur etiam increduli, quod Chriſtus in Canâ Galilææ aquam in vinum converterit gratiâ con-

vivarum , jam *inebriatorum* , ut habetur Joannis Cap. 2. ℣. 10.

Verùm mirentur etiam viri probi incredulorum impudentiam . Architiclinus enim vocans Sponſum dicit ei : *omnis homo primùm bonum vinum ponit , & cùm inebriati fuerint , tunc id , quod deterius eſt : tu autem ſervaſti bonum vinum uſque adhuc* . Sed Architiclinus minimè dicit convivas fuiſſe inebriatos , quod nihilominus inſinuare hic attentant increduli . Sed *qui ſophiſticè loquitur , odibilis eſt* . Eccleſ. 37.

Volterius in ſuo *Dictionnaire hiſtorique* ut probet ſalutarem in Baptiſmo luſtrationem à lotionibus Ægyptiorum & Indorum manaſſe , iiſque prorſus ſimilem eſſe , tortuoſam doloſamque adhibet ſeriem . Homines , inquit , ſenſibus ſemper ducti facilè ſibi perſuaſerunt abluto corpore , ablui & animam . In Ægyptiorum fanis labra habebantur ſubterranea tàm Flaminibus , quàm Initiatis deſtinata . Apud Indos lotiones erant frequentes . Hebræi extraneos nolentes circumcidi talibus excipiebant lotionibus . Joannes Chriſtum baptizavit , Chriſtus verò neminem . Quindecim primi Jeroſolymæ ſedentes Epiſcopi fuerunt quidem circumciſi , at non certò baptizati . Sic Volterio nulla diſtinctio eſt inter lotiones Ethniciſmi , & ſalutares Chriſtianorum luſtrationes . Flamen dialis , inquit , ingreſſurus Jovis Fanum abluens corpus putat abluere etiam Animam : Unctus Domini ſacris undis abluens & expians hominis corpus , arbitratur abluere etiam animam . Sic ſcriptor ille in doloſis humanæ ſapientiæ verbis , opera divina , quæ nemo hominum fecit , unà confundit cum profanis .

Lotio Ethnica antiquæ ſuperſtitionis erat opus , egenum prorſus ac infirmum erat elementum . Luſtratio verò Chriſtianorum opus eſt à Prophetis præ-

nun-

nuntiatum: *effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris*. Ezech. Cap. 39. *Ego baptizo vos in aqua in pœnitentiam*, aiebat D. Joannes, *qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt .... ipſe baptizabit vos in Spiritu Sancto*. Matth. 3.

Luſtratio Chriſtiana opus eſt Excelſi: *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritùs Sancti*. Marc. 28. *Opus eſt Dei in miſericordia ſummè divitis, quo libertatis ſerenitate perfruuntur*, ait D. Chryſoſtomus ad Neoph., *qui paulò ante tenebantur captivi ... non enim tantùm ſunt liberi, ſed ſancti ... ſed fratres Chriſti ... ſed cohæredes*.

Tertullianus olim loquens de Baptiſmi hoſtibus de quadam fanaticâ fœminâ dicebat: *Quartilla monſtroſiſſima, cui nec quidem docendi jus erat*. Lib. de Bapt.

Quantùm ad Lotionem ab Hebræis ſubſtitutam Circumciſioni, audiat Volterius Gen. cap. 17. *Maſculus, cujus caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo*.

Joannes, inſtat audacter Volterius, Chriſtum baptizavit, Chriſtus verò neminem. Poſſumus hìc primò illi reſpondere quod Auguſtinus olim cuidam ſimulatè reconciliato dicebat: *mentiris impudentiſſimè*. 2. Cùm Phariſæi ſciſcitabantur an Jeſus plures diſcipulos faceret, & baptizaret, quàm Joannes, minimè ſequitur Jeſum non baptizaſſe quemquam. 3. Joannis Cap. 3. perſpicuè legitur: *poſt hæc venit Jeſus, & Diſcipuli ejus in terram Judæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat*.

Quantùm denique ad quindecim Præſules primos Jeroſolymæ ſedentes auſcultet Volterius doctiſſimo

alicui viro à pravis opinionibus gratiâ Dei avocato. Is eſt Auguſtinus, qui lib. 3. de Animâ & ejus origine ſic loquitur: *Si ipſos Apoſtolos baptizatos eſſe per hoc nobis innoteſcere potuit, quòd Beato Petro Dominus ait: Qui lotus eſt non indiget niſi ut lavet pedes; quod de aliis, de quibus nihil tale legimus ſcriptum, de Barnaba, de Timotheo, de Tito, de Sila, de Philemone, de ipſis Evangeliſtis Marco & Luca, de innumerabilibus cæteris, quos abſit, ut baptizatos eſſe dubitemus, quamvis non legamus.*

Et profectò non ignorabant Præſules illi, Baptiſma ad Religionem Chriſtianam primum eſſe aditum, & cæterorum eſſe januam Sacramentorum. Notiſſimum ſanè habebant Chriſti mandatum, illudque univerſale & abſolutum: *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*. Primus illorum Præſulum erat Jacobus, frater Domini; ſecundus verò Simeon Cleophæ filius.

Ecquis autem non falſi nominis Philoſophus dari poteſt, qui, his omnibus ponderatis, ex argumento Volterii negativo non concludat: ergò præſumendum eſt Præſules illos, etſi id factum non legamus, reverâ fuiſſe baptizatos? Non ita tamen concludere placet Volterio; quare eidem aptari poteſt quod Tertullianus contra ſui temporis novatores aiebat: *converſata eſt quædam vipera venenoſiſſima doctrina ſua, pleroſque rapuit, in primis Baptiſmum deſtruens*. Lib. de Baptiſmo.

Volterius Baptiſmum iterum aggreſſus novam hanc texit rerum ſeriem. Primis, inquit, Chriſtianiſmi ſeculis Baptiſmate uſi ſunt homines malè. Plerumque, atque etiam vulgò Baptiſma differebatur uſque ad ſupremos morientis conflictus. Exemplum

plum ſuppeditat Conſtantinus, qui ſic ratiocinabatur: Baptiſma expiat omnia peccata; poſſum ergo uxorem occidere, natos, & conſanguineos omnes; deinde baptizabor, & in Cœlum aſcendam, quod reverà contigit. Secundo ineunte ſeculo baptizari cœperunt infantes: tertio autem ſeculo baptiſmum uſque ad mortem differendi invaluit conſuetudo.

Primis ergo Chriſtianiſmi ſeculis juxta Volterium, Baptiſmate uſi ſunt homines malè? Aſſertio adeſt quidem, ſed probationes in doloſâ Volterianâ mente ſolùm exiſtunt. Quare autem Baptiſmate uſi ſunt homines malè? Quia, juxta eumdem fanatici fuere. Iſtud conceptis aperit verbis præſertim ubi de Tolerantiâ.

Homines Chriſtiani nolentes Deos alienos colere dicebant: *magis oportet obedire Deo, quàm hominibus*. An in hoc malè uſi ſunt Baptiſmate? Chriſtiani obſecrationes, orationes & poſtulationes faciebant pro Regibus, & pro omnibus, qui dominabantur.

*Illuc* (in Cœlum) *ſuſpicientes Chriſtiani*, aiebat Tertullianus, *manibus expanſis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubeſcimus; denique ſine monitore, quia de pectore oramus, deprecantes ſumus ſemper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, ſenatum fidelem, populum probum, quæcunque hominis & Cæſaris vota ſunt*. Apolog. adver. Gent.

An ex his malus Baptiſmi uſus deducitur? An fanatiſmus? Ubi Religio, ubi probitas, ubi veneratio majoribus debita à Volterio? Vel hic ſcriptor legerat quæ Philo, quamquam Judæus, in laudem Chriſtianorum reliquit, quæ Juſtinus & Tertullianus ſcripſerunt alloquentes Imperatores ipſos, cæteroſque Gentiles in ſuis pro Chriſtianis Apologiis; vel

illo.

illorum ſcripta non legerat. Si primum, Volterius iniquè & injuſtè Chriſticolas culpavit. Si verò non legerat, quæ ignorabat impudentiſſimè aſſeruit: *Bona in mala convertens inſidiatur, & in electis imponit maculam*. Ecclef. 11.

Proſequens ait adverſarius noſter, Infantes ſecundo ineunte ſeculo baptizari cœpiſſe; tertio autem ſeculo Baptiſmum ad mortem uſque differendi conſuetudinem invaluiſſe.

Verùm aſſeritne illa Volterius tamquam illitteratus, vel ut in fraudem inducat? Nam Act. 16. Apoſtoli leguntur baptizaſſe Lydiam, & domum ejus; in Macedoniâ cuſtodem carceris, & omnem domum illius; 1 verò ad Cor. Apoſtolus dicitur baptizaſſe Stephanæ domum. Indicantne iſta primis Chriſtianiſmi ſeculis vulgò Baptiſma ad mortem uſque dilatum fuiſſe, aut infantes ſecundo ineunte ſeculo ſacris expiari laticibus incœpiſſe? Demonſtret ſcriptor in familiis illis, iiſque integris nullos infantes fuiſſe, & omnes qui familiam, ſeu gentem componebant ſacro tunc Baptiſmate ablutos, cùm animam agebant.

Audiantur modò SS. Patres, Volterio quidem in antiquitatis rebus longè peritiores. *Beatus Cyprianus non aliquod decretum condens novum*, aiebat D. Auguſtinus Epiſt. 28. ad Hierony., *ſed Eccleſiæ firmiſſimam fidem ſervans, ad corrigendum eos, qui putabant ante octavum diem à nativitate non eſſe parvulum baptizandum . . . mox natum ritè baptizari poſſe cum ſuis quibuſdam Coepiſcopis cenſuit*.

*Eccleſia ab Apoſtolis*, ſcribebat Origenes in Cap. 6. Epiſt. ad Rom., *traditionem accepit etiam parvulis dare Baptiſmum*.

An, precamur, traditio Apoſtolica, Eccleſiæ fides firmiſſima indicant quæ hic inſinuare vellet

Vol-

Volterius, ſcilicèt, nonniſi naſcente ſecundo Eccleſiæ ſeculo parvulos baptizari incœpiſse, aut aliquando Baptiſma dilatum fuiſſe uſque ad tempus illud, quo infirmus cum morte luctatur?

Statuta quidem olim erant quædam tempora ad ſolemnem Baptiſmi adminiſtrationem. Verùm an idcirco baptiſmum ad mortem uſque differendi conſuetudo invaluerat tertio Chriſtianiſmi ſeculo? Hoc ita abſurdum, & à vero alienum eſt, ut vel primis Chriſtianiſmi ſeculis Eccleſia jam Cinicos, ſeu in lecto decumbentes baptizatos tanquam irregulares, in punitionem negligentiæ, habuerit ad ſacros Ordines ſuſcipiendos. Conſtat iſtud ex Epiſtolâ Clementis Papæ ad Fabium Antiochenum improbantis Ordinationem Novatiani ſic baptizati ob irregularitatem eo in caſu Baptiſmo annexam.

Quantùm denique ad ea, quæ ſcribit Volterius de Conſtantino, ſcilicet quòd vulgò ad mortem uſque differebatur Baptiſma, cujus conſuetudinis exemplum ſuppeditat ipſe Imperator, qni ſic ratiocinabatur: Baptiſmus expiat omnia peccata; poſſum ergo uxorem occidere, natos, conſanguineoſque omnes, deinde baptizabor, & in Cœlum aſcendam.

Eâdem argumentatione uti verè poſſemus dicendo: ſeculo decurrente decimo octavo, quod vulgò ſeculum jactatur philoſophicum, ſed regnum eſt incredulitatis atque perverſitatis, exemplum ſuppeditat Volterius, qui ſic ratiocinatur. Altera vita nulla, Religio eſt verus fanatiſmus, omnia ſunt licita; poſſum ergo omnia, ut libet, deſiderare, iiſque frui; deinde moriar, & diffundetur anima mea tanquam mollis aër.

Interim Conſtantini factum ſic referūnt plures hiſtorici. Fauſtâ Conſtantini uxor, quaſi Putipharis

uxor

uxor altera, libidine furens Criſpum privignum ſuum, Conſtantini verò natum, de vi ſibi illatâ incuſavit. Conſtantinus præcipiti illicò actus irâ Criſpum neci addixit; ſed detectâ deinde, eâque probatâ Criſpi innocentiâ, Fauſtæ talionis pœnam inflixit. An hæc demonſtrant Conſtantinum ratiocinatum fuiſſe quemadmodum tradit ſcriptor? *Abſcondunt dolum labia mendacia*. Prov. 10.

Unum hic certum. Conſtantinus ab alto illuminatus, Chriſtianamque Religionem amplexus, Chriſti Eccleſiam beneficiis ac ſpeciali tutamine proſecutus eſt. En exitiale in oculis Volterii Imperatoris crimen, atque idcirco in eum debacchans calumniis inſectatur & opprobriis.

## DE APOSTOLORUM ACTIS.

Increduli ad hæc Act. verba Cap. 2. *muſto pleni ſunt*, exclamant: qualis hallucinatio! Tempore Pentecoſtes jam muſtum apparet!

Exclamatio fieri ſolita ab incredulis; ſed non ideo alicujus ponderis objectio eſt. Interim audiant Sacrum Textum. Judæi, ex omni natione, *quæ ſub Cœlo eſt*, quoniam audiebat unuſquiſque ſuâ linguâ Apoſtolos loquentes, *ſtupebant omnes & mirabantur*. Quidam autem dicebant Apoſtolos muſto eſſe plenos, non quaſi reverâ tempus muſti foret, ſed quia Apoſtolos irridebant, eos hominibus muſto plenis aſſimilantes: *alii autem irridentes dicebant, quia muſto pleni ſunt iſti*. ℣. 13.

Scriptor Philoſophiæ hiſtoriæ aſſerit Apoſtolum Act. Cap. 17. Arato nomen Prophetæ dediſſe.

Sed Scriptor hic, qui juxta incredulos tam ſapit, ut nihil ſuprà, in mendacio tamen ſemper de-

pre-

prehenditur. Apoſtolus nec Aratum, nec cæteros Ethnicos Poëtas nominat unquam Prophetas, ſed Poëtas: *ſicut*, inquit, *& quidam veſtrorum Poetarum dixerunt. Qui nititur mendacio, hic paſcit ventos.* Prov. 10.

## De Epistola D. Pauli ad Romanos.

Civis Genevenſis contendens nullam dari veritatem, etiamſi dilucidiſſimè enuntiatam, quæ non involvat difficultates, ait ab iis minimè liberum eſſe dogma de originali peccato. Etenim nullo modo apparet quâ ratione ductus Deus tot creet animas eaſque innocuas reis corporibus uniendas: horum porrò omnium cauſa eſt unio ipſa cum corporibus: unionis autem cauſa eſt ipſemet Deus; ſicque obnubilatur ejus bonitas.

Hac ratione recentior iſte Philoſophus non tantùm veritates revelatas obſcurare, ſed penitùs de medio tollere aggreditur. Sic doloſus iſte ſub ſpecioſo aſpectu ſuæ erga Juſtitiam Bonitatemque divinam obſervantiæ, peccati originalis negat exiſtentiam.

Non apparet, inquit, quâ ratione ductus Deus tot creet Animas reis corporibus uniendas. Verùm non aperit ſubdolus ille quâ ratione corpora, quibus uniuntur Animæ, ſint rea; quânam criminis labe ſint notata: nec mirum; ſiquidem *à veritate auditum avertit*.

Nec minùs ad mendacium converſus, cùm ait falſum ſupponens, Deum ſcilicet, ſi exiſteret originale peccatum, conſultò creare animas reis corporibus uniendas.

Deus creavit hominem ad imaginem ſuam, creavit hominem rectum in ſanctitate & juſtitiâ. Homo

ſic creatus placebat Deo, & licèt corpus geſtaret animale, nihil tamen inobediens in illo adversùs ſpiritum moveri ſentiebat; nihil corruptionis & criminis habebat in corpore, ſed ex Creatoris beneficentiâ habebat poteſtatem ſemper vivendi, quotieſcunque in juſtitiâ, ac erga Deum fidelitate & obedientiâ perſeveraſſet.

Sed quia iſtud, mori ſcilicèt, vel non mori, in ejus erat arbitrio; factus inobediens egredientem hanc ex ore Altiſſimi ſubiit ſententiam. *Quia audiſti vocem uxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes... in ſudore vultus tui veſceris pane, donec revertaris in terram.* Gen. 3.

Verùm, inquit Civis Genevenſis, quis credet culpam levem tali plexam fuiſſe pœnâ? Verùm à recto & juſto Domino ratio Civi illi reddenda eſt? Si ponderatis omnibus circumſtantiis pœna fuit gravis; ergo culpa non levis erat. *Juſtus Dominus, & juſtitiam dilexit.*

*Si porrò per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* Peccatum autem illud non eſt actuale peccatum; neque enim parentes generando peccant, neque etiam filius naſcendo peccat; ait enim Propheta: *ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Peccatum ergo illud peccatum eſt originale, quod nihil aliud eſt, quàm Adæ peccatum, quatenùs ſingulis hominibus in ipſo primo parente moraliter contentis verè communicatur ac imputatur: *in quo*, ait Apoſtolus, *omnes peccaverunt*; ſicque portamus iniquitatem Patris, non quidem proprietate actionis, ſed ex contagione propaginis.

Quia verò non ſumus eodem modo in iis, à qui-

quibus proximè naſcimur; idcircò non portamus illorum actualia peccata quoad privationem gratiæ, ſicut portamus ratione peccati Parentis primi quoad privationem juſtitiæ originalis, quâ morientes ſpoliati, nec actualis culpæ rei, excludimur à felicitate æternâ, plectendi, juxta varios Doctores, vel ſolâ pœnâ damni, vel etiam pœnâ ſensûs, quâ, ſed multò acerbiùs & pro ratione delicti, ſimul & primâ plectuntur qui ſe glorificaverunt, & in deliciis fuerunt.

Ex his liquidò conſtat, quàm falsò Civis ille aſſerat peccatum originale repoſitum eſſe in unione corporis & animæ, Deumque ipſum, ſi tale peccatum exiſteret, illius cauſam dicendum eſſe, quia unionis hujus eſt auctor.

Delirus quoque exiſtimetur Civis idem, cùm inſinuare molitur Doctores Catholicos tenere ac docere infantes ſolius peccati originalis labe infectos decedentes, paribus pœnis eſſe plectendos, ac morientes unà cum actuali peccato. Patres enim Florentini intrà dexteram & ſiniſtram medium non aſſignant locum; at tales infantes diſparibus pœnis dicunt attamen eſſe puniendos.

Innocentius verò III. Cap. maj. de Bapt. apertè ait: *pœna peccati originalis eſt carentia viſionis Dei, actualis verò gehennæ perpetuæ cruciatus.*

Cauſa igitur peccati originalis Adami fuit inobedientia, quæ eò gravior, quò majoribus primus ille Parens à Creatore cumulatus fuerat donis. Cur autem Deus, poſitâ labe hæreditariâ, genus conſervarit humanum, reſpondemus, quod incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ; quod infinita quoque eſt Bonitas, quæ de malo novit etiam bonum eruere, nec homini lapſo ullâ in re unquam deeſt. Bonitas Dei infinita probat hominem rectum

crea-

creatum, nec tamen derelictum, ſi factus ſit reus.

## DE EPISTOLA AD CORINTHIOS PRIMA.

Auctor quæſtionum (1) attonitus petit hic quare Apoſtolus ad Corinth. Cap. 11. potuerit dicere: *ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis*, cùm nunquam allocutùs fuerit Chriſtum.

Primùm legat auctor ille Epiſtolam ad Galatas, & evaneſcet omnis admirationis occaſio. *Notum vobis facio*, inquit Apoſtolus Cap. x., *Fratres, Evangelium, quod evangelizatum eſt à me, quia non eſt ſecundùm hominem; neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per revelationem Jeſu Chriſti*.

Incredulus alter Apoſtolum incuſat mendacii, eo quod ibidem Cap. 15. dixerit loquens de Chriſto: *deinde viſus eſt pluſquam quingentis Fratribus ſimul*, cùm tamen Petrus Act. Cap. 12. dicat: *hunc Deus ſuſcitavit tertia die, & dedit eum manifeſtum fieri non omni populo, ſed teſtibus præordinatis à Deo*.

Verùm an D. Petrus aſſerit Chriſtum ſolis apparuiſſe Apoſtolis, prout perſuadere hic meditatur incredulus? Nonne priùs jam dixerat Chriſtus ſanctis mulieribus: *ite, nuntiate Fratribus meis, ut eant in Galilæam; ibi me videbunt*. Matth. 28.?

Inſuper ipſe Petrus dicens Chriſtum manifeſtum non fuiſſe omni populo non negat apparuiſſe aliis, quàm Apoſtolis: neque S. Paulus dicit illum factum fuiſſe omni populo manifeſtum, ſed pluſquàm quingentis Fratribus. Petrus porrò loquens de electione Matthiæ in locum proditoris, ait: *oportet ergo ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore,*

(1) *Encyclopedie art.* Paul.

*re, quo intravit, & exivit inter nos Dominus Jeſus, incipiens à Baptiſmate Joannis uſque in diem, qua aſſumptus à nobis, teſtem reſurrectionis ejus nobiſcum fieri unum ex iſtis, & ſtatuerunt &c.* Petrus hìc non aſſignat numerum eorum, qui fuerunt congregati cum Apoſtolis in omni tempore, quo intravit & exivit inter illos Dominus uſque in diem, quâ aſſumptus eſt: nec etiam congregatos illos excludit Petrus à teſtibus præordinatis à Deo, ſed ſolùm denunciat oportere unum ex illis electione Apoſtolicâ fieri teſtem, ſeu declarari teſtem reſurrectionis. Si enim priùs jam teſtis non fuiſſet, eum talem haud facere potuiſſent, nec iſte locum miniſterii hujus, & Apoſtolatum, de quo prævaricatus eſt Judas, accipere potuiſſet.

Apoſtolus, aiunt adhuc increduli, dicit ibidem Cap. 1. *Judæi ſigna petunt*, quæ verba admodùm ſuſpecta reddunt prodigia ab Evangeliſtis ſive Chriſto, ſive Apoſtolis attributa.

Verùm ii à vero non abhorrerent increduli, poſſent animadvertere Judæos non ſigna, ſeu miracula petere; ſed ſigna de Cœlo. Cùm enim Chriſtus opera in eis faceret, quæ nemo alius fecerat, ipſi ea in nomine Beelzebub facta eſſe criminabantur.

Cùm Apoſtoli inter cætera prodigia claudum in nomine Jeſu Chriſti ſanaſſent, nec miraculum Judæi negare poſſent, quoniam notum erat omnibus habitantibus Jeruſalem, *manifeſtum eſt*, inquiebant, *& non poſſumus negare*, denuntiarunt Apoſtolis, ne omninò loquerentur, neque docerent in nomine Jeſu. Judicent modò ipſi increduli, an Judæi miracula petierint, an verò ſigna venientia viſibiliter de Cœlo.

## DE EPISTOLA AD GALATAS.

Ad hæc Apoſtoli verba Cap. 5. *modicum fermentum totam maſſam corrumpit*, exclamant increduli: o qualis inſulſitas! cùm compertum ſit fermentum non corrumpere maſſam, ſed meliorem efficere.

Verùm iſtud dicunt increduli, quia ſentiunt adagium hoc perverſis ſuis opinionibus adverſari. Apoſtolus eò loci monet Galatas, ut caveant à Fratribus nuperrimè converſis, ſed adhuc judaizantibus; quia, etſi pauci eſſent, brevi tamen totam Galatarum Eccleſiam ad Judaiſmum convertere poterant; ſicut modicum fermentum acore ſuo aſpergit atque inficit totam farinam ſubactam; quemadmodum etiam nunc increduli perniciofiſſimis operibus ſuis & pravarum opinionum veneno mortales omnes corrumpere meditantur.

## DE EPISTOLA AD EPHESIOS.

Civis Genevenſis aſſerit quamcunque Filiam Matris ſuæ Religionem profiteri debere, & quamcunque uxorem mariti ſui cultum amplecti. *Emile Tom.* 4.

Equidem Apoſtolus Cap. 6. ait: *Filii obedite parentibus veſtris in Domino*; & Cap. 5. ibidem: *mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino*.

Verùm ſi mater nullam, aut falſam profiteatur Religionem, ſimiliter & maritus, nonne Apoſtolus ad Galatas cap. 1. ſententiosè pronuntiat: *Licèt nos, aut Angelus de Cœlo evangelizet vobis præterquàm quod evangelizavimus vobis, anathema ſit?*

Et verò in iis caſibus filia & uxor ſubditæ forent in Domino, & ſicut Domino?

DE

## De Epiſtola ad Philippenses.

Civis Genevenſis, Evangelii inimicus, argumentum hoc tanquam inſolubile proponit. Si Chriſtiani filius profiteatur patris religionem, juxta vos benè agit; cur ergo Mahumetani filius ſequens patris ſui religionem non etiam rectè ageret?

Inſuper. Si alicui Romæ nato dicatur: Mahumetus pſeudo-Propheta eſt, ita credit. Si verò alteri Meccæ nato dicatur: Mahumetus verus eſt Dei Propheta, ita credet. Romæ natus transferatur Meccam, is dicet: Mahumetus verus Dei Propheta; ſicque Religio merum Geographiæ opus evadet. *Emile Tom.* 2. *&* 3.

Verùm 1. ſi Patris vera ſit Religio, utique Filius eam profitens rectè agit, non quia Patris ſequitur religionem; ſed quia veram ſequitur Religionem, divinitùs ſcilicèt inſtitutam, prophetiis, miraculis & ſanctitate doctrinæ firmatam, atque à Paſtoribus divinitùs miſſis promulgatam.

At ſi filius ſequatur Patris Religionem falſam, haud dubiè malè agit & judicabitur ſecundùm Legem naturalem, & à Judice ſupremo in fine dicetur ipſi: *perditio tua ex te*.

Quantùm ad ratiocinium ſecundum Civis, eo admiſſo, qui ſolam novit Legem naturalem, cujus ſolius Civis ille eſt patronus, & transferatur in regionem, ubi incolæ Religionem profitentur Legi naturali oppoſitam, is Religionem hanc tutò amplecti poterit, quia juxta Civem Religio merum Geographiæ eſt opus. Fatebunturne iſtud vel ipſi Deiſtæ?

## DE EPISTOLA AD COLOSSENSES.

In hac Epiſtolâ Apoſtolus exhortatur Coloſſenſes, ut ambulent dignè Deo per omnia placentes; ut caveant ne decipiantur per Philoſophiam, & inanem fallaciam. Ea Romæ conſcripta fuit, & per Oneſimum miſsa.

An cum Apoſtoli exhortationibus, monitis, ſanctis ac ſalutaribus placitis conſonant hæc recentiorum Philoſophorum effata? ſcilicet: concubinatus jugo matrimoniali præponendus eſt: polygamia merum œconomiæ & calculi eſt opus: impenſæ & ſumptus in cibaria & rem veſtiariam ſolùm conſiderentur: filius rationis uſum adeptus, quemadmodum & filia, ſui ſunt juris quoad omnia: repetant homines ſylvas antiquâ fruituri libertate: veritas & virtus bona ſunt mente ſolùm fictè & ſimulatè comprehenſa: qui majori indulget voluptati malum operando, quàm qui bonum, magìs obedit naturæ legibus, & majori fruitur felicitate. (1)

Nonne Apoſtolus Timotheo ſcribens benè & appoſitè vaticinatus eſt, cùm dixit: *hoc autem ſcito, quod in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa; erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi ... ſcleſti ... voluptatum amatores magìs, quàm Dei ... & hos devita*? Epiſt. II. Cap. 3.

Nonne Coloſſenſes alloquens ſuâ in Epiſtolâ, quaſi prævidens luctuoſa hæc tempora, nos quoque præ-

(1) *Lex moeurs.*
*Eſprit des Loix.*
*Encyclopedie.*
*La vie heureuſe.*

præmunire meditatus, dixit: *videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundùm traditionem hominum, ſecùndum elementa mundi, & non ſecundùm Chriſtum?* Cap. 2.

## De Epistola ad Thessalonicenses prima.

Civis Genevenſis arbitratur eum ſufficientem habere fidem, qui miſericors eſt, humanus & beneficus.

Verùm Atheus, idolorum cultor &c. poſsunt eſse miſericordes, humani & benefici; ergo & habere fidem ſufficientem ad ſalutem? Minimè verò. Nam Apoſtolus dicit hìc Epiſt. 2. cap. 1. *In flamma igitur dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

## De Epistola ad Timotheum prima.

Civis Genevenſis Miſſionarios Catholicos quaſi populorum domitoribus aſſimilat, aſſeritque Intolerationem omnium Religionum adverſari ſanæ morali. (1)

Verùm præcones illi Evangelici non armis imperia, provincias & populos ſubigere ſatagunt, ſed excurſione Apoſtolicâ regiones peragrant Evangelii propagandi causâ. *Prædicate Evangelium omni creaturæ*. Marc. 16. *Pacem habete inter vos*. Ibid. 9. *Benedicite maledicentibus vos, & orate pro calumniantibus vos*. Luc. 6. *In quamcunque Domum intraveritis, primùm dicite: pax huic domui*. Ibid. 5. Horum memor Apoſtolus ſcribebat ad Timotheum.



(1) *Lettres de la Montagne.*

*Obſecro primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus*. Epiſt. 1. Cap. 2.

An iſta redolent imperiorum & provinciarum, urbium & populorum domitoris alicujus arma hoſtilia?

Omnium Religionum intolerantia, ſuperaddit Civis Genevenſis, adverſatur ſanæ morali.

Verùm ſæpe ſæpius ipſe ſibi adverſatur. Priùs enim dilaudaverat Evangelii moralem, & quidem plurimùm. Agnoverat Æmilii Tom. 3. Religionem Chriſtianam dixiſſe: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, hic ſalvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur*. Marc. 16. Sicut & Matth. Cap. 18. *Si quis Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*.

## DE EPISTOLA AD TITUM.

De Montanis adhuc ſcribens idem Civis ait: nulla Religio inducenda eſt in regnum aliquod niſi de Principis conſenſu; aliter agens legum violator habendus eſt; porrò qui Principis legibus non paret, nec Deo paret.

Emilii verò T. 3. ſic loquitur. Intolerantiæ occaſione cives inſurrexerunt in cives; ſicaria non eſt charitas, nec amor proximi cruentus.

An Calviniſtarum patronus ille ac defenſor veritatem hìc ſimulatione religionis, pacis ac charitatis obtegit? Procul omni dubio qui non paret Principis Legibus, Legi divinæ conſentaneis, nec Deo etiam paret. At qui non paret Legibus Principis,

Legi

Legi divinæ prorſus adverſis, paret Deo; quia oportet magis obedire Deo, quàm hominibus.

Imò Calviniſtarum patroni admiſſo, quâ in parte juſtum eſt, principio, cur ergo, reluctantibus iiſque legitimis Principum Legibus, Calviniſtæ novam falſamque in imperia Religionem inducere attentarunt? An non merito atque optimo jure Apoſtolus ad Timotheum ſcribens prænuntiavit hujuſmodi reprobos circa fidem eſſe evitandos? *& hos devita*. Ad Titum verò: *hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita*. Cap. 3.

Non ergo intolerantiæ dogmati *horrendo*, ut ait Civis ille impietatis ſuæ virus evomens, ſed hæreticis, horrendiſque Calviniſtarum dogmatibus, ſed indomitis ſeditioſiſque illorum rebellionibus omnia ſubſecuta adſcribenda ſunt mala.

Sicaria non eſt charitas, proſequitur civis, nec proximi amor cruentus.

Cur ergo ſub ſacrilegâ & populatrice Calviniſtarum manu ſacra quælibet diruta, everſa & profanata? Cur Domini Sacerdotes crudeliter exagitati? Cur regiones variæ humano ſanguine maduerunt?

Temerarius ille ſcriptor intolerationis hoſtis acerrimus ipſam hìc Chriſti ejuſque Apoſtolorum agendi rationem cenſurâ notare non erubeſcit. *Prædicate*, inquit Veritas æterna & increata, *Evangelium omni creaturæ... qui non crediderit condemnabitur*. Marc. 16. *Hæreticum hominem devita*, præſcribit S. Paulus.... *cùm ſit proprio judicio condemnatus*. ad Tit. 3. Et S. Joannes Epiſt. 2. *Si quis venit ad vos, & hanc Doctrinam* (Chriſti) *non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis*.

## DE EPISTOLA AD PHILEMONEM.

Increduli ſolam invocant Legem naturalem ; hanc ſolam tanquam unicam & veram tuentur : ſed in praxi eam detorquent ad indulgendum cupiditatibus ſuis . *Narraverunt iniqui fabulationes , ſed non ut Lex tua* . Pſal 118.

Legis hujus memor Apoſtolus ſcribebat ad Romanos : *non adulterabis* , *non occides* , *non furaberis* &c. Cap. 13. Ad Epheſios verò : *qui furabatur* , *jam non furetur*. Cap. 4. Hìc demum ad Philemonem , remittens Oneſimum ſervum ejus , ſed tunc in Fide eruditum , & ſacris expiatum undis , veniam pro Oneſimo eodem , ſi in aliquo Philemoni nocuerit , precatur .

Recentiores inter Philoſophos auctor operis nefandi , cui titulus : *de l' inégalité des hommes* aſſerit , & generatìm quidem , licitum eſſe de bonis alienis propriæ conſulere fortunæ , cum minore tamen alterius detrimento , quoad fieri poteſt .

Auctor verò operis inſcripti : *L' Eſprit* , contendit omnem virtutis à vitio diſtinctionem unicè repetendam eſſe à Legislatione politicâ ; ac proinde , eâ ſeclusâ , omnia prorſus indifferentia ac licita eſſe .

Nullus ergo miretur , ſi rationem agendi Apoſtoli ad Philemonem Oneſimi causâ ſcribentis haud probent , utpote ab horrendis portentis ſuis diſſentaneam . *Furtum certè punit Lex tua* , *Domine* , aiebat Auguſtinus , *& Lex ſcripta in cordibus hominum* , *quam ne ipſa quidem delet iniquitas* . *Quis enim fur æquo animo furem patitur ?* Lib. 2. Confeſ. & in Pſal. 57. *Quod tibi fieri non vis , ne facias alteri : hoc & antequam Lex daretur nemo ignorare permiſ-*

*ſus*

*ſus eſt; ut eſſet unde judicarentur ii, quibus Lex non eſſet data. Sed ne ſibi homines aliquid defuiſſe quererentur, ſcriptum eſt & in tabulis quod in cordibus non legebant: non enim ſcriptum non habebant, ſed legere nolebant.*

Et verò citetur hìc vel unus ex Philoſophis recentioribus, qui ſecundùm rectæ conſcientiæ leges aſſerere audeat, ſe, ex quo perverſa dogmata amplexus eſt, juſtiorem evaſiſſe, quàm antea, virtute ornatiorem, ab illecebris voluptatum remotiorem, humilitatis & patientiæ firmius exemplar, erga eos, quibus honor debetur, obſequentiorem, erga pauperes magìs miſericordem; paucis: bonorum operum magìs ſectatorem.

Neque tamen mens nobis hìc eſt omnia Philoſophorum illorum opera, & virtutes omnes probroſâ vel peccati, vel vitii aſpergere notâ. Auguſtinus loquens de impiis nec veraciter nec juſtè Deum colentibus, ait. *Quædam tamen facta vel legimus, vel audimus, quæ ſecundùm juſtitiæ regulam non ſolùm vituperare non poſſumus, verùm etiam meritò rectèque laudamus; quamquàm ſi diſcutiantur quo fine fiant, vix inveniuntur quæ juſtitiæ debitam laudem defenſionemque mereantur.* Lib. de Spir. Cap. 26.

## De Epistola ad Hebræos.

Objiciunt hìc aliqui dicentes. Apoſtolus in hac Epiſtolâ improbat vetus Teſtamentum, ait enim: *nam ſi illud prius culpa vacaſſet, non utique ſecundi locus inquireretur.* Cap. 8. Cùm tamen Deuter. Cap. 4. Lex vetus tanquam ſingulare Dei beneficium commendetur: *non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt*

cun-

*cunctis obſervationibus noſtris*. & Pſal. 18. *Lex Domini immaculata, convertens animas*.

Sed obſervandum hìc eſt, Apoſtolum non loqui de culpâ propriè dictâ, ſed impropriè tantùm, quatènus ſcilicèt Lex vetus deficiebat à perfectione Fidei novæ, ut umbra à veritate. Mentem ſuam manifeſtam facit Apoſtolus ipſe cùm ad Rom. Cap. 7. ait: *quid ergo dicemus? Lex peccatum eſt? Abſit.... Itaque Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum*. *Dicendum*, inquit D. Thomas quæſt. 98., *quod quamvis Lex vetus non ſufficeret ad ſalvandum hominem, tunc aderat aliud auxilium ... ſcilicet fides Mediatoris*.

Cùm igitur Ezech. Cap. 20. dicitur: *dedi eis præcepta non bona, & judicia, in quibus non vivent*, D. Hieronymus aliique plures dicunt textum non eſſe intelligendum de Lege veteri, ſed de iniquis Gentilium præceptis, quæ à Deo data dicuntur, quatenùs permiſit Deus, ut Gentiles propter peccata ſua abirent poſt perverſa ſua deſideria; quod confirmatur ex eo, quòd Deus ibidem Leges ſuas opponit præceptis, quæ non bona vocantur.

## DE JACOBI EPISTOLA CATHOLICA.

Jacobus, inquiunt quidam, hìc pugnantia loquitur, cùm ait Cap. 2. *Abraham pater noſter nonne ex operibus juſtificatus eſt offerens Iſaac filium ſuum ſuper Altare?* Cùm tamen Abraham diu ante juſtificatus fuerit, ut patet Geneſeos Cap. 15. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam*.

Sed obſervandum hìc Jacobum loqui de Juſtitiæ incremento: *ne verearis*, ait Eccleſiaſticus, *uſque ad mortem juſtificari*. *Qui juſtus eſt*, inquit Joannes Apoſto-

poſtolus, *juſtificetur adhuc, & ſanctus ſanctificetur adhuc*. Apoc. 22. Sanè non ignorabat Divus Jacobus Abraham credidiſſe Deo, & reputatum illi fuiſſe ad juſtitiam.

## DE BEATI PETRI APOSTOLI EPISTOLA SECUNDA.

Lexici hiſtorici auctor in Ezechielem ſubridens jam dixerat: o rem viſu præclaram! Pigmæi unius ſolùm cubiti, ſuper muros tamen Tyri propugnatores ſe robuſtos oſtendunt. Quo in loco ſummo in errore verſabatur; linguæ enim hebraicæ ignarus putavit vocem *gamadim* ſignificare non *milites martios*, ſed *pigmæos*.

Non ſe peritiorem exhibuit, cùm interpretaturus hunc D. Petri textum Epiſt. 2. Cap. 2. *Angeli fortitudine & virtute cùm ſint majores, non portant adversùm ſe execrabile judicium*, dicit: procul dubio ſtirpis diverſæ fuerunt homines; alii ſcilicèt à communi ſtipite oriundi, alii verò à ſtipite diverſo orti, indeque pigmæi.

Nam præter Adamum generis humani primævum Parentem alium non aſſignat, neque aſſignare poteſt. Petri Kolbe Boruſſi fabulas narrantis exſcriptor & fabulas narrat, prout demonſtrat probatque Abbas de la Caille, qui regiones eaſdem peragravit, nec homines ſtirpis diverſæ, nec pigmæos cubiti unius, ſed homines vidit cæteris ſimiles. Sed prodeat veritas.

Apoſtolus ibi inſurgit in pſeudo-Prophetas, in magiſtros mendaces, Dominum negantes, per quos via veritatis blaſphemabitur; qui ſibi placentes ſectas non metuunt introducere; qui ſuperba vanitatis loquentes pelliciunt in deſideriis carnis luxuriæ eos,

qui

qui paulùm effugiunt, libertatem illis promittentes, cùm ipſi ſervi ſint corruptionis & audaces; nonniſi tamen homunciones, ſi comparentur cum Angelis, qui etſi fortitudine & virtute majores, non audent tamen cæteris creaturis, etiam dæmonibus, etiam impiis & execratione digniſſimis maledicere, in eos blaſphemare, ne portent adversùm ſe judicium, ſeu, ne ſuum contaminent os angelicum.

Proſequens autem Apoſtolus Petrus loqui de impiis ait: *facta ſunt iis poſteriora deteriora prioribus*. Quare autem, niſi quia poſt veritatis agnitionem, niſi quia veritate deſertâ quadravit illis illud veri Proverbii: *canis reverſus eſt ad vomitum*? Cap. 26.

Quis porrò non videt recentiores Philoſophos graphicè etiam hìc deſcribi? Hi veræ ſapientiæ ſalutares dedignati ſermones, ſapientiæ verò humanæ verba ſectati, dictionis amœnitate, ſermonis leporibus, verborum jocis incautos alliciunt, approbatores perverſitatis ſuæ: imò nec divulgare dubitant, ſe tanquam Religionis inimicos inſimulari nonniſi ab ingeniis mediocritate contentis, & invidiâ laborantibus.

Hoc tamen, quod illi contendunt, probantne eorum opera, toties Vaticanis fulminibus tacta? Probantne Principum Eccleſiæ animadverſiones cenſoriæ? Tot ſanctæ Religionis ultorum eximiæ lucubrationes, quibus incredulorum cavillationes deteguntur, ſophiſmata diſſolvuntur, telaque conteruntur? Horum militiæ arma carnalia non ſunt; nec ſermo ipſorum in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione veritatis verſatur. Sic ſe gerant recentiores Philoſophi, & ceſſabunt querimoniæ. Aliò divertant, ut juſtitiam & virtutem ſectentur, Chriſti Religionem tueantur, & ad ſcribendum cum plauſu

ſu

ſu vel ab ipſis etiam fortè criticis incitabuntur.

## De Epistola Beati Judæ Apostoli.

Auctor libri, cui titulus *Contrat ſocial* ait: Chriſtianiſmi placita tyrannidi nimium favent, verique Chriſtiani ratione ſolius tyrannidis tales habeantur facti.

Equidem impii malitiæ habent libertatem, quam vetat Chriſtianiſmus ne exerceatur ſive erga Deum, ſive erga Principes, & alias poteſtates, ſive erga nos ipſos & proximum, ſive demum quoad cætera omnia, quæ à Lege divinâ & humanâ ſunt prohibita. *Chariſſimi, obſecro vos tanquam advenas & peregrinos abſtinere vos à carnalibus deſideriis, quæ militant adversùs animam, converſationem veſtram inter gentes habentes bonam... ſubjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum; ſive Regi quaſi præcellenti, ſive ducibus, tamquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, quia ſic eſt voluntas Dei... quaſi liberi, & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem, ſed ſicut ſervi Dei* &c. 1. Petr. Cap. 2.

Quod mirandum, memoratus ſcriptor, cæterique ejus ſimiles intolerantiam impugnantes, intolerantiæ hîc ſunt amici, ſubmiſſionem Chriſtianam Deo, Principibus, cæteriſque ſuperioribus debitam improbantes *dominationem ſpernunt, majeſtatem autem blaſphemant*. Epiſt. S. Jud.

Enimverò ut Chriſti divinitatem, Religioniſque ſanctitatem impugnent & penitùs tollant, ſecundùm nequitiam adinventionum ſuarum, Chriſti miracula aut naturæ, aut remediis attribuunt naturalibus.

Nonne, inquiunt, Crœſi filius mutus Perſæ cu-

cujuſdam videns diſtrictum gladium contra patrem, illicò exclamavit: o homo, ne occidas Crœſum? Nonne Nannetenſis puella laborans variolis non multis abhinc annis, integram amiſit linguam puſtulis conſumptam; duobus autem annis elapſis, loqui incæpit, panemque diſtinctè petiit? Juvenis quidam Copenhagæ currente anno 1732. cæcus natus laborans pariter variolis viſum adeptus eſt. Civis quidam Arelatenſis paralyticus ex incendio flagrante proprio cubiculo aufugiens repente ſanus factus eſt. In Lucomoviâ Ruſſiæ regione habitantes quotannis die vigeſimâ ſeptimâ Novembris ut ſolent hirundines præ frigoris aſperitate moriuntur; redeunte autem vere vigeſimâ quartâ Aprilis, denuò reviviſcunt. Homo extenſus ſupra mortui corpus per aliquod tempus, ut fecit Elias, poteſt illum ad vitam revocare; quemadmodum & cæci oculos aperire, linendo ſcilicet oculos ejus luto. Proinde prodigia omnia, quæ dicuntur Miracula, meri ſunt naturæ effectus, quorum cauſa nobis quidem eſt ignota.

Quantùm ad ſuperiora phænomena, illorum cauſæ equidem juxta Medicos & Chirurgos poſſunt eſsé vel commotiones quædam ſubitæ excitantes ſpiritus animales & vitales, ut in Crœſi filio, ſi tamen factum verum eſt; aut linguæ reſiduum aliquod, ut in puellâ Nannetenſi obſervarunt Chirurgi; vel demùm expulſio humoris lumen oculorum obſcurantis, ut in iis, qui variolis laborant &c.

Quoad reſurrectiones verò habitantium in Lucomoviâ à Guagnino relatas, Baro Sigiſmundus Caroli V. orator in Ruſſiæ curiâ eas ad aniles revocat fabulas, utpote prorſus ignotas. Sanè non fuit Guagnino felicior Spinoſa in adinventionibus ſuis.

Si

Si enim extenſo corpore vivo ſupra cadaver per aliquod tempus, illud ad vitam revocare potuiſset, aut oculos cæci aperire liniendo ſuper oculos ejus lutum, cur hæc admiranda non edidit? Cur ampliſſimam ſic ſibi fortunam non comparavit? Fabuloſa impius locutus, non niſi luctuoſa nimis fortè meſsuit.

Ad fabulas quoque converſi objiciunt increduli reſurrectionem ſive Ariſtæi, ſive Pamphili, ſive Romanæ cujuſdam puellæ Apollinis beneficio.

Non ſolùm enim pobationes & momenta vera deficiunt; ſed, quam præſertim venditant, Romanæ puellæ reſurrectionem, Philoſtratus, hujus facti ſolus relator, fatetur dubitatum fuiſse, an puella foret reverâ mortua, an verò dumtaxat ſyncope conſopita.

Ecquis modò horum omnium unà cum Chriſti miraculis comparationem inſtituere audeat, niſi impius, iſque incredulus ſit?

Chriſtus tot ac tanta operatus eſt prodigia, ut vel ipſi Judæi, teſtes oculati, licèt hoſtes infenſiſſimi illorum veritatem inficiari minimè potuerint, imò eorumdem prodigiorum præcones plurimi ex illis facti ſint. *Chriſtus cùm venerit numquid plura ſigna faciet, quàm quæ hic facit?* Joan. 7. *Renuntiate Joanni: cæci vident, ſurdi audiunt, claudi ambulant, leproſi mundantur, mortui reſurgunt.*

Verbo obedientes fuerunt. Hac voce Lazarus, etſi in monumento jam fœtens, excitatus è monumento vivus exivit. Huic voci maris fluctus horriſoni, furentes obediunt venti, & parent fluidæ, tamquam ſolidæ eſsent, maris aquæ.

Paucis. Chriſtus naturæ, mortis & vitæ ſupremus Dominus ſe ipſum occiſum ſuſcitavit ad vitam, imò, prout ſibi libitum fuit, virtutem operandi

mira-

miracula ſuis etiam Apoſtolis largitus eſt: *infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones ejicite, gratìs date*. Matth. 10.

An ſtupenda iſthæc omnia faciem habent vel naturæ effectuum, vel ſubitæ cujuſdam commotionis, vel demum artis humanæ indicant opus?

Increduli ſceleſtâ linguâ perverſa ſua dogmata proferentes, adſtant adversùs Chriſtum, eumque adinventionibus ſuis laceſsunt; Chriſti Religionem tot oraculis & Martyrum ſanguine obſignatam dilacerantes, inſurgunt in Chriſti miracula, in Eccleſiam, in Eccleſiæ Paſtores & Principes, ut ad irreligionem planam & tranquillam viam, quantùm in ipſis ſitum eſt, ſternere poſſint. *Hi*, ut verè ait S. Judas Apoſtolus: *carnem maculant, dominationem ſpernunt, majeſtatem autem blaſphemant. Væ illis!*

FINIS.

Digitized by Google

Princeton University Library
32101 073810796

BX 1
S

| DATE ISSUED | DATE DUE | DATE ISSUED | DATE DUE |
|---|---|---|---|
| JUN 1 | 15 80 | | |
| RETURNED | 80 | | |
| DUE | MAY 9 - 1983 | | |
| XXXXX | XXXXX | | |
| | MAR 21 1983 | | |
| | | | |
| [redacted] | | | |
| | | | |
| | | | |